PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

TOMUS VIGESIMUS SEXTUS

(1937)



ROMAE

APUD PONTIFICIAM UNIVERSITATEM GREGORIANAM

1937

16770

v.26

IMPRIMATUR

P. Raphael Bitetti
Praep. prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

† Aloysius Traglia
Archiep. Caesarien. Vic. Ger.

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

Periodicorum Sociis

Mutatis iam, post primi illustrisque Periodicorum *Auctoris casum lugendum, directionis condicionibus, necessarium visum est inde a primo fasciculo Tomi XXVI (anni 1937) universam Ephemeridis editionem, administrationem scilicet non minus quam redactionem, Romam advocare, ad Pontificiam Universitatem Gregorianam; idque ut, omnibus quae ad directionem, editionem et expeditionem spectant ceu in unum copulatis, optimum quod fieri potest subscriptoribus nostris praestare valeamus servitium.*

Quo facto vere nolentes cogimur pristinam derelinquere Periodicorum *editricem, Domum scilicet* Caroli Beyaert, *Brugis Flandrorum in Belgio, quae, ipsis Ephemeridis initiis primum negotii periculum magnanimiter in se suscipiendo, posteriorem vero eiusdem evolutionem valide sustentando, optime de* Periodicis *nostris merita, omnium sociorum gratiam ac laudem sibi vindicare potest.*

Subscriptores porro illi qui hactenus Periodicorum *fasciculos ab eadem Domo recipere pretiumque eidem solvere consueverant, prorsus, si velint, eadem pergant ratione, cum Domus* Caroli Beyaert *semper inter romanam directionem et socios, librariorum more, intercedere possit.*

Nobis tandem, antiqua vetustaque Periodicorum *ratione religiose servata, omnes conatus conferre in animo est, ut non minus quae spectant ad rationem scribendi, quam ea quae apparatum technicum atque servitium subscriptoribus praestandum tangunt, expolire numquam cessemus.*

Directio

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Post tomos viginti et quinque Periodicorum

Nec elatis gaudiis, recente adhuc desideratissimi Auctoris discessu, nec copiosis verbis, perfectum quintuplex *Periodicorum* lustrum celebrabimus; sed, quo aptius Ephemeridis propriae rationi respondeamus (quae semper rebus potius quam verbis Lectoribus suis adesse conata est), Elenchum quendam, sive Conspectum Bibliographicum, exoriente Volumine vigesimosexto, Sociis nostris offerimus; qui profecto non solum Ephemeridis momentum et historiam illustrabit, verum etiam bibliothecariis ceterisque omnibus, quibus de collectionis integritate cura est, plurimum iuvabit.

Compositus est Elenchus a Reverendo Bibliothecario Collegii Maximi Societatis Iesu, Traiecti-ad-Mosam, in Hollandia, cui libenter gratias publice agimus.

I — Ortus et vices Ephemeridis

Periodica orta sunt anno 1905, quando alter tomus operis P. Arthuri Vermeersch, S. J., *De religiosis Institutis et personis,* iterum editus optandam fecit periodicam continuationem Supplementorum et Monumentorum, quibus tomus iste constabat (1).

---

(1) Conspectus bibliographicus huius operis invenitur infra, sub II, p. 6.

Ex qua origine etiam primum suum nomen traxit: *De religiosis et missionariis Supplementa et Monumenta Periodica,* nisi quod addita voce *Missionariis* aliquanto amplior finis proximus ephemeridi assignatus est.

De voluminibus I, II et III mox alteram editionem facere necesse fuit, in qua secundum et tertium conjuncta sunt.

Tomi primi editio prima: 1905
Tomi primi editio altera: 1911
Tomi secundi editio prima: 1906
Tomi secundi editio altera: 1911
(*in uno volumine cum secunda editione Tomi tertii*)
Tomi tertii editio prima: 1907
Tomi tertii editio altera: 1911
(*in uno volumine cum altera editione Tomi secundi*)

In priori editione omnes paginae Tomorum I ad IV eodem modo continuatim numerantur. In secunda editione Tomi tertii paginae hujus voluminis propriae numeris intra parentheses conclusis ( ), paginae, quas communes habet cum altera editione Tomi secundi, numeris consuetis signatae sunt.

In prima editione Tomi quinti incipit duplex modus numerandi: Monumenta numeris consuetis, Supplementa separatim numeris intra parentheses positis.

A Tomo quinto omnia anni Monumenta magis complete referuntur, ita tamen ut potiora plene exscribantur, dum alia tantum summarie proponantur; quae distinctio in indicibus chronologicis notata est.

Post septimum volumen, singulis Monumentis adscribitur nova series numerorum, quae non iam ultra singula volumina producta est.

Periodica propter bellum anno 1914 suspensa, solum anno 1919 denuo scribi potuerunt.

Mutationes nominis Ephemeridis indicantur in serie voluminum (infra sub III); p. 6, ss.

Ortus et vices ephemeridis *Periodica* describuntur

in libro cui titulus *Indices primae Seriei seu quindecim priorum voluminum (1905-1926)*, Roma 1930, p. 257.

Etiam, sed minus accurate, in *Miscellanea Vermeersch*, Vol. II, Roma 1935, p. 369 ss.: *Elenco degli Scritti del R. P. Arturo Vermeersch S. J.*

In isto elencho aliquot menda irrepta sunt, quae paucis corrigere nobis liceat.

Ad paginam 371, l. 2: legitur *nacque... 1904;* legendum *nacque... 1905* (cf. ibid. p. 376, ubi nihil de origine *Periodicorum* dicitur).

Ibidem, l. 10: legitur *Dal quarto volume;* legendum *Dal quinto volume.*

Ibidem, l. 13: legitur *I volumi* VI, VII *e* VIII *furono dati alla stampa negli anni 1911-1917; legendum est... 1911-1920.*

Ad paginam 372, l. 8: legitur *Del tomo quinto... nuova edizione nel 1913;* legendum *Del tomo quarto e quinto...*

Ibidem, l. 17: legitur *Il medesimo tomo* XI *ed i tomi* XII-XV *fecero parte delle edizioni «Museum Lessianum»,...;* et est legendum *... tomo* XIII (*vel* XIV) *e* XV.

De valore et utilitate operis Patris VERMEERSCH, *De religiosis institutis et personis*, eiusque Ephemeridis *Periodica* scripsit R. P. J. CREUSEN S. J., in suo *In Memoriam R. P. Vermeersch*, in *Nouv. Rev. Théol.*, T. 63 (1936) p. 820-821.

R. P. J. CREUSEN l. c. sic habet: «En 1902 paraissent les deux volumes d'un ouvrage, dont la réédition et surtout la continuation assureront à leur auteur une réputation mondiale... Bien que le premier volume soit intitulé *Tractatus canonico-moralis*, les questions juridiques y occupent de très loin la plus large part.

L'auteur ne tarda pas à concevoir le projet de compléter cet ouvrage par une publication à peu près trimestrielle, dans laquelle il donnerait le texte et le commentaire des documents pontificaux intéressant les religieux. Dès le début, il y ajouta des études originales sur des problèmes canoniques et des consultations pour le même public. Le premier volume de la Revue, ajourd'hui connue sous le nom de *Periodica*, parut en 1905. Longtemps le Père en fut presque le seul rédacteur. Dans les dernières années de son professorat, la multiplication de ses travaux, son enseignement et ses relations toujours plus étendues, un peu aussi la fatigue de l'âge ne lui permirent plus de maintenir les *Periodica* au degré de perfection atteint dès les débuts. Car les quinze pre-

miers volumes contiennent une série de dissertations de grande valeur. Les canonistes débutants trouveraient grand profit à les étudier avec soin, comme une excellente introduction à la méthode en général et à la connaissance comparée du droit ancien et nouveau ».

II — Series editionum operis P. Vermeersch unde orta sunt Periodica

A. VERMEERSCH, S. J., *Praelectiones canonicae religiosorum institutioni potissimum accomodatae* / Pars specialis: *De religiosis institutis et personis* / Tractatus Canonico-moralis ad recentissimas leges exactus. / Brugis, Sumptibus Car. Beyaert (2)

TOM. I - *ad usum scholarum*

ED. 1 - 1902 — p. XXV, 390, 8°

ED. 2 - 1907 - ID., *Id.*, auctior et accuratior — p. XXVII, 420, 8°

ED. 3 - ID., *Id.*, ad normam novi Iuris Canonici Codicis exacta (*sub prelo*)

TOM. II - *Supplementa et Monumenta* (3)

ED. 1 - 1902 - Brugis *etc.*, p. XL, 808, 8°

ED. 3 - 1904 ID., *Id.*, auctior et accuratior (4) — p. XLII, 836, 8°

ED. 4 - 1909 ID., *Id.*, auctior et accuratior — p. LXI,
Pars prior: Supplementa — (192),
Pars altera: Monumenta — 713, 8°

ED. 5 ID., *Id.*, ad normam novi Iuris Canonici Codicis exacta (*sub prelo*) (5)

III — Series voluminum

(*indicantur mutationes tituli*)

TOM. I - ARTHURUS VERMEERSCH S. J., *DE RELIGIOSIS INSTITUTIS ET PERSONIS SUPPLEMENTA ET MONUMENTA PERIODICA*

ED. 1 - 1905 - (continuans DE RELIGIOSIS, II, ed. alteram) Brugis Sumptibus Beyaert - Romae et Ratisbonae F. Pustet - Lutetiae Parisiorum P. Lethielleux — p. 1 - 192, 8°.

---

(2) Praeter Carolum Beyaert et alii Editores ut secundarii in tituli pagina apparent; quorum tamen nomina, cum singulis editionibus varient, commemorare omisimus.

(3) En Tomus, ex quo deinceps *Periodica* nostra exorta sunt.

(4) *Editio 3* legitur in pagina tituli; sed in Approbatione Superiorum et in praefatione Auctoris sermo est de editione altera. Hinc, ut videtur, exortae sunt ambiguitates, de quibus in proxima nota.

(5) BEYAERT, in suo catalogo anni 1936, illam vocat editionem quartam: in *Elenco degli scritti*, etc., de quo supra (p. 5; *Miscellanea Vermeersch*, II, p. 269 ss.) sic legitur: ED.2: 1904; ED.3: 1906; ED.4: 1910. Utriusque Tomi novam editionem sub prelo esse, in Catalogo anni 1936 Pontificii Editoris BEYAERT legitur.

p. 180 Summa Supplementorum
p. 181 Index analyticus Monumentorum
p. 185 Monumentorum index chronologicus
p. 187 Index Onomasticus
p. 188 Monumentorum et rerum index alphabeticus
ED. 2 - 1911 - [*Titulus ut Tom. I Ed. 1*]
ED. 3 - [?] - [*Titulus ut Tom. I Ed. 1*]
SUPPLEMENTA: perficiunt canonicam de Religiosis doctrinam;
MONUMENTA: exhibent novissima de Religiosis decreta.

TOM. II - [*Titulus ut Tom. I,* Ed. 1]
ED. 1 - 1907 — p. 1 - 192, 8°
p. 184 Summa Supplementorum et Quaesitorum variorum
p. 185 Index analyticus Monumentorum
p. 189 Monumentorum index chronologicus
p. 190 Index onomasticus
ED. 2 - 1911 - (*in uno volumine cum Ed. 2* TOM. III)

TOM. III - [*Titulus ut* TOM. I, *Ed. 1*]
(continuans DE RELIGIOSIS *etc.*, II, Ed. 3)
ED. 1 - 1907 — p. 1 - 192, 8°.
p. 175 Summa Supplementorum et Quaesitorum variorum
p. 176 Index analyticus Monumentorum
p. 179 Monumentorum index chronologicus
p. 180 Index onomasticus
p. 183 Monumentorum et rerum utriusque Tomi II et III index alphabeticus
ED. 2 - 1911 - [*Titulus ut* TOM. I, *Ed. 1*]
(*in uno volumine cum Ed. 2* TOM. II)

TOM. IV - [*Titulus ut* TOM. I, *Ed. 1*]
(continuans DE RELIGIOSIS ed. alteram)
ED. 1 - 1909 — p. 1 - 392, 8°
p. 358 ss. *Indices ut in* TOM. III
ED. 2 - 1913 - [*Titulus ut* TOM. I, *Ed. 1*]

TOM. V - *DE RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS SUPPLEMENTA ET MONUMENTA PERIODICA* — (contin. DE RELIGIOSIS INSTITUTIS *etc.*, II)
ED. 1 - 1911
Supplementa et Quaesita varia — p. (1) - (68)
Monumenta — p. 1 - 336, 8°
p. 301 ss. *Indices ut in* TOM. II
ED. 2 - 1913 - [*Titulus ut* TOM. V, *Ed. 1*]

TOM. VI - 1912 - [*Titulus ut* TOM. V, *Ed. 1*]
(contin. DE RELIGIOSIS INSTITUTIS *etc.*, II)
Supplementa et Quaesita varia — p. (1) - (72)
Monumenta — p. 1 - 336, 8°
p. 293 ss. *Indices ut in* TOM. III

Tom. vii - 1914 - [*Titulus ut* Tom. v, *Ed. 1*]
Supplementa et Quaesita varia — p. (1) - (60)
Monumenta — p. 1 - 318, 8°.
p. 281 ss. *Indices ut in* Tom. iii

Tom. viii - [*Titulus ut* Tom. v, *Ed. 1*]
(Tom. i secundae seriei, N° 1-2)
Brugis Sumptibus Beyaert - Barcelonae Eug. Subirana - Romae (19) Deposito libri, Università Gregoriana, Via del Seminario.
Ed. 1 - 1919
Supplementa et Quaesita varia — p. (1) - (42)
Monumenta — p. 1 - 365, 8°.
p. 319 ss. *Indices ut in* Tom. iii;
insuper p. 346: *Index initiorum* (incipit) *monumentorum.*
Ed. 2 [?] - [*Titulus ut* Tom. v, *Ed. 1*]

Tom. ix - 1920 - *PERIODICA DE RE CANONICA ET MORALI UTILIA PRAESERTIM RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS*
(N° 1 et 2 tertiae seriei)
Dissertationes et Quaesita — p. (1) - (34)
Monumenta — p. 1 - 185, 8°.
p. 161 ss. *Indices ut in* Tom. viii

Tom. x - 1922 - (*Titulus ut* Tom. ix]
Dissertationes et Quaesita — p. (1) - (40)
Monumenta — p. 1 - 415, 8°
p. 385 ss. *Indices ut in* Tom. viii

Tom. xi - 1922 - *DE RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS SUPPLEMENTA ET MONUMENTA PERIODICA*
Pars I Supplementa et Quaesita varia — p. (1) - (160)
Pars II Monumenta — p. 1 - 222, 8°
p. 206 ss. *Indices ut in* Tom. viii

Tom. xii - 1923 - *PERIODICA DE RE CANONICA ET MORALI UTILIA PRAESERTIM RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS.*
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. (1) - (164)
Pars II Monumenta — p. 1 - 195, 8°
p. 178 ss. *Indices ut in* Tom. viii

Tom. xiii - 1924 - [*Titulus ut* Tom. xii]
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. (1) - (216)
Pars II Monumenta — p. 1 - 227, 8°
p. 207 ss.: *Indices ut in* Tom. viii
(*Inde ab hoc* Tom. xiii *vel sequenti* Tom. xiv, Periodica *pertinent ad Museum Lessianum*)

Tom. xiv - 1925 - [*Titulus ut* Tom. xii]
(Tomus quatuordicesimus, *sic!*)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. (1) - (152)

Pars II Monumenta — p. 1 - 218, 8°.
p. 201 ss. *Indices ut in* Tom. VIII

Tom. XV - 1926 - [*Titulus ut* Tom. XII]
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. (1) - (120)
Pars II Monumenta — p. 1 - 291, 8°.
p. 268 ss. *Indices ut in* Tom. VIII
(p. 268 Summa dissertationum - Quaesitorum - et casuum)

Tom. XVI - 1927 - *PERIODICA DE RE MORALI, CANONICA, LITURGICA*
Brugis Sumptibus Beyaert - Romae (119) Università Gregoriana.
(Tomus I novae seriei)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1* - 280*
Pars II Monumenta — p. 1 - 220, 8°
p. 196 Index scriptorum voluminis
p. 197 Summa dissertationum, quaestionum et casuum
p. 199 Index analyticus Monumentorum
p. 203 » chronologicus
p. 208 » onomasticus
p. 214 » alphabeticus Monumentorum et rerum

Tom. XVII - 1928 - [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom II novae seriei)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1* - 244*
Pars II Monumenta — p. 1 - 279, 8°.
p. 252 ss. *Indices ut* Tom. XVI

Tom. XVIII - 1929 [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom. III novae seriei) (6)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1 * - 188 *
Pars II Monumenta — p. 1 - 342, 8°
p. 321 ss. *Indices ut in* Tom. XVI

Tom. XIX - 1930 - [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom. IV novae seriei)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1 * - 168 *
Pars II Monumenta — p. 1 - 368, 8°
p. 347 ss. *Indices ut in* Tom. XVI

Tom. XX - 1931 - [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom. V novae seriei)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1 * - 148 *
Pars II Monumenta — p. 1 - 356, 8°
p. 333 ss. *Indices ut in* Tom. XVI

Tom. XXI - 1932 - [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom. VI novae seriei)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1 * - 240 *

---

(6) pagina tituli habet « T. II N. S. ».

Pars II Monumenta — p. 1 - 320, 8°
p. 291 ss. *Indices ut* Tom. XVI

Tom. XXII - 1933 - [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom. VII novae seriei)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1 * - 220 *
Pars II Monumenta — p. 1 - 254, 8°
p. 227 ss. *Indices ut in* Tom. XVI

Tom. XXIII - 1934 - [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom. VIII novae seriei)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1 * - 256 *
Pars II Monumenta — p. 1 - 209, 8°
p. 183 ss. *Indices ut in* Tom. XVI

Tom. XXIV - 1935 - [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom. IX novae seriei)
Pars I Dissertationes et Quaesita varia — p. 1 * - 196 *
Pars II Monumenta — p. 1 - 257, 8°

Tom. XXV - 1936 - [*Titulus ut* Tom. XVI]
(Tom. X novae seriei)
Pars I Dissertationes - Quaesita - Casus — p. 1 * - 175 *
Pars II Monumenta — p. 1 - 250, 8°

1930 - *INDICES PRIMAE SERIEI SEU QUINDECIM PRIORUM VOLUMINUM (1905-1926)*
Roma (101) Università Gregoriana — p. 1 - 259, 8°.

IV — Tomi priorum annorum

Tomi I editio 3, Tomus II, III, VI, VII, VIII ed. 2, XI, XII, XIII, XIV, XV exhausti sunt; si quae occasio fuerit redimendi sive integram collectionem sive tomos exhaustos, moderna Ephemeridis administratio eam libenter aequis condicionibus arripiet.

Ceteri Tomi adhuc prostant in commercio.

A. de Wilt, S. J.

Utrum extraliturgica devotio erga SS. Cor Iesu inter Orientales neoconversos sit fovenda

Magna habetur apud peritos eosque, quorum ex officio interest, diversitas opinionum, num oporteat cultum liturgicum SS. Cordis Iesu inter Orientales introducere. Sunt qui negative respondeant, sunt qui positive, sunt qui dubie haereant; nec desunt qui quaestionem totam praematuram iudicent. Quod autem attinet privatam devotionem seu extraliturgicam, minor utique adest auctorum haesitatio; sed non omnis adhuc sublata est. Inde investigatio nostra nec momento carere videtur nec actualitate; cum praesertim recenti tempore a Rom. Pontifice generalis haec intentio *Apostolatus Orationis* pro mense iunio 1937 approbata sit: « Ut cultus SS. Cordis Iesu in vastissimas Russiae regiones introducatur » (22 febr. 1936). Quibus in verbis, non catholici latini in Russia degentes intelliguntur, utpote apud quos SS. Cordis cultus late floreat (in Russia Asiatica, exempli gratia, pro singulis 40 ecclesiis paroecialibus, sacellis omissis, 6 saltem SS. Cordi Iesu consecratae sunt); sed illi necessario intelliguntur Orientales, qui ritui byzantino-slavico adscripti sunt, quibus scilicet ita pateant media illa sanctificationis cum hac devotione speciali modo connexa. Valde ergo favet haec Summi Pontificis approbatio introductioni cultus privati erga SS. Cor Iesu inter Orientales.

Cuius approbationis valor quo magis eluceat, putavimus opportunum esse paucis indicare:

I - quasdam rationes, quae hunc Cultum etiam pro Orientalibus suadeant;

II - indolem et psychologicam dispositionem Orientalium, quae huic Cultui faveant;

III - modum, quem hic Cultus privatus apud Orientales habere posset;

IV - preces erga SS. Cor Iesu, quae inter Orientales iam exsistant.

I — *Rationes theologicae, quae Cultum erga SS. Cor inter Orientales suadent*

Ecclesiae Catholicae et Romanorum Pontificum mens semper et intentio fuit, quae ad media salutis et sanctificationis pertineant omnibus christifidelibus sine rituum distinctione proponere. Cuius facti pulchra quaedam habetur confirmatio in verbis, quibus Litterae Encyclicae exordiri solent: « Ad Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes ». Quibus in verbis nulla fit catholicorum distinctio sive populorum, sive fidelium, sive rituum. Nec minus, immo magis catholica haec universalitas elucet in Litteris Encyclicis, quae non ad Ordinarios tantum, sed ad omnes etiam Christifideles diriguntur: « Item ad dilectos Christi fideles catholici Orbis universos » (1). Patet, si quae in Encyclicis instructiones disciplinares aut liturgicae contineantur, hae pro Orientalibus generatim non valere. His ergo praemissis, concludere licet Encyclicas Litteras Summorum Pontificum Leonis XIII de hominibus SS. Cordi Iesu devovendis (2), et Pii XI de communi expiatione SS. Cordi debita (3), de precationibus piaculisque SS. Cordi Iesu exhibendis in praesentibus humani generis aerumnis (4), non ad Latinos solum, sed etiam ad Orientales pertinere, eosque saltem non excludi.

Alia est praeterea consideratio, quae desumitur ex intentionibus Christi Redemptoris, quoad applicationem suae Redemptionis. Quae utique intentiones omnino universales sunt, nec ullis aut locorum, aut temporum, aut nationum, aut rituum limitibus coarctantur. At vero festum et Cultus SS. Cordis Iesu nunc universaliter in Ecclesia admissa sunt; quotidie magis in formulis liturgicis illud divinum

(1) Cf. *AAS* XXI (1929) N° 15; *AAS* XXII (1930) N° 2.
(2) Leonis XIII *Pont. Max. Acta*, XIX, Romae (1930), 71.
(3) *AAS* XX (1928) p. 165-178, N° 6.
(4) *AAS* XXIV (1932) p. 177-194, N° 6.

Christi consilium exprimitur, iuxta quod velit ipse Redemptor ac Salvator per hunc Cultum uberrimas hominibus gratias concedere. Sit exempli gratia oratio Missae latinae S. MARGARITAE M. ALACOQUE: « Domine Iesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis Tui beatae Margaritae Mariae Virgini mirabiliter revelasti... ». Quod quidem consilium Cordis Iesu, utpote quod totum in elargitione gratiarum contineatur, ad ipsas Redemptoris intentiones pertinere necesse est; quod etiam in documentis Sanctae Sedis de Cultu SS. Cordis Iesu saepius affirmatur. Age vero, quis non putet eas maxime Orientalium regiones, quae atheismi iugo subiacent, specialibus atque abundantioribus Salvatoris nostri gratiis indigere?

Et quidem, non solum ex mente Summi Pontificis in Ecclesia pro introductione huius Cultus inter Orientales enixe orabitur, sed etiam consulitur ut qui quondam futuri sunt Russiae Apostoli, hi penitus huius devotionis spiritu imbuantur. Quod vel in ipsa Constitutione Apostolica, quae Collegium Russicum erigebat, legimus: « ... Dum igitur humillimas Deo referimus gratias, quod haec perficere Nobis concessit, certam fovemus spem fore ut hoc carissimum Nostrum Collegium complurium sacerdotum secundum Cor Iesu effectorum seminarium evadat... » (5).

II — *Psychologica Orientalium dispositio Cultui SS. Cordis favens*

Si dispositionem Orientalium erga hunc Cultum investigare velimus, omnino ab initio distinguendum est inter theologiam ecclesiarum dissidentium, et genuinam fidelium pietatem. Illa enim, tum ex huius devotionis ignorantia, tum ex difficultatibus circa Unionem Hypostaticam, tum ex nota erga Ecclesiam Catholicam antipathia, magna ex parte ab hoc Cultu abhorret (6). At genuina fidelium

(5) *AAS* XXI (1929) N° 13.

(6) Prof. N. MALINOWSKY, *Pravoslavnoje dogmaticeskoje bogoslovie*, III p. 131-137; A. A. LEBEDEW, *O latinskom kultje serdca Iisusova*, Pietro-

pietas aliter se habet; patet enim ex operibus plurium auctorum, qui de rebus spiritualibus et asceticis scribunt, Cultum SS. Cordis Iesu ab illis non solum non excludi, verum etiam consuli, immo et tamquam necessarium praecipi. Quod in alia alterius auctoris tractatione clarius elucebit.

Quod autem SS. Cordis Iesu Cultui psychologica ipsa Orientalium neo-conversorum indoles ac dispositio valde faveat, inde maxime apparet, quod in communitatibus catholicorum Orientalium, quae aut Moscoviae aut alibi fundatae sunt, hic Cultus et late floruerit, et uberrimos fructus attulerit. Qua in re, diligens habemus testimonium R. D. Donati Novicky, a Russia sovietica anno 1932 expulsi, qui propter fidem per plus quam 5 annos in carceribus insulae « Solovcensis » clausus fuit. En eius verba: « In neo-conversis catholice efformandis haec fundamentalia principia ab annis stabilita sunt: 1 - Animus neo-conversorum speciali indiget educatione, nec neo-conversus verus evadit catholicus priusquam suam fidem in praxim deduxerit. 2 - Oportet ut, puritate et integritate ritus orientalis stricte conservatis, neo-conversi statim pietatis exercitia ritus latini sibi propria faciant. 3 - Contemporanea devotionis exercitia, ut meditatio, lectio spiritualis, crebra confessio, frequens communio, quotidianum conscientiae examen, rosarium, cultus SS. Cordis Iesu, usus indulgentiarum etc., verum thesaurum constituere dicenda sunt, ac veluti cibum quo membra Ecclesiae Universalis nutriantur; unde haec exercitia, non in ecclesia tantum latina, sed in orientali quoque, debita forma servata, introducenda sunt. Haec quotidiana praxis devotionis verum catholicum efformat, vitam fidei ipsum docet, eum non tantum pro ordinaria vita, sed etiam pro extraordinariis

---

grad 1903; *Encyclop. Slowar.*, vol. 58, p. 666 ss.; P. Florensky, in *Put* (Moscovia 1914), I, p. 266; P. D. Jurkevic, in *Trudy* I (1860) p. 63.

adiunctis fortem reddit, ut sunt carceres, persecutio etc... » (7).

III — *Forma Cultus erga SS. Cor Iesu, quae Orientalibus magis accommodata videtur*

Quaerentibus nobis quanam fortasse forma Cultus privatus SS. Cordis Iesu Orientalibus magis aptari possit, haec fere occurrunt.

Primum oporteret ut assidue in his exerceantur, quae elementa huius devotionis essentialia constituunt: redamationem dico, satisfactionem et reparationem. Tum etiam in his, quae cum hac devotione intime connexa sunt: adoratione SS. Sacramenti, imitatione virtutum Iesu Christi, celebratione Liturgiae secundum intentionem SS. Cordis Iesu.

Multum ad hunc finem conferre poterit introductio *Apostolatus Orationis;* quae associatio pia in devotione erga SS. Cor extraliturgica primario versatur, nulloque negotio Orientalium menti aptari potest. Quin immo, erectio *Apostolatus Orationis* in Motu Proprio *Nostra animarum* pro templo russico S. Antonii Romae praecipitur: « ut, qui consociationi praesunt, quam *Apostolatus Orationis* vocant, peculiarem eiusdem generis coetum in hoc templo instituant » (8).

Quod imagines SS. Cordis Iesu attinet, confitendum est imagines a fidelibus latinis adhiberi solitas Orientalium indoli non aptari, cum orientalium iconum proprium sit maiestatem potius et divinitatem, quam amorem divino-humanum Christi exprimere. Inter eas SS. Cordis imagines, quae apud Latinos in usu sunt, eae, quae a Beuroniana schola (nr. 1006 et 1010 signatae) proveniunt, quam ma-

---

(7) ex relatione R. D. Novicky, in Conferentia Unionistica Pinscensi, 7-9 sept. 1933 habita, de themate: *De possibilitate Unionis in Russia.*

(8) *AAS* XXIV (1932) Nº 11.

xime spiritualitati Orientalium accedere videntur. Sed huius difficultatis solutio plena in ipsa iconographia orientali suo tempore sine dubio invenietur.

IV — *Preces Orientalium in honorem SS. Cordis Iesu*

Quoniam Cultus SS. Cordis Iesu nequaquam absolute novus inter Orientales dici debet, iuvat quasdam hic afferre preces, quae ab auctoritate ecclesiastica approbatae sunt, quaeque etiam pro devotione privata servire possunt, servata semper pro neo-conversis proprii ritus forma. Hae preces, quae ad ritum byzantinum in suis diversis ramis, pertinent, sunt:

a - In ritu graeco-catholico (lingua liturgica: ecclesiastico-slavica): Acaphistium in honorem SS. Cordis Iesu, a S. Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis 14 octobris 1892 approbatum: forma et tenor huius acaphistii est orientalis. — Liturgia in honorem SS. Cordis Iesu, ab eadem Congregatione 13 februarii 1903 approbata: forma et argumentum item est orientale. — Officium SS. Cordis Iesu, ab Ordinariatu Metropolitano Leopoliensi annis 1909 et 1911 approbatum: in editione anni 1911 computatio festi aliquantulum consuetas rubricas excedit. — Moleben SS. Cordis Iesu, ab Ordinariatu Premisliensi anno 1922 approbatus: etsi forma et argumentum influxum latinum aliquantulum passa sint, ipse tamen Moleben a fidelibus valde aestimatur (9).

b - In ritu graeco (lingua liturgica: graeca, arabica): Idem acaphistium, de quo dictum est: adest versio graeca (ab anno 1893) et arabica. Acaphistium graecum et arabicum fuit aliquando in usu, nunc autem desuevit.

c - In ritu rumaeno: Idem acaphistium, cuius versio rumaenica ab Ordinariatu rumaeno-unito de Oradea

(9) Orientalia *Molebny* - *Acaphistica* fere congruunt cum precibus latinis quae *litaniae* vocantur; adhibentur pro usu privato et liturgico et considerari possunt tamquam prima forma alicuius cultus vel devotionis incipientis.

anno 1933 approbata est. — Moleben eucharisticus, iterum editus in urbe Lugoj anno 1931: quamvis in forma et argumento partim latinus sit, partim orientalis, a fidelibus cum fructu usurpatur.

Tandem pro extraliturgica devotione SS. Cordis Iesu in ritu byzantino-slavico textus a S. Sede approbati optime inservire posse videntur, utpote qui quoad formam et argumentum orientales sunt. Unde necesse non erit ad textus et formulas ritus latini recurrere.

Quibus omnibus praehabitis, nihil obstare videtur quominus cultus privatus seu extraliturgicus SS. Cordis Iesu etiam inter Orientales neo-conversos foveantur. Quin immo vel id praedicere licet, fideles ipsos, ubi semel sint fructus huius devotionis experti, ipsum publicum atque liturgicum cultum expetituros.

Iosephus Schweigl. S. J.

Thesis Probabilismi ex Sto Thoma demonstrata

IV

De valore legis dubiae secundum Sanctum Thomam

Ex dictis hucusque sufficienter apparet quaenam fuerint vices probabilismi usque ad S. Alphonsum.

De influxu S. Doctoris ad pristinum honorem probabilismo restituendum, non est necesse plurima dicere, cum sub omnium sit oculis, quam late probabilismus, tam in ordine speculativo quam in ordine practico, diffusus sit.

Hoc aperte fatetur P. Deman, dum ait: « La glorification de ce docteur [S. Alphonsus] bien qu'elle ne vise point spécifiquement son système ou ses conceptions morales, ne peut manquer désormais de conférer a celles-ci une autorité dont elles ne pouvaient se prévaloir jusqu'a-

lors, et nous savons quelle parenté il y a de ces conceptions au probabilisme... » (1).

Nobis vero iam necessarium videtur ad quaestionem fundamentalem tractandam devenire, id est ad sententiam Sancti Thomae de valore legis dubiae investigandam, ad hoc ut appareat utrum revera inter Sanctum Thomam et Sanctum Alphonsum adsit, in hac quaestione, illa discrepantia de qua P. Deman loquitur (2).

Sed antequam ulterius procedamus, notare iuvat, nos proponere thesim probabilismi prout hic nobis occurit ex traditione auctorum a nobis allegatorum, scilicet Medina et Suarez.

Non ergo agimus de probabilismo tamquam de systemate ad omnia problemata moralia solvenda destinatum; etenim non extendimus illud ultra terminos proprios, qui alii non sunt quam casus ubi de praecepto aliquo agitur, de quo non habemus nisi opiniones probabiles.

Itaque ad casum veniamus ubi, post diligentem inquisitionem circa prinipia moralia, quae ad conscientiam efformandam secundum veritatem obiectivam per se requiruntur, nobis non occurrunt nisi opiniones probabiles.

De opinione, quae asserit obligationem aliquid faciendi vel omittendi, iudicandum est. Et quaeritur utrum habeat vim ad conscientiam ligandam, vera et absoluta morali obligatione. Probabilismus respondet: negative. Potestne Sancti Thomae patrocinium in hoc puncto invocare?

Duo sunt quae nobis in Sancto Thoma investiganda veniunt.

Primum: In quo consistat discrimen inter scientiam et opinionem.

Secundum: Quonam sensu intelligenda sint verba S. Thomae: « *Nemo ligatur aliquo praecepto nisi per scientiam illius praecepti* ».

(1) *O. c.*, col. 606.
(2) Cf. *O. c.*, col. 585.

Si haec prout sonant accipi possint, conclusio probabilismi logice sequitur: ubi adsunt opiniones probabiles circa praeceptum aliquod, non ligamur illo praecepto.

Sed ad singula veniamus.

Et in primis, notare non vacat quod opinio est mentis status circa veritatem. Quomodo se habere possit intellectus noster respectu ad obiectum quod ipsi proponitur, accurate a S. Doctore exponitur, in *Quaest. de veritate q.* XIV, a. 1.

« ... Intellectus noster possibilis respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectus moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem; et ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum in unam partem totaliter; *unde accipit quidem unam partem*, tamen semper dubitat de opposita: *et haec est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Quandoque vero intellectus possibilis determinatur ad hoc quod totaliter adhaereat uni parti; sed hoc est quandoque ab intelligibili quandoque a voluntate. Ab intelligibili quidem quandoque mediate quandoque immediate: immediate quando ex ipsis intelligibilibus statim veritas propositionum intelligibilium infallibiliter apparet; *et haec est dispositio intelligentis principia...* mediate vero, quando cognitis definitionibus terminorum, intellectus determinatur ad alteram partem contradictionis virtute primorum principiorum; *et ista est dispositio scientis* ».

Habemus praeclaram expositionem Sancti THOMAE circa diversos status mentis respectu partium contradictionis, quae ut obiectum movens intellectum praesentantur:

1 - *Status dubitantis sive negative sive positive*: nullum assensum praestat.

2 - *Status opinantis*: assensum praestat, sed cum formidine oppositi.

3 - *Status intelligentis*: assensum praestat immediate, ex evidentia.

4 - *Status scientis*: assensum praestat mediante demonstratione.

5 - *Status credentis*: assensum praestat a voluntate motus.

« Patet ergo ex dictis, prosequitur S. Doctor, quod... dubitans non habet assensum, cum non inhaeret uni parti magis quam alii; similiter nec opinans, *cum non firmetur eius acceptio circa alteram partem* ».

Ex quo apparet mens S. Thomae de valore opinionis et dubii positivi. Pro ipso in hoc conveniunt quod intellectum non determinant *totaliter* ad unum; in dubio manet « fluctuans »; in opinione assentitur quidem, sed cum formidine de opposito.

Haec autem accidunt quia motiva, rationes quae demonstrare possunt veritatem alterius partis contradictionis, non habent vim sufficientem ad determinandum intellectum; habent tamen aliquam vim; ideo intellectus « fluctuat », « accipit unam partem ».

In ordine ad veritatem ipsam, solum scientia praebet firmam et certissimam demonstrationem ipsius; solum qui habet scientiam, vel intelligentiam vel fidem est certus de veritate; opinans, positive dubitans, veritatem *potest* pro se habere, at etiam *potest* eam non habere; ideo semper aut fluctuat aut timet. Ex S. Thoma intellectus comparationem instituens inter rationes quae pro utraque contradictionis parte militant, invenit vel *apparentem* aequalitatem rationum vel *apparens* motivum ad unam partem inclinans; sed in hoc semper cernit possibilitatem ne contrarium sit verum. Unde sive in dubio sive in assensu opi-

nativo, unum est certum: quod veritas non apparet neque immediate neque mediate. Pro Sancto Thoma obiectum scientiae est verum; obiectum opinionis non explicite enuntiatur, sed clare dat intelligere ipsum esse motiva *apparentia*, inclinantia sed insufficienter; liceretne ea vocare probabilia?

Id nobis certum videtur. Ne tamen disputationem criticam agitare cogamur de conceptu probabilitatis apud S. Doctorem (3), de probabilitate loquemur secundum sensum hodie in omnibus scientiis receptum cum quo S. Thomas convenire videtur, ut ex dicendis apparebit.

Probabilitas praedicatur de obiecto ipso assensus opinativi: *hoc*, e. g., mulierem excissam posse matrimonium inire, est probabile;

vel de iudicio opinativo: probabile *mihi* est...;

vel de motivo ipso assensus opinativi: argumenta affirmantis sententiae sunt probabilia.

In omni casu probabilitas apparet cum opinione intime connexa, vel ut obiectum in primo casu, vel ut causa in tertio, vel ut status mentis in secundo.

Si quis interrogetur curnam in qualibet quaestione *opinatur* tantum et non asserit, vel *sententiam* profert, respondet: quia non habeo nisi argumenta probabilia. E contra si argumenta certa et apodictica habeat sententiam profert omni formidine exclusa. Hic loquendi modus, quam sit conformis cum loquendi modo de opinione quem apud S. Thomam invenimus, ex sola inspectione textus nuper citati apparet. Dum in scientia, secundum Sanctum Doctorem, semper « *ex ipsa collatione principiorum ad conclusiones, assentit conclusionibus* (intelligens), *resolvendo eas in principia et ibi figitur motus cogitantis et quietatur* »; in opinione neque « *figitur* » neque « *quietatur* » intelli-

---

(3) Cf. *DAFC*, IV in voce *Probabilisme*. P. Ternus, S. J. *O c.* p. 90; R. P. Richard, O. P. *Le probabilisme moral et la philosophie*, p. 237; P. Delerue, C. SS. R., *Le système moral de S. Alphonse de Liguori, Docteur de l'Eglise;* Saint-Etienne, 1929, p. 89 ss.

gens, sed « *accipit* » unam partem cum formidine alterius. Curnam? Quia in scientia « intelligibile » mediate vel immediate infallibiliter in sua veritate attingitur, in opinione vero neque immediate neque mediante demonstratione in sua veritate attingitur; et cum intellectus non determinetur nisi a proprio intelligibile, ubi illud non « cogitatur », non percipitur, necessario manet in quadam indeterminatione, et sic manet quia deest in movente virtus ad illud determinandum totaliter ad unum. Iam vero hoc est quod omnes intelligimus dum in omnibus scientiis adhaeremus opinionibus, quae tantum probabiles nobis videntur.

Quaenam consequentia inde deducitur? Quod, dum in scientia certi sumus de veritate obiectiva, in opinione certi tantum sumus de hoc: quod veritatem, scilicet, non habemus. Dum enim intellectus noster respectu partium contradictionis, in scientia uni totaliter adhaeret, alteram respuit, in opinione e contra inclinatur ad unam, sed alteram non omnino respuit; et hoc vi ipsius opinionis, quia argumenta non ostendunt connexionem inter duo extrema propositionis, sed tantum ostendunt probabiles rationes ad illam asserendam, quae, cum resolvere non valeant conclusiones in principia, intellectum relinquunt ancipitem inter unam et aliam partem. « *Non enim,* ait S. Thomas, *dicimur alicui assentire nisi quando inhaeremus ei quasi verum... Sententia autem, ut dicit Isaac et Avicenna, est conceptio distincta et certissima alterius partis contradictionis; assentire autem a sententia dicitur* » (Ibid.).

Ergo ex S. Thoma habemus quod opinio discrepat a scientia in diversa ratione qua intellectum inclinat.

Haec criteria logica cum vim habeant in cuiusvis veritatis inquisitione, valere debent etiam in inquisitione veritatis moralis. Unde, si de norma obiectiva activitatis humanae moveatur quaestio, non alia criteria erunt applicanda. Si haec norma, de qua quaestio movetur, ut norma obligans proponatur, veritas inquirenda est per reso-

lutionem conclusionis, quae proponitur, in principia moralia quae subiectam materiam regunt. Si autem, post diligentem inquisitionem, haec resolutio fieri non possit, propter defectum motivorum, quae nexum necessarium ostendere non valent, habebimus de obligatione opiniones probabiles, quae, qua tales, unum certum probant: quod veritas obligationis nobis latet, et quod dantur tantum vestigia, argumenta, ipsam suadentia, sed fallibilia. Ad quid tenetur homo prudens, cui post diligentem inquisitionem, veritas non constat, sed habet tantum probabiles rationes ad illam asserendam?

Hoc nobis patebit ex analysi secundi quaesiti sub luce principiorum S. THOMAE. « *Nemo ligatur aliquo praecepto nisi per scientiam illius praecepti* ».

Quaestionem istam expresse tractat S. THOMAS in « *De veritate* », Quaest. XVII, art. 3.

Verba relata sunt Sancti THOMAE. Sensus facile percipitur ex toto contextu. Quaerit, « utrum conscientia liget? » « Respondeo dicendum quod conscientia, procul dubio ligat ».

In corpore articuli ostendit conscientiam ligare et simul quomodo liget. Ligat, nam est « applicatio *scientiae* ad actum ut dirigens ipsum » (art. 1, in c.). Secundum hoc est quod ligat: « Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiae ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi praecepti divini » (art. 3, in c.). At quomodo ligat? « *Vi praecepti divini* »... « Actio enim qua voluntas movetur est imperium regentis et gubernantis.

Unde Philosophus dicit in v Metaph., quod rex est principium motus per suum imperium. Ita etiam se habet imperium alicuius gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum

coactionis ipsius ad rem in qua agit; unde nec ex imperio alicuius regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur; attingit autem ipsum per scientiam. *Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti.* ... Sicut in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus praeceptum non ligat nisi per scientiam; et ideo sicut est eadem vis qua tactus agit, et qua virtus agentis agit,... ita eadem virtus est qua praeceptum ligat et qua conscientia ligat; *cum praeceptum non liget nisi per virtutem scientiae, nec scientia nisi per virtutem praecepti.* Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiae ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi praecepti divini ».

Non multa addenda sunt ad intelligentiam et vim doctrinae, quae in hoc loco traditur, explicandam. Agitur de loco classico et a Sancto Alphonso egregie commentato (4). Notare sufficiat ea quae sequuntur: « Conscientia est applicatio notitiae ad actum »; ex qua homo « per actum suae cognitionis, qua legem ab alio factam cognoscit, ligatur ad legem implendam » (*ibid.* ad primum). Ligamen fit per « contactum » praecepti; praeceptum autem non attingit hominem nisi per « *scientiam* » ipsius.

Quod autem scientia requiratur proprie talis, patet: 1 - *ex sensu litterali* a quo non est recedendum nisi contrarium evidenter probetur; S. Doctor constanter de scientia loquitur vel de notitia, quod idem est; 2 - *ex comparationibus;* voluntas movetur per imperium regentis; quod est *pricipum motus.* Ubi autem aliquis est determinatus ad duo « non determinatur ad unum eorum nisi per aliquid movens ipsum. Intellectus autem non movetur nisi a duobus; scilicet a proprio obiecto et a voluntate... » (*Ibid* q. xvi, a. 1). Sed proprium obiectum non habet virtutem determinandi intellectum nisi per scientiam. Id magis evincitur ex me-

(4) *O. c.* L. 1, n. 58 et seq.

taphora *ligaminis corporalis*: imperium attingit hominem tantum per scientiam, sicut ligamen physicum per contactum. Notae, quae a S. THOMA hic ponuntur, solum in scientia habentur, minime vero in opinionibus. 3 - *Patet maxime ex ipsa rei natura*: conscientia est vox Dei et in tantum ligat in quantum vox Dei est. Effectus praeconis conscientiae est moralis obligatio homini imposita obediendi praecepto divino; moralis obligatio certissime tenens sub reatu peccati et poenae correspondentis. At effectus nequit superare virtutem causae. Eam certo superaret si absque scientia praecepti, quae unice certos nos facit de ipsius existentia cogeremur ad certam observantiam praestandam sub reatu certi peccati. Ergo sine scientia praecepti praeceptum secundum S. THOMAM non ligat, non obligat.

Haec est sententia quam proposuit SUÁREZ, quam amplexus est S. ALPHONSUS, et quam ex principiis S. THOMAE, S. ALPHONSUS autumat se posse certe demonstrare.

Utrum merito Doctor Moralis asserat « ex omnibus dictis evidenter apparet moralis certitudo sententiae nostrae, vel potius sententiae D. THOMAE », lector iudicabit, postquam sine praeiudiciis legerit loca S. THOMAE quae a S. ALPHONSO invocantur eaque interpretatus fuerit secundum normas criticae theologicae. Tunc ipsi apparebit utrum hic frequens recursus ad S. THOMAM sit rationibus scientificis fundatus, vel potius, ut existimat P. DEMAN, « *une pieuse insistance* » (5).

Melius omnino P. RICHARD, O. P. (6) concludit: « Quand la licéité est seule en question, c'est le principe même de ce raisonnement qui est *douteux*: c'est-à-dire la loi, la règle, la mesure. Nous manquons de point d'appui: c'est le fondement de l'édifice qui se dérobe et nous fait défaut. Nous sommes alors relativement à la pratique dans

(5) *O. c.*, col. 585.
(6) *Etudes de Théologie Morale* II, p. 319.

la situation qui résulte de l'absence d'un principe pour un raisonnement déductif dans la spéculation ».

Sit ergo conclusio nostra: secundum Sanctum Thomam, *sicut opinio non est scientia, sic opinio praecepti non est scientia praecepti. Ubi autem scientia praecepti non habetur, neque praeceptum habetur. Ubi praeceptum non habetur, libertate fruimur.*

Hoc autem dixerunt Suárez et S. Alphonsus cum principium enunciaverunt: « Lex dubia non obligat ».

Hoc autem est principium fundamentale probabilismi.

Conclusio ex Sancti Thomae principio

Ubi ad efformandum dictamen conscientiae, nulla alia principia, post diligentem inquisitionem, occurrunt, praeter opiniones probabiles circa ius, licite certo agit qui se liberum ab omni obligatione in casu declarat.

Sic proponendam censuimus thesim probabilismi, ut id quod proprium et essentiale est in hoc systema, separetur ab applicationibus in quibus, ex causis a probabilismo alienis, deficere quis potest.

Probabilismus enim, ut ex historica ipsius expositione constare nobis videtur, solum solvit problema de efformatione conscientiae in casu in quo de norma actionis ponendae nobis non constat certo, per scientiam ipsius; sed tantum circa ipsam habemus opiniones probabiles. De hac norma, quae rationibus tantum probabilibus nobis manifestatur, dicimus: *caret conditione essentiali ut sit norma imperativa conscientiae nostrae.* Inhaerendo principio Sancti Thomae, quod nemo ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius; accipiendo ab ipso S. Thoma quod opinio, dum manet opinio, i. e. dum non demonstratur argumentis apodicticis sed probabilibus tantum, efficientiam scientiae habere non potest, concludimus simpliciter pro omni opinione, abstinendo a quaestione de gradibus probabilitatis, et de probabilitate comparativa. Lex,

aut praesentatur ut certa, aut non; quaecumque opnio, quae manet tantum probabilis in quocumque gradu, dummodo non attingat certitudinem, utique saltem moralem; eamdem habet vim ad conscientiam ligandam; i. e. vim dubiam, quam ut nullam habemus.

Qui nullo vinculo morali adstringitur, in casu liber est. Qui autem liber est, licite sequitur unam vel alteram opinionem, vel nullam.

Perdunt igitur tempus et oleum qui contra probabilismum convertunt regulas criticae, quibus ostendere conantur impossibile esse sequi aliquam opinionem ut probabilem, nisi prius excludatur probabilitas opinionis contrariae.

Hoc autem experientiae scientificae contrarium habemus, sed neque probabilismo noceret. Verum est ita locutos esse primos assertores probabilismi, MEDINA et SUAREZ; sed in ratione loquendi de liceitate sequendi opinionem contra legem, non loquebantur de liceitate logica, etsi illam non excluderent, sed de liceitate morali, quae componi potest cum sequela speculativa et logica opinionis pro lege ut MEDINA loquebatur, nam secundum ipsum licet agere contra opinionem propriam (7). Probabilismus contemplando opiniones non inniti nisi argumentis probabilibus, non tenetur adhaerere alicui opinioni, sed comprobare insufficientiam illarum ad obligationem inducendam.

Nullus hic sinceritatis defectus: nulla in amore erga veritatem negligentia, ut timet P. DEMAN (8).

Ad prudentiam humanam pertinet non pertinaciter adhaerere proprio iudicio, ubi contra opinionem nostram graves et periti doctores militant; ad serenum animum pertinet vincere praeiudicia, non semper ex amore veritatis provenientia; et aequo iudicio ponderare rationes quae opinioni propriae adversantur; demum ad prudentiam humanam pertinet conscientiam non ligare sub poena pec-

(7) Cf. PERIODICA XXV (1936) p. 44*.
(8) *O. c.*, col. 607 ss.

cati ad aliquid faciendum vel omittendum, antequam voluntas Dei sapientis legislatoris sufficienter manifestetur. Itaque sincere et recte agit, qui se liberum declarat ab obligatione, ubi haec non nisi per opiniones probabiles manifestatur.

Consulto abstinuimus ab ordinandis opinionibus, tamquam agmina, quae pro lege vel contra legem decertant, pro libertate et contra libertatem.

Haec enim ratio loquendi, etsi, bene explicata, recta sit, tamen immittit praeiudicium, quo constanter ducuntur adversarii probabilismi, concedendi, scilicet, legi de qua dubitatur utrum vivat, aliquam vitae speciem. Optime notat P. Mancini, S. S. (9) quaestionem moveri de obligatione vel non-obligatione, quae unice ex certo praecepto oriri potest. Lex, equidem, maxime lex divina, est norma perfectionis obiectivae actionum humanarum, contra quam nefas reputatur bellum movere. At sequitur amorem verae legis nos ducere debere ad eamdem reverentiam exhibendam etiam legi dubiae? Lex quidem amabilis et amanda: dubium circa legem, sicut intellectum determinare non potest, neque voluntatem movere potest ad actum amoris eliciendum erga id de cuius existentia dubii sumus.

Inquiramus sollicite testimonia de lege Domini; dum vero testimonia dubia manserint, animum et studium convertamus ad observanda praecepta certa; non enim deest nobis lumen divinum ad semitas nostras per viam iustitiae et perfectionis christianae dirigendas, ut teneamus amplecti, umbras, et incerta vestigia opinionum humanarum.

Abstinuimus deinde a considerationibus de promulgatione legis quibus multum insistit S. Alphonsus (10).

Quae a S. Alphonso dicuntur, si animo sincero accipiantur, vera omnino sunt; tamen, cum quaestio de necessitate promulgationis legis diverso modo sit proponenda in diversis legibus, et concors sententia non habeatur inter

(9) *Nuovo esame dei sistemi circa la coscienza morale*, Messina 1934.
(10) *l. c.*, n. 57 s.

auctores, malumus, inhaerendo S. Thomae, *de applicatione legis* loqui, quae ad actus particulares non fit nisi per scientiam legis.

Dubium de lege facit ut lex non applicetur agenti, qui, consequenter, per illam non ligatur. Obligatio legis pendet tamquam a sua causa efficienti ab imperio legislatoris; sed ut iterum repetamus cum S. Thoma, « nec ex imperio alicuius regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium *attingat* ipsum cui imperatur; *attingit autem ipsum per scientiam* ». Ergo ut imperium effectum suum producat, scientia omnino necessaria est.

Contra ipsum S. Thomam agere videtur P. Deman, dum acriter invehit in S. Alphonsum, ex eo quod asserit necessitatem promulgationis legis *ut certae*.

Ait P. Deman (11), hoc affirmari a S. Alphonso in vi conceptionis eius, quod notitia legis est fundamentum obligationis. Sed haec conceptio ait P. Deman, est falsa; nam notitia supponit promulgationem, quae est actus positivus legislatoris, anterior notitiae et ab ipsa independens; posita promulgatione a legislatore, lex obligat... Iam vero dubia quae occurrere possunt, non attingunt legem nec legislatorem, quibus infirmitas cognitionis nostrae nullo modo imponi potest.

Unde, pro ipso, dubium a lege non substrahit sed potius considerari debet tamquam manifestatio realitatis possibilis ad quam attentio praestanda est. « Le doute est, prosequitur R. P., une suppléance de la connaissance certaine, grâce à quoi, quand même celle-ci ne nous est pas donné, nous évitons de porter atteinte à l'ordre des choses, dont la loi est l'expression ».

Ut responsum demus, observamus, ne de verbis moveatur lis, S. Alphonsum loqui de necessitate manifestationis legis ut obliget; de hac manifestatione ait eam certam esse debere; dum de promulgatione loquitur, evidenter non lo-

(11) *O. c.*, col. 583 ss.

quitur de promulgatione in *actu primo*, in solo legislatore existente, sed de promulgatione *in actu secundo*, qua lex « innotescit homini cui promulgatur ». Hac simplici observatione ruit tota argumentatio P. Deman. Quae ipse ait, valent de promulgatione in actu primo; non vero de promulgatione in actu secundo, quae non est nisi applicatio imperii, de qua S. Thomas.

Dubium circa legem unicam imponit obligationem: investigare ut certitudo obtineatur; interea, dubium imponi conscientiae non potest, tamquam certitudinis vicarium. Stante dubio positivo, idem dicas stante opinione probabili, nec intellectus ex inclinatione in veritatem, nec voluntas ex amore bonitatis, illud amplecti possunt ut in illo quiescant, etsi ad interim. Dubium et opinio coniungi possunt cum falsitate et a rectitudine obiectiva deficere possunt, pari modo ac possunt cum illa convenire. Curnam ergo vitare debeamus id quod forte praeceptum est, vel agere id quod forte prohibitum est?

Merito in his adiunctis concludimus: cum ordo obiectivus, in concreto, hic et nunc, nobis lateat, hunc ordinem imponere non possumus actionibus nostris. Sed quid si realitas illa, quae ut possibilis tantum per dubium denuntiatur, re vera existat? Aderit quidem materialis deordinatio, quam Sapiens Legislator certo praevidit et illam ordinavit tamquam pars ordinis generalis et supremi ex quo homini imponitur necessitas conformandi actiones proprias dictaminibus conscientiae; conscientia autem bona est non solum praecipiens vel prohibens sed etiam *permittens;* aderit illa conformatio de qua loquitur S. Thomas, *secundum bonum apprehensum* etsi forte desit *secundum materiale obiectum actus* (12); quae sufficit ad substantialem bonitatem actionis humanae. Quae si prae oculis habeantur, non difficile erit lectori iudicium sibi efformare circa animadversiones, quas in probabilismum facit P. Deman in fine suae dissertationis.

(12) Cf. *Periodica* XXV (1936) p. 40 *

Plurima fundantur in confusione inter ordinem obiectivum et ordinem cognitionis nostrae. Iam vero in ordine cognitionis nostrae solum certitudo est per se connexa cum veritate; ceteri status mentis minime. Optime fieri potest ut quae probabiliora videntur falsa sint, dum quae minus probabilia videbantur vera sint. Unde amor veritatis non cogit nos ad amplectendam probabilitatem tamquam normam veritatis moralis actionum nostrarum.

Tamdem unum vellem adhuc notare antequam finem imponam. Fatente P. Deman probabilismus hodiernus gaudet multiplici favore Ecclesiae (13). Quocumque modo hic favor consideretur, plurimum systema commendatur.

In primis, Codex Iuris Canonici in can. 15 statuit: « *Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent* ».

Ultro concedimus quod ex hoc non sequitur in favorem probabilismi, leges dubias *non posse habere vim obligandi;* nam quod non obligent, sufficienter explicari potest ex positiva voluntate legislatoris sic statuentis.

Probabilismum tamen tuetur ab impugnationibus quae petuntur ex consequentiis quae, dicunt, pro disciplina vitae christianae sequuntur ex usu systematis probabilismi; quasi vita christiana labefactaretur ex usu probabilismi; quasi, de facto, relaxatio morum sit timenda, nisi probalismus extirpetur.

Ecclesia statuendo canonis 15 praescripta, non tam legem fert, quam normam ad leges ecclesiasticas interpretandas, constituit. Haec norma alia non est quam principium fundamentale probabilismi.

Si applicatio huius normae est eversiva disciplinae ecclesiasticae, Codex proponit ut normam interpretationis ipsius, normam ex qua eversio disciplinae Ecclesiae praeparatur. Si vero hoc principium, ut norma a legislatore applacata, est rationabile, et minime aptum ad mores christianos relaxandos, etiam erit rationabile a privatis appli-

(13) *Cf. c.*, col. 601, 606.

catum; nam normae interpretationis sumuntur quia rationabiles, non e contra.

Videant auctores qui probabilismum impugnant, ne contra ipsam matrem Ecclesiam, quae probabilismo utitur in suis legibus interpretandis, qui usum probabilismi sine ulla restrictione in iurisprudentia et vita quotidiana fidelium admittit, arma convertant. Tolerari ab Ecclesia non potest, ut doceatur et ad praxim deducatur doctrina quae contra morum integritatem attentat, vel quae christianos saltem ab studio perfectionis christianae retardaret. Si probabilismum admittit, aut deficit a munere fovendi vitam christianam, aut probabilismus nihil horum in se continet.

Tandem ne plus a probabilismo exigatur, quam in eo continetur. Probabilismus non est fundamentum Theologiae moralis, neque systema ad integram vitam christianam moderandam. In disputationum decursu plus aequo hoc repetitur. Medina, Suárez, non tale momentum concedunt probabilismo.

Postea vero, tempore decadentis (14) theologiae, circa finem saeculi xvii, occasione controversiarum moralium, apparere coeperunt tractatus de conscientia, in quibus systema morale ut fundamentum Theologiae moralis venditabatur.

Probabilismus docet tantum solutionem dubii speculativi, quod oritur ex opinionibus auctorum, christianos declarando liberos ab obligatione quae tantum per opiniones probabiles manifestatur. Quid vero homo liber postea facturus sit, a probabilismo non iudicatur. Quod quis iudicet probabile id quod probabile non est, et inde temere agat, hoc non procedit ex probabilismo, sed ex eadem communi causa ex qua quis iudicat probabilissimum vel certum quod vix est probabile: quia « *homines evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* » (*Rom.* I 22).

---

(14) Cf. Grabmann, *Geschichte der Katholischen Theologie*, p. 192.

Neque in practica agendi ratione,et in vita christiana moderanda, severior et tutior invenitur directio apud illos qui severiores sententias sectari videntur, quam apud illos qui sincero probabilismo ducuntur.

Neque magis ad perfectionem ducit, obligationes multiplicare et reatum peccati imponere ubi Deum illud imposuisse non constat; in hoc enim toto corde amplectimur prudentissimum monitum S. Alphonsi: « res admiratione digna est videre aliquos nullum reputare tutiorem modum salvas faciendi animas, quam eas per semitas asperiores ducere; sed non minus isti errant quam illi qui conscientias per laxiorem perducunt viam; non solum enim rationem Deo reddere tenemur de nimia indulgentia, verum etiam de nimia rigiditate qua conscientiae animarum illaqueantur, quod proprie est (iuxta S. Antoninum) *aedificare ad gehennam* » (15).

« *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba* (*Pater*) (*Rom.* 8, 15).

Ulpianus Lopez, S. I.

De transitu religiosi de una classe ad alteram eiusdem religiosi instituti

I

Petrus, tonsura accepta, in clericali ordine professionem votorum temporalium emisit, sed in secundo anno votorum temporalium ob difficultates quas in studiis experitur cupit ad alteram classem eiusdem ordinis transire.

Quaeritur relate ad *tonsuram* Petri: qualem tonsuram gerit Petrus; num transiens ad alteram classem propter transgressionem ad statum laicalem Petrus prohibetur deferre tonsuram; num Petrus, post regressum ad statum lai-

(15) *O. c.*, n. 89.

calem per transitum ad alteram classem, postea iterum transire potest ad priorem classem clericalem?

A — *Qualem tonsuram gerit Petrus?*

Probabiliter Petrus habet solam tonsuram *monachalem* (1), non vero tonsuram clericalem. De tonsura enim *clericali* valet praescriptum can. 976 § 1 « nemo ... ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum », atque can. 589 § 1 biennium statuit pro studiis philosophicis, quae cursum theologicum praecedant oportet. Quomodo vero Petrus secundum annum agens votorum temporalium iam cursum philosophicum absolvere potuisset, nisi in schola studiis philosophicis incubuisset tempore noviciatus? Sed haec studia philosophica certo in primo noviciatus anno prohibentur iuxta praescriptum can. 565 § 3 « neve dedita opera studiis vacent ... scientiarum »; deinde usus non est saltem haec studia in secundo noviciatus anno peragere, quamquam haec studia stricto sensu non prohiberi videntur (2); quare probabiliter Petrus, nondum per duos annos vota temporalia professus, in religione tonsuram clericalem non accepit; potuit tamen Petrus, iam clericus factus in saeculo, religionem fuisse ingressus.

B — *Num Petrus transiens ad alteram classem tonsuram gestare prohibetur propter transgressum ad statum laicalem?*

Si tonsura est *monachalis* tantum, evidenter iuxta regulas ordinis eam deferre non potest Petrus ab initio novi-

---

(1) De tonsura monachali vire *Periodica* XV (1926) p. (68) ss.

(2) Normae S. C. Ep. et Reg. 28 iun. 1901, in art. 74, expresse permittebant in secundo anno noviciatus « studiis ... moderate vacare », atque, ut ait VERMEERSCH (*Ep. iur.* I, n.° 711), « nullum est in Codice indicium prohibitae per alterum noviciatus annum utilis istius experientiae »; neque instructio S. C. de Rel. 3 nov. 1921, quae ceteroquin pro solis religiosis Congregationibus habet vim legis, haec studia interdicit, dummodo « ante omnia quaelibet munia disciplina spiritualis vitae apprime curetur ». Quia tamen studia philosophica dedita opera peracta facile obstaculum afferre possunt fini primario secundi quoque anni noviciatus, sine gravi causa videntur potius dissuadenda.

ciatus pro altera classe. Quid vero dicendum si tonsura Petri est *clericalis?* Quamdiu clericus non est regressus ad statum laicalem secundum praeceptum can. 136 § 1 deferat oportet « tonsuram seu coronam clericalem ». Quomodo autem transgreditur clericus *minor* ad statum laicalem? Triplici modo, scil. *aut* ex decreto Ordinarii loci iusta de causa lato, quod decretum in casu nostro non habetur; *aut* ob causas in iure descriptas scil. ob matrimonium (can. 132 § 2), ob illicitam dimissionem habitus ecclesiastici vel tonsurae (can. 136 § 3), ob militiam sine debita licentia susceptam (can. 141 § 2), ob dimissionem e religione (can. 648, 669 § 2), ob delictum contra sextum praeceptum (can. 2358), ob professionem nullam ex dolo (can. 2387); *aut* ex sua ipsius clerici voluntate, praemonito loci Ordinario (can. 211 § 2). Iamvero sola tertia causa consideranda est cum nulla causa in iure descripta statuit regressum ad statum laicalem nec propter liberum egressum e religione elapso tempore votorum temporalium (3) nec propter transitum ad alteram classem eiusdem religiosi instituti; quaeritur itaque utrum transitus in alteram classem involvat voluntatem clerici regrediendi ad statum laicalem?

Regressus in saeculum non per se hanc voluntatem exprimere videtur; aliud dicendum de ipso matrimonio, nam ut recte notat Coronata (*Inst. iur. can.*, I, n. 298), implicite conceditur transgressio ad statum laicalem, si ex rescripto S. Sedis vel ex dispensatione iuxta can. 1043-1046, clerico in ordine maiori constituto, excepto presbyteratu, facultas praebetur ineundi matrimonium; quare forsan praescriptum can. 132 § 2 pro clerico minore dici posset abundare. Si autem in ordine religioso duae habentur classes distinctae *clericalis* scil. quae opponitur classi *laicali,* qui transit ad classem *laicalem* videtur omnino implicita propria sua voluntate transgredi ad statum *laicalem.* Illa transgressio ad statum laicalem est tandem determinata seu perfecta

(3) Vide A. Ellis, in *Periodica,* xxv (1936), p. 53* ss.

post noviciatum pro illa altera classe peractum et deinde vota emissa; quamdiu vero clericus in altero noviciatu experimentum suae vocationis sumit, nondum videtur transgressio ad statum laicalem peracta.

Debetne praemoneri Ordinarius loci de voluntate Petri transgrediendi ad statum laicalem? Si praemonendus est Ordinarius loci, praemonitio tandem facienda est immediate ante novam *professionem* in classe laicali, peracto novo noviciatu. Dein haec praemonitio solummodo facienda est si Petrus *incardinatus* est dioecesi alicuius Ordinarii loci, ut evidenter patet ex textu can. 212 § 1. Si Petrus in ipso ordine religioso clericalem suscepit tonsuram, hac susceptione tonsurae *non* est incardinatus dioecesi, cum hac tonsura non sit promotus servitio dioecesis (can. 111 § 1) (4); si Petrus iam in saeculo clericus factus tonsura clericali suscepta ingressus est religionem, hac tonsura promotus fuit servitio alicuius dioecesis, cui igitur est incardinatus (can. 111 § 1); iamvero professione temporali non amisit hanc dioecesim (can. 585), ergo praemonendus est Ordinarius loci dioecesis cui est incardinatus (can. 211 § 2).

Prohibet can. 213 § 1 clericum a clericali statu ad laicalem legitime redactum aut regressum « tonsuram deferre », quare Petrus certo post noviciatum novum emissa professione pro classe laicali tonsuram gerere non amplius potest; tempore noviciatus videtur tonsuram deferre posse, eam tamen gestare non debet propter verba can. 136 § 1 « nisi accepti populorum mores aliter ferant ».

C — *Num Petrus, post regressum ad statum laicalem per transitum ad alteram classem, postea iterum transire potest ad priorem classem clericalem?*

Volo hic dirimere hanc quaestionem, non ex relatione Petri ad vitam religiosam, sed ex consideratione tonsurae

(4) *Periodica*, XXV (1936), p. 54 *

olim a Petro acceptae; agitur vero de casu, quo Petrus in sua nova vocatione ad classem fratrum laicorum non perseverat, atque iterum redire cupit ad priorem classem derelictam nempe clericorum.

Si Petrus solam *monachalem* accepit tonsuram, ex causa tonsurae nulla habetur difficultas. Si Petrus vero *clericalem* accepit tonsuram, haec sacra ordinatio semel valide recepta numquam fit irrita (can. 211 § 1) ita ut collatio tonsurae non sit iteranda umquam (5). In suppositione autem quod Petrus fuerit clericus, si solum *noviciatum* egit pro classe laica, non videtur regressus ad statum laicalem, unde si redit ad classem fratrum clericorum non est quaestio de reditu ad statum clericalem cum semper Petrus clericus permanserit. Quando autem Petrus pro classe fratrum laicorum fecit *professionem*, regressus est ad statum *laicalem*. Ut nunc iterum assumatur in statum clericalem et tonsuram deferre possit, si fecit solam professionem *temporalem* et iam clericus factus in saeculo ingressus fuit religionem, cum maneat incardinatus dioecesi (can. 585), requiritur « *licentia* Ordinarii loci dioecesis, cui incardinatus fuit per ordinationem » (can. 212 § 1); si vero *aut* tonsuram clericalem accepit in religione (qua tonsura incardinatus numquam fuit: can. 111 § 2) *aut* tonsuram accepit quidem ante ingressum in religionem, sed pro classe laica iam fecit professionem *perpetuam* (qua professione amisit « propriam quam in saeculo habebat dioecesin » can. 585), nulla requiritur licentia Ordinarii loci sed sufficit licentia Superioris praesertim Ordinarii religiosi (6) sui ordinis.

(*Continuabitur fasciculo proximo*)

Hub. Beijersbergen, S. I.

---

(5) Vermeersch, *Ep. iur. can.*, ed. 5, I, n° 324; *Linzer quartalschrift*, 1936 p. 595; Coronata *Institutiones* I, n° 301.

(6) Coronata, *Institutiones*, I, n° 301 ex analogia putat necessariam esse licentiam Ordinarii religiosi ordinis.

De Calendario adhibendo apud Sorores Tertiarias

Anno 1904 S. Rituum Congregatio edixit: « Calendarium Romano-Seraphicum possunt adhibere non solum Tertiarii utriusque sexus divinum quotidie recitantes Officium; sed id ex instituto competit etiam Tertiariis Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolventibus; idemque calendarium adhibeatur in horum ecclesiis et oratoriis » (Decr. n. 4132 ad 1; vol. VI Index ed. 1 pag. 138; ed. 2 pag. 142). Quod decreto generali n. 4312 § 1 confirmatum est his verbis: « Ordines regulares proprium omnino habere debent calendarium, quod pariter adhibendum est a monialibus et sororibus eorundem Ordinum ».

Unde merito auctores idem docent, velut P. MATTHAEUS CONTE, *Il Terzordine Francescano*, n. 132, ubi alii auctores citantur.

Qua de re apud *Commentarium pro Religiosis* XVI p. 158-160 habetur consultatio, innixa responso S. Rit. C. diei 4 Iunii 1920 nondum publicato. Attamen ista consultatio ultra praemissas progrediens haud conformis dicenda est decreto n. 4312 § 1 eoque minus decreto 4132 ad 1. Equidem in factispecie citati responsi diei 4 Iunii 1920 (*Commentarium pro Religiosis* XVI p. 160) narratur sorores Dominicanas recitare Officium parvum beatae MARIAE Virginis cum Commemoratione Sancti illius diei. Quaesitum autem fulcitur solummodo decreto n. 4312 § 1 his verbis: « Utrum ex decreto S.R.C. sub die 28 Februarii 1914 sacerdotes celebrantes in ecclesiis et oratoriis Sororum Tertiariarum teneantur, quando celebrant Missam, se conformare calendario, quo utuntur Sorores? » Et responsum est simpliciter: « Affirmative ».

In citata consultatione porro gratis ex hoc responso deducitur: « Igitur, sola Officii parvi recitatio non confert

ius ad calendarium habendum; et quando Officio parvo adiungitur Commemoratio Sancti illius diei, cum haec debeat fieri iuxta alicuius calendarii ordinem, sororibus tertiariis *conceditur*, ut fiat secundum calendarium et ritum primi Ordinis in signum et confirmationem spiritualis coniunctionis cum eodem ». Quod, ut attente legenti ultro patet, non sequitur ex praemissis; etenim tam decretum 4312 § 1 quam decretum 4132 ad 1 ac praesens responsum diei 4 Iunii 1920 nequaquam requirunt eiusmodi commemorationem; quinimo decretum 4132 ad 1 ne Officium parvum quidem exigit, sed alias quoque preces admittit. Quod olim utique erat privilegium Ordinis Seraphici. At ex decreto 4312 § 1 id factum est ius commune pro monialibus et sororibus omnium Ordinum, profecto propter earum propinquitatem ac relationem cum primo Ordine. Neque usus calendarii regularis restringitur ad recitantes Officium divinum; desunt enim verba id innuentia ac simpliciter dicitur: quod (calendarium) pariter adhibendum est a monialibus et sororibus eorundem Ordinum. Neque iuvat obicere quod sorores non recitantes Officium divinum non indigent calendario regulari. Quod rem non evincit, quippe cum certe ad Missam in earum templis celebrandam opus sit calendario. Unde quaerendum superest, utrum dioecesanum an regulare adhiberi possit. Duplicem enim nexum habent istae sorores, tam cum dioecesi in qua vivunt, quam cum Ordine cui aggregatae sunt. Unde convenienter decretum 4312 usum calendarii regularis extendit ad sorores eiusdem Ordinis neque ad recitantes Officium divinum restrinxit.

Quae cum ita sint, eiusmodi restrictio arbitraria redarguenda est; nullum enim habet fundamentum in decreto, quo innititur responsum citatum diei 4 iunii 1920, immo decreto 4132 ad 1 adversatur aperte. Unde dicere oportet sorores tertiarias ius habere ad calendarium Ordinis primi, etsi solum Officium parvum aliasve preces recitent; assumpto vero calendario regulari stare debent sacerdotes

celebrantes in eiusmodi ecclesia vel oratorio semipublico principali.

Quod non est peculiaris concessio, ut ex responso diei 4 iunii 1920 haud obscure confirmatur, sed mera applicatio decreti 4312. Etenim ad alterum quaesitum, quo petebatur eiusmodi concessio, si primum quaesitum obtinuisset negativum responsum, simpliciter reponebatur « provisum in primo ». Unde nequaquam peculiari concessione opus est, cum sororibus tertiariis ex iure communi competat calendarium Ordinis sui.

Franciscus Xaverius Hecht, P. S. M.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Papa XI
Nuntius radiophonicus in pervigilio Nativitatis anni 1936

(*AAS* XXIX (1937) p. 1 ss.)

Ex pulcherrimo sermone, quem SS. Dominus noster, doloris strato alligatus, in pervigilio Nativitatis anni praeteriti, habuit ad Sacrum Collegium Em.orum Patrum Cardinalium, ad omnes Exc.mos Episcopos, ad Romanae Curiae Praelatos, ad Clerum regularem et saecularem et ad universos Ecclesiae Catholicae filios *has, quae sequuntur, partes cum Lectoribus nostris communicamus*:

Pro dolor! contra Dei intentum (1), qui pacem hominibus bonae voluntatis attulit, certat malitia complurium errantium atque divino illi Infanti adversantium qui caro fieri et inter nos commorari voluit, plenus gratiae et veritatis, ut de plenitudine Sua nos cuncti gratias ex gratiis reciperemus. Itaque Nos, cum redirent sanctissimi hi dies, et fere sine intermissione, quotiescumque Nobis opportunitas offerebatur aperiendi animum Nostrum non solum vobis sed universae magnaeque catholicorum familiae, con-

---

(1) Sic latine reddimus nuntium, lingua italica prolatum, ut vulgatum fuit apud *AAS l. c.*:

Pur troppo contro il volere di Dio, che venne a portare la pace agli uomini di buona volontà, lotta il malvolere di molti traviati e nemici del Fanciullo divino, che volle farsi carne e abitare in mezzo a noi, pieno di grazia e di verità, perchè dalla sua pienezza noi tutti ricevessimo grazia su grazia (*Io. 1, 26*). Onde Noi, già ad ogni ritorno di questi santissimi giorni, e quasi senza soluzione di continuità, ad ogni occasione dataCi di aprire il No-

stanter studuimus cum spiritualis gaudii vocibus significationem acerborum dolorum coniungere quibus paternum cor afficiunt tot gravissima mala quibus hisce temporibus affligitur, humanum genus, civilis consortio, Ecclesia; cum omnibus indicabamus gravissima atque instantia pericula, omnes hortabamur ad operosam vigilantiam et ad omnium bonarum voluntatum conspirationem adversus propagationem infensosque conatus qui semper iterantur in damnum praecipuorum bonorum societatis, familiae et singulorum, et praesertim cum omnes revocabamus ad vera illa remedia veritatis, iustitiae et fraternae caritatis quorum custos et magistra Ecclesia catholica divinitus est constituta.

Tristitiae sensus qui hoc anno gaudiis nataliciis admiscetur eo altior est ac gravior, quod etiamnum saevit una cum horrendo suo comitatu odiorum, stragum atque eversionum bellum civile in tali regione qualis est Hispania, ubi aestimaverit quis illam propagationem, illos conatus quos paulo antea significavimus, supremum periculum facere voluisse virium earum exitialium quae eorum arbitrio permissae et iamiam in cunctis regionibus diffusae apparent.

Novum monitum prae aliis gravissimum ac minacissi-

---

stro cuore non soltanto a voi, ma a tutta la grande famiglia cattolica, abbiamo sempre voluto unire agli accenti della gioia spirituale l'espressione degli acerbi dolori che al cuore paterno cagionavano i tanti gravissimi mali che in questi tempi sono venuti affliggendo l'umanità, il civile consorzio, la Chiesa, a tutti additando i gravissimi incombenti pericoli, tutti esortando alla vigilanza operosa e all'unione di tutte le buone volontà contro le propagande e gli sforzi nemici sempre rinascenti in danno dei beni più sostanziali della società, della famiglia e dell'individuo, sopratutto richiamando a quei veri rimedi di verità, di giustizia e di fraterna carità, di cui la Chiesa cattolica è l'unica depositaria e maestra divinamente costituita.

La nota dolorosa che si mesce in quest'anno alle gioie natalizie è tanto più profonda ed affliggente, mentre ancora divampa con tutti i suoi orrori di odi, di stragi e di distruzioni la guerra civile in un paese quale è la Spagna, dove si direbbe che quella propaganda, che quegli sforzi, cui sopra accennammo, abbiano voluto fare un esperimento supremo delle forze deleterie che sono a loro disposizione e sparse ormai in tutti i paesi.

Nuovo monito quant'altri mai grave e minaccioso per il mondo intero e principalmente per l'Europa e per la sua cristiana civiltà.

mum universo terrarum orbi ac praesertim Europae huiusque christiano cultui!

Indicia et denuntiationes tremendae veritatis atque evidentiae quid Europae et universo orbi paretur, nisi subito et efficienter ad defensiones ac remedia festinetur.

Inter eos tamen qui se asseverant defensores esse ordinis contra seditionem, humani cultus contra impii communismi propagationem, qui immo sibi in hac re principatum quemdam arrogant, Nos cum dolore videmus non paucos in eligendis rationibus ac viis et in iudicandis adversariis sese falsis funestisque notionibus quasi occupari ac dirigi sinere. Falsas diximus funestasque notiones: quia quicumque fidem in Christum et in divinam revelationem in hominum et praesertim iuvenum animis minuere vel exstinguere studet; quicumque Christi Ecclesiam, cui sunt concreditae divinae promissiones et divinitus commissa populorum institutio, ita exhibet tamquam esset aperta felicitatis ac progressus nationis inimica, non solum non est generi humano suaeque ipsius Nationi prosperitatis artifex, sed certissima et efficientissima contra minantia mala propugnacula pessundat et, licet inscius, iis operam navat adversus quos sese pugnare existimat vel praedicat.

Complures iam occasiones nacti sumus, etiam recenter,

Rivelazioni ed annunzi di terrificante certezza ed evidenza di quello che all'Europa ed al mondo intero si prepara, ove non si corra subito ed efficacemente alle difese ed ai rimedi.

Tra coloro, però, che affermano di essere i difensori dell'ordine contro il sovversivismo, della civiltà contro il dilagare del comunismo ateo, che anzi si arrogano in ciò il primato, Noi vediamo con dolore un non piccolo numero, che nella scelta dei mezzi e nella valutazione dei loro avversari si lasciano dominare e guidare da false e funeste idee. False e funeste: perchè chi cerca di scemare o di estinguere la fede in Cristo e nella divina rivelazione nel cuore degli uomini, e specialmente della gioventù; chi osa rappresentare la Chiesa di Cristo, depositaria delle divine promesse, educatrice per divina missione dei popoli, quale nemica dichiarata della prosperità e del progresso della Nazione, non solo non è artefice di felice avvenire per l'umanità e per lo stesso proprio Paese, ma distrugge i più efficaci e decisivi mezzi di difesa contro i temuti mali e collabora, sia pure inconscientemente, con coloro che crede o che si vanta di combattere.

Noi abbiamo già avuto occasioni parecchie, anche recentemente, per dire

declarandi quid semper senserit ac docuerit sancta Sedes Apostolica et, quantum fieri potuit, conata sit ipsa facere et una cum aliis praestare ad hesternum, immo hodiernum diem usque, maiora ac maiora in tempus futurum parando contra mala quae communi bono minantur.

Dicere opus non est Nos in his condicionibus non posse quin iteremus cohortationem, eamque instantiorem atque ex paterno animo suppliciorem, vehementissimamque commendationem qua toties iam compellavimus totius orbis fideles, omnes animos insigniter divino Cordi et Ecclesiae causae devotos, universum Episcopatum, totum Clerum saecularem ac regularem, cunctos Laicos et, maiore cum fiducia, eos fideles qui tanta cum fidei et christianae caritatis intellegentia, causam Christi et animarum procurant, hierarchico apostolatui in diversis Actionis Catholicae coetibus operam strenue navantes.

Cum singularis cuiusdam fiduciae sensu illas heroicas animas praesertim contemplamur quae sibi in apostolatum ipsum cotidianum laborem ipsasque infirmitates vertunt; et omnium potissimum candida illa agmina quae ex omnibus orbis partibus suaves suae puritatis odores ad caelum usque sursum mittunt, parvulos illos dicimus qui in Christum credunt et intimiore modo Ecclesiae sunt, utique quia prae ceteris omnibus diliguntur.

---

quello che la Santa Sede Apostolica ha sempre pensato ed insegnato e secondo le possibilità sue cercato di fare e di contribuire, fino a ieri, anzi fino ad oggi stesso, con sempre maggiori disposizioni per l'avvenire, contro le comuni minaccie per il bene di tutti.

Superfluo dire che, in tali condizioni, non può da parte Nostra che rinnovarsi più instante, più paternamente supplichevole, l'invito e la vivissima raccomandazione tante volte fatta ai fedeli del mondo intero, a tutte le anime particolarmente devote al Cuore divino ed agli interessi della Chiesa, a tutto l'Episcopato, a tutto il Clero secolare e regolare, a tutto il laicato, e con maggior fiducia a quello che, con tanta intelligenza di fede e di carità cristiana, zela gli interessi di Cristo e delle anime con la attiva partecipazione all'apostolato gerarchico nelle diverse formazioni dell'Azione Cattolica.

Il Nostro pensiero pieno di particolare fiducia va in modo speciale alle eroiche anime che fanno apostolato dello stesso lavoro quotidiano e delle stesse loro infermità: più particolarmente ancora alle candide schiere che da tutte le parti del mondo tramandano i profumi della loro purezza al Cielo, diciamo di quei piccoli, che credono in Cristo, e che appartengono in particolar modo alla Chiesa, appunto perchè da Cristo prediletti.

Hoc anno, dilectissimi filii, concessit divina Benignitas ut omnium orationibus, operibus, sacrificiis consociaremur, cum afflictionem experimur qua hactenus miro modo immunes servati sumus et quam eadem divina Bonitas confestim ac largissime mirabili animumque commoventi orationum consensu compensat, quae ex omni Ecclesiae parte his diebus et sine intermissione in communis Patris allevationem multiplicantur.

Nos amplissimo cordis affectu hanc opportunissimam occasionem complectimur ut cunctis gratias agamus de hac tam tenera tamque vehementi filialis pietatis demonstratione. Et licet valde parum sit quidquid patimur, si confertur cum eo quod tam promiscue atque acerbe inter homines toleratur, et cum eo praesertim quod ipse Christus, Caput, Conditor, Rex huius divinae Ecclesiae, nostra causa in animo Suo et in corpore passus est, velit nihilominus Dominus Nostram admittere oblationem, quae nunc et semper plane cum Eius sanctissima voluntate consentanea esse vult. Admittere, videlicet, ad gloriam Suam, hodie magis quam unquam impie oppugnatam,ad conversionem errantium omnium, ad pacem utilitatemque universae Ecclesiae et praesertim afflictissimae et hac ipsa de causa carissimae Hispaniae.

In quest'anno, dilettissimi figli, la divina Benignità Ci concede di contribuire alle preghiere, alle opere, ai sacrifici di tutti quanti con un esperimento di sofferenza fin qui mirabilmente risparmiatoCi, e che la stessa divina Bontà immediatamente e larghissimamente Ci compensa con un mirabile commovente consenso di preghiere, che da ogni parte della Chiesa in questi ultimi giorni e continuamente vanno intensificandosi a sollievo del Padre comune.

Noi cogliamo con la maggior ampiezza di cuore l'occasione così propizia per ringraziare tutti quanti di questa così tenera e così intensa prova di filiale pietà. E per quanto ciò che abbiamo a soffrire sia ben poco in confronto di quello che così largamente e penosamente si soffre nel mondo, di quello sopratutto che Egli stesso, il Capo, il Fondatore, il Re di questa Chiesa divina ha, nell'anima Sua e nel Suo corpo sofferto per noi, voglia non di meno Egli accettare l'offerta Nostra, che vuol essere ora e sempre in piena conformità col Suo santissimo volere; accettarla, diciamo, per la gloria Sua, ora più empiamente che mai combattuta, per la conversione di tutti gli erranti, per la pace e per il bene della Chiesa tutta quanta e in particolar modo della tribolatissima e anche per ciò solo carissima Spagna.

His cum intimis animi sensibus Nostrum facimus orbique terrarum remittimus caelestem Nativitatis nuntium: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus.*

. . . . . .

Nos invitant hoc anno (*scl.* S. Paulus et S. Silvester Pp., *quorum modo SS. Pater celebrationem, anno decurrenti habitam, commemoravit*) ut Rerum publicarum Moderatores populosque terrae nova et ferventiore pacis hortatione ex corde alloquamur, ut ibi custodiatur, ubi adhuc regnat, ibi instauretur, ubi eius non remanet nisi maesta memoria et tragicum neque hactenus expletum desiderium. Et cum hac totius orbis appellatione coniungitur — hodie si unquam fervens — supplicatio quam Deo facimus, illius « tranquillitatis ordinis » causa in qua una consistere potest pax, cum efficitur iustitia illa singulorum et societatis, sine qua nullus ordo esse potest. Hanc Nostram pacis invocationem ante Principis pacis incunabula reverenter deponimus.

Ita mente et corde ad speluncam Bethleemiticam revertimur et inde universum catholicum orbem contemplamur, ut gratias illi divino Puerulo, sapientissimoque Infanti agamus, qui se parvum reddidit ut amabilior evaderet et totum humanam gentem ad Semet, ad Crucem Suam, ad Suum

---

Con questi intimi sentimenti dell'animo facciamo Nostro e rimandiamo al mondo il celeste messaggio natalizio: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus.*

. . . . . .

Ci invitano in quest'anno a rivolgere ai governanti e ai popoli della terra una nuova, ancor più fervida ed accorata esortazione alla pace; al suo mantenimento, ove essa ancora regna, al suo ristabilimento, ove essa non è più che un doloroso ricordo e una tragica, finora pur troppo, insoddisfatta brama. E con questo appello al mondo si congiunge — oggi più che mai fervorosa — la Nostra supplica a Dio, per quella *tranquillitas ordinis*, in cui sola può consister la pace, per l'attuazione di quella giustizia individuale e collettiva, senza la quale nessun ordine è possibile. Questa Nostra preghiera di pace Noi deponiamo reverenti dinanzi alla culla del Principe della pace.

Noi ritorniamo così col pensiero e col cuore alla grotta di Betlemme, e di là diamo uno sguardo a tutto l'Orbe cattolico, per ringraziare quel Fanciullo divino, sapientissimo infante, che si fece piccolo per essere più amabile e attrarre tutto il genere umano a Sè, alla Sua croce, al Suo ovile, alla

Ovile, ad Suam Ecclesiam, ad Triumphum Suum attraheret. Ille hodie inter Nos adstat et una cum Eo Eius Vicarius manum Suam elevat ut vobis omnibus benedicat, filii dilectissimi, invocetque super omnes illam favorum ac gratiarum copiam quam mundum ingressus, tamquam aeterni atque immortalis triumphi semina, hominum bonae voluntatis gratia, super illius faciem sparsit.

Et Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

2 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Litterae Encyclicae *Vigilanti Cura*, 29 iunii 1936

DE CINEMATOGRAPHICIS SPECTACULIS

(*AAS* XXVIII (1936) p. 249 ss.)

VENERABILIBUS FRATRIBUS FOEDERATARUM AMERICAE CIVITATUM ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

INTRODUCTIO

Occasio et Argumentum (1)

[1] VIGILANTI CURA, ut Nostrum deposcit apostolicum officium, laudabilem omnem sacrorum Antistitum totius-

---

Sua Chiesa, al Suo trionfo. Egli è oggi in mezzo a noi e, in unione con Lui il Suo Vicario leva la mano per benedire voi tutti, dilettissimi figli, e invocare sovra tutti quell'abbondanza di favori e di grazie, che Egli è venuto a spargere, come semi di eterno trionfo imperituro, sulla faccia della terra per gli uomini di buona volontà.

Et Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

(1) Tituli, subtituli et numeri marginales nostra manu sunt appositi.

que christiani populi operam prosequimur; atque adeo summo cum animi gaudio certiores facti sumus providum illud inceptum salutiferos iam edidisse fructus, atque ad uberiores usque contendere utilitates, quod vos plus duobus abhinc annis eo consilio instituistis peculiarique modo « Legioni a decentia » efficiendum credidistis, ut, sanctissimum veluti certamen, cinematographicae artis pravitatem compesceret.

[2] Id optatam diu Nobis affert opportunitatem, ut satius mentem Nostram hac de re aperiamus, quae ad totius christianae plebis mores religionemque tam arctissime pertineat. At primum, quod Vobis ducibus ac magistris, et christifidelibus adiutricem vobis navitatem suam praestantibus, Legio ista, hoc in apostolatus campo, tam sollerter allaboraverit, eo vehementius gratulari vobiscum cupimus, quo sollicitiore animo videbamus hanc eamdem artem eiusdemque generis industriam illuc, quasi « per magnos passus extra viam » evasisse, ut prostarent omnibus, luce expressa, vitia, scelera, delicta.

PARS PRIMA

Conspectus Historicus [3-17]

Quo pacto hucusque arti cinematographicae invigilaverint tam ipsa Sancta Sedes quam Antistites Americani SS. Pontificis admonitiones praeviae

[3] Altissimi officii Nostri partes duximus, quotiescumque Nobis obversabatur occasio, non modo Episcopos compellare ceterosque e clero, sed omnes etiam, quotquot sunt probi volentesque homines, ut gravissimam huiuscemodi causam intento animo considerarent.

[4] Iam scilicet in Encyclicis Litteris « Divini illius Magistri », idcirco conquesti sumus quod « validissima eiusmodi ad quidvis evulgandum subsidia, quae, si ad sana principia apte regantur, eruditioni magnopere atque edu-

cationi prodesse queant, saepe — proh dolor — provehendis vitiorum illecebris sordidisque quaestibus serviunt ». (*A. Ap. Sed.*, 1930, vol. XXII, p. 82). Atque anno MDCCCCXXXIV, mense augusto, cum aliquot, coram admissos, e foederatione illa alloqueremur, cuius est in quibusvis Nationibus ephemerides scriptionesque edere, quae ad cinematographea attineant, horum spectaculorum momentum nostra hac aetate ingravescens indicavimus, eorumque gliscentem vim, cum ad virtutem, tum ad vitia suadenda; ac praeterea animadvertebamus omnino necesse esse cinematographicis scaenis ea praescripta tribuere, quae grande ingenuae artis munus regant ac moderentur, ut christiana, quin immo humana ipsa ad naturalem legem composita, morum ratio iniuria probroque non afficiatur. Iamvero ars quaelibet nobilis in id potissimum nitatur oportet, eoque suapte natura spectet, ut debita hominem probitate virtuteque perficiat; atque adeo sit ad moralis disciplinae principia ac praecepta redacta. Exinde vero necessitate consequi monebamus, probantibus equidem lectissimis illis viris, — grata adhuc subit recordatio animum — opus esse prorsus cinematographicos ludos ad rectas normas conformari, ut ad vitae integritatem verique nominis educationem spectatores omnes excitent.

[5] Ac recens quoque, superiore nempe mense aprili, cum grato animo nonnullos coram admisissemus, qui Romam in congressum e variis Nationibus convenerant, ut de cinematographicis scriptionibus vulgo edendis causam agerent, huius negotii momentum gravitatemque iterum proponebamus; itemque, religionis nomine non modo, sed civilis etiam in ordine morum prosperitatis, omnes cordatos homines adhortabamur, ut scriptis prelo excussis omnique ope contenderent, quo cotidie magis id genus spectacula ad sanam institutionem educationemque valerent, non vero ad animarum ruinam earumque interitum.

Opportunius nunc idem argumentum amplius evolvendum

[6] At tanti ponderis res est, perspectis praesertim civilis nostrorum temporum societatis condicionibus, ut opportunum Nobis videatur eam iterum per has Litteras magisque enucleate edisserere, vobis non solum, Venerabiles Fratres, sed universis etiam catholici orbis Episcopis impertientes praecepta, praesentibus necessitatibus consentanea. Siquidem pernecessarium est ac penitus urget id providere atque efficere, ut quidquid ex Dei munere progrediens aetas in humanas disciplinas ac vel in ipsas technicae industriae artes invexerit, ita divinae gloriae, animarum saluti et Iesu Christi propagando regno reapse inserviat, ut omnes, quemadmodum Ecclesia nos precari iubet, « sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna ».

[7] Iamvero facile omnibus in comperto est cinematographicam rem quo mirabiliora susceperit incrementa, eo evenisse morum integritati, Religioni ac vel ipsi civilis consortionis probitati perniciosiorem.

Remedii tentamen ex parte praesulum industrialium initum: « *Codex moralis* » *an.* 1930 *in Statibus Americae Foederatis sancitus. Frustra*

[8] Quamobrem ii etiam, qui in Foederatis Americae Civitatibus id genus industriae praesunt, huius rei rationem atque periculum in se recepisse professi sunt, non modo ad singulos quod attineret cives, sed ad universam etiam hominum communitatem. Etenim anno MDCCCCXXX, mense martio, sponte sollemniterque sanxerunt ac polliciti sunt — datis in id scriptis communi consensione subsignatis ac typis editis — se esse in posterum eorum, qui cinematographicos ludos celebraturi essent, honestatem tutaturos. Ac nominatim per eiusmodi acta spoponderunt nullam se unquam esse imaginum seriem exhibituros, quae rectos spectatorum mores demitteret, quaeque vel natura-

lem humanamque legem detrectaret, vel eiusdem violationem suaderet.

[9] Nihilo secius, quamvis haec laudabili sane consilio statuissent, ii tamen, quorum causa esset, itemque imaginum effectores, vel non posse vel prorsus nolle, ex suscepta ultro obligatione, id exsequi visi sunt. Quamobrem, cum ex paene irrita illorum voluntate vitia ac scelera in cinematographeis exhiberi pergant, probus quisque plerumque prohibetur quominus, honestae oblectationis gratia, hisce spectaculis intersit.

Episcoporum ductu fundatur « Legio a decentia »

[10] Quibus in gravissimis rerum adiunctis, vos prae primis, Venerabiles Fratres, modis rationibusque studuistis, quibus creditum vobis gregem ab ingruente istiusmodi discrimine tueremini; idque fecistis, cum « Legionem a decentia » sacram veluti aciem instituistis, cuius opera optima quaeque proposita ac principia, ad naturalis christianaeque probitatis normas conformata, excitata tandem revirescerent. Qua in re tantum abfuit ut vobis mens esset huic industriae detrimenta inferre, ut eam potius ab interitu vindicare pro vestra parte eniteremini, in quem dilabi quaevis ludicra pronum esset, quae in artis dehonestamenta depravationesque corruissent.

[11] Suscepta a vobis consilia christifideles, vestris demandati curis, prompto paratoque animo complexi sunt. Ad decies nempe centena milia Foederatarum Americae Civitatum catholici fidem obligationemque, quam « Legio a decentia » proposuerat, in se libenter recipientes, nullam se polliciti sunt cinematographicam spectationem participaturos, quae christianos mores offenderet, rectaque vitae praecepta. Itaque populum apud vos sacrorumque Antistites — quod vehementi cum animi gaudio profiteri libet — tam concordes vidimus hoc in incepto data opera provehendo, ut nunquam alias, hac recentiore aetate, arctius inter se coniunctos eos cernere potuerimus.

Cum felici exitu

[12] Neque solummodo catholicae Ecclesiae filii, sed e Novatoribus etiam et ex Hebraeis lectissimi viri, aliique non pauci vestra consilia ac proposita exceperunt; vestrisque nisibus idcirco obsecundarunt ut cinematographicae scaenae ad digna ingenuae artis morumque praescripta redigerentur. In praesens autem fateri summo Nobis solacio est, laudabiliter initam contentionem non mediocres iam assecutam esse exitus atque utilitates. Siquidem perlatum Nobis est cinematographicam artem, ob sedulam vigilantiam vestram communisque opinionis vim, non parum iam ad emendatiorem modum processisse. Vitiorum nempe scelerumque imagines non ita crebrius, ut antea, subiectae oculis; prava quaelibet admissa non ita licentius probata, conclamata; neque procaci eadem ratione, falsa ducendae vitae principia mollibus concitatisque iuvenum mentibus exhibita.

[13] Quodsi in nonnullis civium ordinibus in antecessum asseveratum est fore ut, ex sedula eiusdem « Legionis » navitate huius artificii ornamenta ac decora non parum remitterent, res tamen visa est in contrariam evasisse partem.

[14] Siquidem non parum etiam, pro viribus, allaboratum est, ut scaenicae eiusmodi actiones ad nobilissima liberalium artium praecepta conformarentur; atque adeo, ut vel vetera optimorum scriptorum, vel nova humanae mentis opera spectatorum oculis proponerentur, quae haud communi laude eniterent.

[15] At neque ii, qui pecuniam suam in huius industriae inceptis collocaverant, detrimenta hac de causa perpessi sunt, quemadmodum nonnulli, quin consentaneam adderent rationem, praemonuerant; haud paucis enim, qui a cinematographicis ludis, ob inustam per eos rectis moribus iniuriam, abhorruerant, cum facinora luce expressa cernere licuit, quae humanae probitati christianaeque virtuti

non detrimentosa viderentur, iterum haec spectacula celebrare sollemne fuit.

« Legionis » vis roboranda et ubique propaganda est

[16] Ubi vero vos, Venerabiles Fratres, hoc veluti sacrum certamen instituistis, non defuerunt qui dicerent, susceptos hoc in genere nisus eorumque, qui exspectabantur, exitus, fluxos fore brevique tempore dilapsuros; quatenus, remissa pedetemptim vestra vestrorumque vigilantia, harum imaginum auctoribus integrum esset, pro suo cuiusque arbitrio, ad pristinas iterum redire agendi rationes. Facile equidem dispicitur cur iidem non honestas, ideoque prohibitas a vobis, scaenicas actiones repetere excupiant, quae ad ignobiles cupidines instimulare queant. Si enim harum pellicularum series, quae hominum gesta praeferant virtuti consentanea, summo artificio effingere multum profecto ingenii, laboris, peritiae ac vel sumptuum interdum expostulat; at facile plerumque est quosdam homines et quorumdam civium classes ad cinematographica arcessere theatra, in quibus id genus spectationes habeantur, quae libidines incendant, pravosque exsuscitent in animis latentes motus.

[17] Quamobrem necesse est ut vigilans eademque sedula omnium opera penitus industriae huius artificibus suadeat, hanc « Legionis a decentia » contentionem non idcirco initium sumpsisse, ut brevi temporis spatio excidat ac neglegatur, sed ut potius — Foederatarum Americae Civitatum Episcopis moderatoribus — honesta populi oblectatio, quovis tempore ac quibusvis rationibus habita, pro viribus in tuto ponatur.

PARS SECUNDA

Obligatio iugis vigilantiae in spectacula cinematographica [18-33]

De horum indole et influxu morali, ac de consequenti officio auctoritatis ecclesiasticae

Novae artis momentum et efficacia tam ad bonum quam ad malum

[18] Corporis animique oblectamenta, in quae nostra haec aetas varias induxit formas rationesque, iis omnibus, quotquot negotiis vitaeque sollicitudinibus distineantur, necessaria prorsus esse nemo est qui non videat; attamen ad hominis dignitatem eadem sunto et ad morum redacta integritatem; atque adeo eo spectent ut reapse nobiles sensus commoveant atque excitent. Graviter procul dubio populorum magnitudo atque potentia periclitantur, qui per requietis tempora ludicris se dedant, quae decoris, dignitatis honestatisque principia laedant, quaeque ad admissa perpetranda, iuventuti praesertim, occasionem praebeant.

[19] Quibus in ludicris, ut omnibus perspectum est, cinematographea maximi momenti sunt, cum nostra hac aetate ad universas gentes pertineant. Dicere vix attinet cives ad decies centena millia bene multa huiuscemodi spectationes cotidie participare; penes quoslibet populos, sive funditus, sive leviter excultos, horum theatrorum numerum magis magisque increbrescere; eademque communem iam se relaxandi oblectandique rationem impertire, locupletium non modo, sed cuivis etiam societatis ordini.

Influxus ludorum psychologico-moralis

[20] Ceterum, aliud nihil in praesens invenire queas, quod tanta efficacitate in multitudines polleat, cum ob ipsam imaginum naturam, quae versatilis lucis motu effinguntur, tum ob ludorum facilitatem, qui vel popularibus

conceduntur, tum denique ob rerum adiuncta, quae iisdem ludis comitantur.

[21] Quae quidem efficacitas ex eo profluit, quod per vividas illas species ac formas cinematographica ars loquitur, quae magna cum animi delectatione nulloque negotio eorum quoque sensibus obiiciuntur, qui, ut rudes sunt atque inculti, sive e rerum concretione enitendo ratiocinandoque discedere, sive ex causis earum effectus eruere, vel nolunt, vel saltem nequeunt. Legere etiam ac vel aurem dare alicui dicenti, quamdam postulat intentionem mentisque nisum; quod quidem cinematographica visio, per subsequentes continuato ordine oculisque subiectas imagines, summo cum gaudio removet. Atque efficientia eadem per cinematographea illa adaugetur, in quibus spectationes cum congruentibus vocibus copulantur; ita enim facinora luce expressa expeditius intelleguntur, et scaenica actio, magna utique cum fascinatione, musicis concentibus coniungitur.

[22] Per choreas vero ac per interiectas illas ex arbitrio scaenas, quas « varietates » vocant, perturbati animi motus cupidinesque gliscunt citatioreque gradu increscunt.

[23] Quapropter haec theatra veluti rerum scholae sunt, quae, magis quam meraca ratiocinatio, plerosque homines ad virtutem aeque ac ad pravitatem instimulare possunt. Oportet igitur salutaribus provehendis christianae conscientiae propositis eadem inserviant, atque adeo res omnes ab se detrahant, quae integros corrumpant depraventque mores.

Ars haec pravitatis fomes exsistere potest

[24] In comperto cuique est quantopere improbae id genus scaenae in spectatorum animos influant; ut cupidinum enim libidinumque laudes efferunt, ita vitiorum occasionem praebent; iuvenes e recto itinere transversos agunt; ducendae vitae rationem fucata lucis specie proponunt; capessendae perfectionis consilia infuscant atque debilitant; castum denique amorem, matrimonii sanctitatem atque in-

timas domestici convictus necessitudines restinguunt. Praeiudicatas praeterea falsasque opiniones cum singulis hominibus, tum civium classibus, nationibus variisque gentibus ingenerare queunt.

Virtutes stimulare potest et debet

[25] At contra, eiusmodi ludi si ad optimas normas conformentur, vim possunt in spectatores elicere sane saluberrimam. Non tantummodo siquidem delectant, sed etiam ad nobilissima quaeque erigunt atque excitant; valde utilia praecepta impertiunt: itemque suae cuiusque ceterorumque patriae egregie gesta pulchritudinesque demonstrare possunt; virtutem veritatemque grato speciosoque more ostendere; in Civitatis ordinibus, in Nationibus, variisque stirpibus mutuae cognitionis voluntatisque studia gignere vel saltem promovere; iustitiae quoque causam amplecti; ad virtutem advocare omnes; ac denique ad novam magisque aequam humanae societatis ordinationem temperationemque adiutricem operam conferre.

Consequentiae sociales

[26] Quae animadversiones Nostrae magis profecto ex eo sumunt gravitatis, quod cinematographica ars non singulis civibus sed hominum stipationibus quodammodo loquitur; idque per temporum, rerum locorumque condiciones, quae, ut ad pravum, ita ad optimum conflandum animorum ardorem perquam apta videntur: quod quidem ardoris studium in communem illam ac prorsus insanam concitationem evadere potest, quam experiendo novimus.

[27] Imaginum nempe series volubili luce spectatoribus proponuntur, qui in subobscuris theatris assidunt, et quorum mentis facultas spiritualesque vires plerumque languent. Atque id genus theatra longe quaerere non est opus; eadem enim domibus, sacris aedibus ac popularibus litterarum ludis ita contigua sunt, ut vim iam habeant in communem omnium vitam maximam maximumque momentum.

Praesertim apud iuvenes utriusque sexus

[28] Casus praeterea rerumque vicissitudines, quae per cinematographea effinguntur, ab hominibus sustinentur mulieribusque, dotibus natura datis et artificio auctis, omnique ope tam instructis atque exornatis, ut interdum ad corruptelarum blandimenta adulescentes peculiari modo pellicere possint. Huc accessere musici concentus, sumptuosa loca, res procaciter obiectae oculis, omnisque novitatis varietatisque deliramenta. Qua praesertim ex causa horum ludorum fascinatio puerorum iuvenumque animos afficit ac tenet; ita quidem ut hac ipsa aetate, qua honestatis sensus innascitur atque informatur, qua iustitiae probitatisque principia e mentibus evolvuntur, qua denique officiorum notiones emergunt, et optima perfectionis proposita vitam attingunt atque pervadunt, cinematographica ars vim suam exerceat summamque efficacitatem.

[29] At, proh dolor, huiuscemodi efficientia, praesentibus in rerum adiunctis, nimio saepius in detrimentum vertitur. Quamobrem dum tantam recogitamus iuvenum nominatim ac puerorum ruinam, quorum integritas ac castitas hisce in theatris periclitatur, acerrima illa in tenuiorum corruptores Nobis succurrit Iesu Christi sententia: « Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris » (Matth., XVIII, 6-7).

Invigilandi officium Civitatis Ecclesiaeque auctoritatibus incumbit

[30] Pernecesse igitur est, nostris hisce temporibus, advigilare omnique ope allaborare ut id genus spectacula non illecebrarum scholae evadant, sed ut potius ad rectam hominum educationem et ad elatiorem morum dignitatem summopere conferant.

[31] Heic vero animadvertere operae pretium est — quod Nos libentissime facimus — nonnullos ex iis, qui Ci-

vitatis gubernacula moderantur, idcirco sollicitudine permoti, quod magnam in hominum mores huius artis impulsionem cernerent, per probos viros ex patribus praesertim matribusque familias selectos, peculiares instituisse coetus, quibus sit res quae hac in causa edantur, inspicere, recognoscere ac dirigere. Ac novimus etiam eos saepenumero eamdem artem ad suorum cuiusque Nationis optimorum auctorum poëtarumque scripta hisce imaginibus referenda convertere contendisse.

[32] Iamvero, si maxime opportunum est vos, Venerabiles Fratres, vigiles curas cogitationesque in cinematographicam Nationis vestrae industriam conferre, quae tam magna susceperit incrementa, quaeque non mediocri pulsu in ceteras quoque gentes influxerit, at omnibus catholici orbis Episcopis officio est, in communi hac, eademque potentissima, oblectationis institutionisque forma collatis inter se viribus evigilare. Atque ex iniuria ipsa quae probitatis religionisque conscientiae, itemque christianae doctrinae praeceptis inferatur, causam sumere, cur pravos istiusmodi ludos prohibeatis, nihil reliqui facientes, ut omnia pro facultate arceatis, quae decoris honestatisque sensus in populo laedere atque restinguere enitantur.

[33] Quod quidem officium non modo Episcopos, sed quoslibet catholicos etiam omnesque cordatos homines tenet, quibus et domestici convictus, et patriae cuiusque suae, et totius humanae consortionis honos atque integritas cordi sit.

PARS TERTIA

Normae Practicae Sequendae [34-35]

De mediis exercendi vigilantem hanc curam in artem industriamque cinematographicam

[34] In praesens vero, quaenam vigilantiae cura habenda sit, inquiramus atque explanemus.

Optanda spectacula proprie catholica, exigenda moralia

[35] Causa de cinematographicis pelliculis, quas vocant, efficiendis, ad probos mores quod attinet, funditus omnino feliciterque componeretur, si facultas esset imagines proferre, quae ad christiana fuissent principia conformatae.

[36] Quamobrem numquam eos dilaudare desistemus, qui se huic arti devoverunt, vel in posterum devovebunt, hoc tamen enitentes ut haec scaenica spectacula ad sanam hominum educationem et ad christiana proposita reapse spectent. Id vero non leviter, sed technicorum more accuratisque rationibus faciant, ne incassum vires sumptusque effundant.

[37] At quoniam Nobis perspectum est quot quantaeque occurrant, in re praesertim oeconomica, difficultates, quominus haec incepta ordinatim componantur; ac quandoquidem penitus necessarium est res omnes hoc in genere edendas ita moderari, ut — ad religionis, morum civilisque societatis rationes quod pertinet — detrimenta eaedem non pariant, idcirco sacri Pastores oportet ad imagines omnes curam convertant, quae undecumque christianae plebi proferantur.

Actio in ipsam industriam

[38] Universos igitur catholici orbis Episcopos, quorum in Nationibus cinematographicae pelliculae effinguntur, ac vos potissimum, Venerabiles Fratres, vehementer adhortamur, ut christifideles illos paterno animo compellatis, qui huius artis industriam quoquo modo participent. Graviter iidem animadvertant et sua ipsorum officia, et eam, qua ut Ecclesiae filii tenentur, obligationem, pro viribus nempe enitendi ut imagines, quas vel ipsimet edant vel edendas adiuvent, saluberrimis principiis sint rectisque normis consentaneae. Haud pauci sane ex catholicis viris numerantur qui exsecutorum, moderatorum, auctorum, actorumve hac in re partes agant; attamen dolendum

est non semper eorum operam cum eorum fide eorumque propositis consentire. Quapropter Episcoporum erit eosdem commonere ut sua cuiusque actio proborum hominum conscientiae ac Iesu Christi sectatorum officio omnino respondeat.

Munus proprium Actionis Catholicae, necnon pastoralis obligatio

[39] Hoc etiam in apostolatus campo, quemadmodum in ceteris omnibus, sacrorum Antistites eos procul dubio optimos experientur laboris socios, qui in Actionis Catholicae agminibus militant; quos Nos contineri non possumus quin per has Litteras iterum atque iterum excitemus ut, hanc etiam in causam, sedulam conferant atque indefatigabilem navitatem suam.

[40] Opportunum equidem est ut identidem sacri Pastores huius artis effectorum in memoriam redigant, sibimetipsis — quemadmodum de ceteris rebus, quae ad ministerium suum pertineant — ita de qualibet etiam honestae oblectationis forma curam esse; cum divino mandato teneantur concrediti sibi populi mores, vel relaxationis tempore, regere atque moderari. Postulat enim sacrum, quo funguntur, munus, ut palam aperteque moneant dehonestamenta ludorum virtutis nervos in ipsis Nationibus elidere. Quamobrem, quod hoc in genere expetunt, non ad catholicos respicit, sed ad quosvis etiam horum theatrorum spectatores.

Praesulum promissa postulanda cum fidelium sponsione

[41] At vobis peculiari modo fas est, Venerabiles Fratres, id ab cinematographicae artis auctoribus contendere, quod iidem, ut diximus, in Foederatis Americae Civitatibus, ex suscepta ultro obligatione, polliciti sunt, huius rei rationem atque periculum, ad humanam societatem quod attinet, in se recipientes.

[42] Omnes vero, quotquot ubique terrarum episcopali dignitate aucti sunt, summopere curent, ut iis veluti ante oculos ponant, qui huic industriae dant operam, rem tam pollentem iamque in communem usum invectam perutiliter posse ad elatiorem morum perfectionem cum singulos, tum universam hominum consortionem convertere atque dirigere.

[43] Ecquid enim de malis vitandis solummodo causa agatur? Et cur cinematographea inanes tantum otii horas conterant? At eadem possunt ac debent mirifica efficacitate sua spectatorum animos collustrare, ac reapse ad virtutes omnes compellere.

[44] In praesens vero, argumenti huius gravitate perspecta, opportunum ducimus peculiares aliquas animadversiones edere, huic rei consentaneas. Imprimisque singuli curent animarum Pastores, ut — quemadmodum Foederatarum Americae Civitatum catholici — christifideles sibi crediti quotannis spondeant se numquam cinematograhica spectacula participaturos, quae veritatem offendant christianaeque doctrinae instituta. Quae quidem pollicitatio dandaque fides in sacris praesertim aedibus et in litterariis ludis haberi poterit; atque in hanc rem Episcopi adiutricem advocent actuosamque operam, cum patrum matrumque familias, qui peculiari hac in causa obstringuntur officio, tum catholicorum etiam scriptorum, quibus erit huius veluti sacrae contentionis momentum diligenter utiliterque explanare.

Elenchus pellicularum normativus parandus, systematicus, sinon universalis saltem nationalis

[45] Ut autem sollemnis eiusmodi sponsio feliciter effecta detur, omnino necesse est, ut populo penitus in comperto sit quaenam imagines libere omnibus ad spectandum pateant, quasnam vero certis dumtaxat positis cautionibus videre liceat, ac denique quaenam perniciosae sint, vel

reapse pravae. Quod profecto id exposcit, ut peculiaria ordine conficiantur typisque edantur rationaria seu elenchi, in quibus quam saepissime cinematographicae pelliculae distribute, ut diximus, ita proponantur, ut omnium in notitiam venire possint.

[46] In votis equidem est, unum tantummodo pro universis terrarum orbis partibus harum rerum rationarium statuere, quandoquidem omnes eadem in genere morum lege tenentur.

[47] Attamen, cum de scaenicis actionibus agatur, quae ad quaslibet pertinent societatis classes, ad ineruditos nempe doctrinaque excultos, ad populares aeque ac ad primores civitatis, eadem procul dubio ubique gentium haberi sententia non potest. Dissimilia etenim sunt, pro variis regionibus, rerum adiuncta vitaeque rationes; quapropter unum ubique omnibus elenchum impertiri non consentaneum est. At vero, si in quavis Natione distincto, ut diximus, ordine, rationarium exhibeatur, generalis iam, quae requiritur, habeatur norma.

Constituendum Officium Inspectionis Centrale uniuscuiusque nationis, Actionis Catholicae Consiliis demandatum

[48] Quam ad rem prorsus necessarium est Episcopos stabile pro tota Natione inspectionis Officium constituere, cuius sit honestas imaginum series promovere, ceteras autem indicato more generatim distribuere, ac denique editum abs se iudicium sacerdotibus et christifidelibus significare. Quod quidem Officium Centralibus, ut aiunt, Catholicae Actionis Consiliis peropportune demandari poterit, quae, ut omnes norunt, a sacrorum Antistitibus pendent. Utcumque hoc pro certo habeatur, hanc scilicet inspectionis operam, ut valida in rectamque formam redacta eveniat, unam pro unaquaque Natione efficiendam esse, ab unoque regimine moderandam.

Censurae leges applicandae

[49] Attamen, si satis graves causae id reapse postulare videbuntur, sacris Pastoribus, in sua cuiusque Dioecesi, integrum erit per suos ad hoc delectos dioecesanos coetus severiore ea sententia uti, quam peculiaris deposcat illius regionis indoles; cinematographicas videlicet pelliculas vetando, quas generale rationarium idcirco permiserit, quod normas tradere teneatur, quae ad universam Nationem respiciant.

Officii Inspectionis munus

[50] Hoc praeterea Officium theatra id genus, quae vel penes paroeciales aedes, vel in catholicarum sodalitatum domibus habeantur, ita ordinanda curet, ut eadem probatis solummodo imaginibus fruantur. Per idoneam enim horum theatrorum disciplinam ordinationemque, quae in facilem saepenumero huius industriae effectorum clientelam transeant, id etiam vindicari poterit, ut nimirum effectores iidem res proferant, quae propositis Nostris omnino respondeant, quaequae non modo scaenicis hisce catholicorum spectationibus, sed ceteris etiam inservire queant.

[51] Haud ignoramus equidem Officii huius constitutionem non mediocres a christifidelibus postulare labores, postulare sumptus. Nihilo secius magnum huius causae momentum, itemque necessitas cum christianae plebis integritatem, tum totius Nationis honestatem tutandi, id impensae atque operae satis superque requirunt. Siquidem ob detrimentosum illud pravae cinematographicae artis ulcus, et scholarum nostrarum, et Catholicae Actionis sodalitatum, et sacri ipsius ministerii vis atque efficacia imminuitur atque periclitatur.

[52] Animadvertendum vero est in Officium idem oportere prorsus ut viri coëant, qui tam sint huius rei industriaeque periti, quam christianae doctrinae praeceptis penitus conformati. Ac praeterea sacerdos ab Episcopis delectus eosdem dirigat ac moderetur.

Officiorum nationalium commercia

[53] Mutua etiam necessitudinum notitiarumque commercia, quae inter eiusmodi Nationum Officia peropportune habeantur, hanc inspectionis operam efficientiorem procul dubio magisque concordem reddent; quamquam dissimiles rerum, locorumque condiciones hac in causa diligenter reputandae sunt. Ita enim, omnium catholicorum scriptorum ope, miram sentiendi, iudicandi, agendique unitatem assequi fas erit.

[54] Officia eadem non modo ex experimentis inceptorumque eventibus, in Foederatis Americae Civitatibus habitis, utilitatem opportune percipient, sed ex laboribus etiam, quos in cinematographicae artis campo catholici ceterarum regionum homines susceperint.

[55] Quodsi huius Officii sodales — quamvis optimis consiliis propositisque praestent — pro sua tamen hominum infirmitate, e recto interdum itinere deflexerint, videant sacrorum Antistites, pro sua ipsorum pastorali prudentia, ut, efficaciore quo poterit modo, illapsis erroribus medeantur; utque debitam Officii auctoritatem ac nomen pro viribus tutentur, vel aliquem eidem attribuendo socium ampliore virtute enitentem, vel in locum eorum, qui ad gravissima haec obeunda munera non omnino apti visi fuerint, alios sufficiendo lectissimos viros.

CONCLUSIO

Fructus uberes sperandi
auspex Apostolica Benedictio [56-57]

[56] Si igitur catholici orbis Episcopi id in se receperint, ut ad impertitas normas de cinematographicis spectaculis vigilem curam agant — quod Nos, quibus pastorale eorum studium omnino perspectum est, fore non dubitamus — perutilem profecto iidem operam conferre poterunt ad optimos tuendos, relaxationis oblectationisque tempore,

sui populi mores. Omnium pro certo cordatorum hominum, catholicorum non modo, sed eorum etiam qui nostram non profitentur fidem, laudes adipiscentur et adiutricem navitatem; idque pro sua cuiusque parte efficiet, ut maxima huiuscemodi vis, quae ad universas Nationes pertinet — cinematographica nempe ars — ad nobilissima quaeque provehenda proposita et ad rectioris vitae rationes commendandas convertatur.

[57] Interea vero, ut haec omina ac vota, quae paterno ex animo fundimus, virtutem sumant, divinae gratiae auxilium imploramus; cuius sit auspex Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, cunctoque clero ac populo, unicuique vestrum demandato, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis iunii, in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, anno MDCCCCXXXVI, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XI

Annotationes

Brevi synopsi analyticae, schematicas aliquas observationes subiungimus, quo clarius eluceant et speciale *momentum* et *ambitus* huius nitidissimi SS. Pontificis tractatus de aspectu morali « septimae artis », sc. cinematographicae.

A — *SUMMARIUM ANALYTICUM*

Introductio

Occasio, Argumentum [1-2]

Pars I — CONSPECTUS HISTORICUS [3-17]

a - Sanctae Sedis vigilantia perennis [3-7]

b - Praesulum « codex moralis » abortivus [8-9]

c - « Legionis a Decentia » opus feliciter confectum [10-17]

Pars II — DISQUISITIO DOCTRINALIS [18-33]

a - Artis novae efficacitas ad bonum et malum [18-25]

1 - Ob ipsam imaginum naturam
2 - Ob ludorum facilitatem
3 - Ob rerum adiuncta

b - Consequentiae sociales [26-29]

c - Invigilandi officium inde exsurgens [30-33]

Pars III — NORMAE PRACTICAE SEQUENDAE [34-55]

a - Optanda spectacula vere christiana [34-36]

b - Actio in ipsos moderatores [37-43]

1 - Ecclesiae auctoritas vindicanda
2 - Actionis Catholicae adiutrix opera
3 - Praesulum promissa expostulanda
4 - Opera perfectiora stimulanda

c - Actio in christifideles [44-55]

1 - Sponsio annua exigenda
2 - Pellicularum elenchus systematicus
3 - Centrale Inspectionis Officium
4 - Officiorum Nationalium commercia

Conclusio

Fructus sperandi, Auspex Apostolica Benedictio [56-57]

B — *ENCYCLICAE MOMENTUM*

1 - *Spectaculorum cinematographicorum — artis, relaxationis, scientiae, industriae plane novae — usus fit nostris diebus quasi-universalis.* Varie aestimantur horum ludorum spectatores-auditores hebdomadales inter 250 et 300 hominum millia millium. In omnes gentes etiam illitteratas et minime excultas exivit sonus eorum, quo frui possunt etiam pauperes, modico pretio (trium lib. ital., ut plurimum) soluto. Cf. *Epist. Em. Card.* Pacelli ad Off. Cath. Internat. Cinem., 27 aprilis 1934; *Documentation Catholique* passim; praesertim t. 2, col. 1469; t. 3, pp. 161, 162; t. 28, col. 570; *Ecclesiastical Review* (U. S. A.), feb., mart., iul., 1934; *Studies* (Dublin), mart. 1926 [19].

2 - *Animarum salus, praesertim iuvenum utriusque sexus graviter periclitatur.* Egregie delineatus a SS. Pontifice [18-29] influxus moralis id genus scaenae in puerorum animos saepius institutioni familiali, catecheticae, scholari christianae aperte contrariatur, ut videre est in crebrescentibus iuvenum facinoribus, in puellarum insolentia et frivola vanitate, attestantibus pluribus tribunalium magistris atque iuventutis institutoribus. Et sane periculum peccati plus minusve proximum constituit huiusmodi relaxatio exlex, eo quod pravis doctrinis tentationisque illecebris fere nunquam ab adolescenti opponi potest resistens vigor intellectus et voluntatis, sensibilium imaginum vi et blanditiis vix non sopitus. Quantum familiis christianis et Ecclesiae intersit, ut tale scholae supplementum minime sanae paedagogiae auctoritati subtrahatur, quae tota in iuvenum ingenia exercenda et mores christianos efformandos innititur, nemo non videt. Cf. *Litt. Past. Episc. Germanic.*, 1925, *Documentation Catholique*, 14, 652; François Mauriac, *Mauvais Cinéma, héritier du mauvais Théatre*, 16. 11. 33: *D. C.* 30, 969; R. P. de Munninck, *Le Catholicisme et la*

Civilisation, in *Hebd. Cath. Internat.,* Geneva, 16-22. 9. 29; R. D. Paul H. Furfey, *Children and the Cinema,* in *Ecclesiastical Review,* mai. 1934; Charles A. Mc Mahon, *The American Public and the Motion Picture,* in *Studies,* mart. 1926.

3 - *Optimum virtutis incitamentum* [25] *iam latius mammonae et infensis religionis moralitatisque inimicis inservit.* Quam bene fundata sit SS. Pontificis accusatio [7] severa, videre licet in quasi-monopolio totius industriae productionis et distributionis in manibus paucorum praedivitum detento, cum consequenti despotico et conscientiae morali inimico potestatu oeconomico in litteris encyclicis *Quadragesimo Anno* denuntiato; in plurium histrionum et artificum effrenatis moribus (quin tamen deficiant insignes aliquae exceptiones!) unde fit ut argumenta piis oculis auribusque maxime offensiva tractare et in scaenas deducere turpiter audeant; in pelliculis denique rerum novarum politicarum fautoribus immo et revolutionis universalis et atheisticae propugnatoribus omni ex parte subservientibus. Cf. RR. DD. John Cantwell, archiepisc. Los Angeles, *Priests and the Motion Picture Industry,* in *Ecclesiastical Review,* feb. 1934; Can. Brohée, *La Portée de l'Encyclique Vigilanti Cura,* in *Nouvelle Revue Théologique,* nov. 1936; François Mauriac, *loc. cit.;* R. P. Jalabert, *Danger Social: le Film Corrupteur,* in *Doc. Cath.,* t. 6, pp.313-20; *Epist. collect. metrop. Hispan.,* 30. 4. 26, in *Doc. Cath.,* t. 16, col. 3-8; Rev. DD. Besson, archiep. Genev., *Films Immoraux,* in *Doc. Cath.,* t. 39, col. 1482; SS. DD. Pii xi alloc. ad Fed. Internat. Editorum Cinemat. 11 aug. 1934, in *Doc. Cath.,* t. 32, col. 830.

4 - *Remedii tentamina seorsim a moderatoribus inita vana reperiuntur.* Exempla optima habes in censura praevia a fere omnibus industriae praesulibus, fine potius commerciali quam morali, ultro subinde pro viribus applicata, et

praesertim in « codice » isto morali [8] a sacerdote catholico confecto et unanimiter ab omnibus novae artis moderatoribus in Statibus Foederatis Americae acceptato. Quem codicem ut normativum agnovit et tamquam obligatorium promulgavit (31 mart. 1931) cl. D. Will Hays, vulgo appellatus scaenae americanae « dictator », his verbis: « Hunc codicem promulgando, industria cinematographica magnum facit passum ad plenam autonomiam, eo fine ut indoles recreativa, educativa, informativa huiusmodi spectaculorum non solum optimis artis theatralis praeceptis, verum etiam sanis vitae moralis principiis conformetur ». Praeclara haec spes eventu vana comprobata est. Utrum revera anceps et remissa resipiscentis industriae disciplina, vel mala fides, vel auri sacra fames, vel omnia haec complexive, tam grandia promissa irrita reddiderint, nunc inquirere otiosum esset. In comperto habemus [9] invaluisse potiusquam diminuisse, post biennium ab edicto « codice », vitiorum et scelerum repraesentationes in scaena cinematographica, ita ut omnium pellicularum 75 per centum ab auctoritate publica dici potuissent « criminibus, luxuria, fabulis amatoriis nocivis infectas ». Idem dicendum est de vario pro variis regionibus inefficaci Status interventu. Cf. Em. Card. Pacelli *Epist. ad Offic. Cath. Internat. in Belgio* 27 april. 34; *Payne Fund Report on the Moving Pictures,* Department of Interior, Washington, 1934; RR. DD. John Noll, episc. Fort Wayne, « *Can Catholics Reform the Movies?* », in *Ecclesiastical Review,* apr. 1934; *The Pope and the Films,* in *America,* 23 iun. 1934.

5 - *Fauste incepta « Legio a Decentia » amplum et utilissimum suppeditat documentum vigilis et indefessae gnavitatis ab Ecclesia Christi in problema cinematographicum solvendum exercendae.* Haec acies sacra [10], vehementer impellente Exc.mo D.no Amleto Cicognani, delegato apostolico in Statibus Foederatis Americae, ortum suum duxit in Conventu octoginta episcoporum americanorum (N.C.

W.C.) mense nov. 1933 Washingtonii habito, cum nominatione Comitatus executivi *ECOMP* (« Episcopal Committee on Moving Pictures ») cuius praeses Exc. D. JOHN NOLL, membra Exc. DD. BOYLE, MC NICHOLAS, CANTWELL renuntiati sunt. Huic ultimo zelato Angelorum (Los Angeles) ordinario, e cuius archidioecesi (praesertim « Hollywood ») provenit longe maior totius industriae cinematographicae pellicularum pars, debetur supracitata monographia (*Ecclesiastical Review*, feb. 1934) de imminenti animarum periculo in relaxatis his scaenis. Immediatum et quasi universale hierarchiae et laicorum responsum provocavit, uti a SS. Pontifice [11-12] laete describitur. Certaminis subinde indicti contra omnes ludos veneno morali imbutos historia legi potest in sexcentis articulis decursu 1934-5 conscriptis in *Catholic World, America, Commonweal, Queen's Work, Osservatore Romano,* et notabiliter in ephemeridibus catholicis plus quam 300 qui cotidianam totius corporis Ecclesiae « resistentiae passivae » evolutionem usque ad plenam inimici capitulationem conferta opera secuti sunt atque promoverunt. Felicem felicioris collaborationis exitum [12] attestatum invenies in nominatione, ultro a paenitentibus moderatoribus proposita, censoris permanentis *catholici,* cui plenam iurisdictionem in morales exigentias industriae tribui voluerunt. Exinde adeo repressi sunt abusus, ita salubris materia tractanda proposita, ut post anni intervallum ab hac disciplina suscepta vix ulla pellicula *prohibita* in officiali « Legionis » elencho reperiatur. Exempli titulo, ludi omnes ita distribuuntur sub die 26 decembris 1936: (1)

A — *Approbati*:

1 - Omnibus proponi possunt . .	179	
2 - Solis adultis proponendi . .	88	
Summa totalis	267	seu 86%

(1) *National League of Decency List*, New York, vol. I, nº 47.

B — *Ex parte Reprobandi* . . . . . 38 seu 12%

C — *Damnandi* . . . . . 6 seu 2%

Quantum mutata ab illa sit industria cinematographica americana nunc renovata quamvis non plene mundata, facile hanc recensionem cum statistico rationario 1933 superius n. 4 citato comparanti patebit. Talem conversionem valuit vigilans Ecclesiae cura! Cf. speciatim Exc. D. John Mc Nicholas, *The Episcopal Committee and the Problem of Evil Motion Pictures*, in *Ecclesiastical Review*, aug. 1934; R. P. Gerard Donnelly, S. J., *Hollywood and the Bishops*, in *America*, 26. 5. 34; *ibid., A New Deal from Hollywood?* 14. 7. 34; nn. 1934, *Catholic Action* (N.C.W.C), Washington; nn. 1935-6, *Choisir*, Paris; *Catholic Mind*, The Motion Picture Encyclical, 8. 8. 36.

C — *AMBITUS ENCYCLICAE*

1 - *Cur specialem obligationem in hac materia episcopis fidelibusque Statuum Foederatorum Americae urgendam vult SS. Pontifex?*

Resp. - Quia, uti supra innuimus, principiis obstare tenentur qui facilius possunt, sc. ii quorum patriae divina Providentia commisit potiorem partem productionis cinematographicae, suis sumptibus et mediis technicis parandam, sua cura et favore imprimis exhibendam atque in alias mundi partes diffundendam. Idem invigilandi officium aliis quoque Ecclesiae membris incumbit, ut expresse admonet SS. Dominus [38], quippe quae pellicularum diffusionis problemate singula, productionis plura (Gallia, Anglia, Germania, Italia, Russia...) directe afficiuntur. Nullibi autem aeque ac in America urget universalis artis boni atque progressus tutela. Adde quod pluribus americanis, nimis facile credentibus [16] post triumphum primum non amplius prosequendum esse « Legionis » certa-

men indictum contra inimicum communem, animi erant addendi, periculum perpetuum indicandum.

2 - *Quatenus dici potest Epistula haec normas tradere* positivas *quibus ars cinematographica virtutes incitare et alere queat?*

Resp. - Hoc sensu solummodo, quod removenda iniungit obstacula moralia ad liberam ipsius artis evolutionem [43] in servitio summi Veri, Pulchri et Boni; quod coniunctos suadet omnium conatus ut ars revera catholica tandem aliquando reddatur [35]; quod de novo sollemniter affirmat utilitatem maximam huius disciplinae ut instrumenti sanae paedagogiae et iustitiae socialis magistri. Ulterius tamen non vult Encyclica, pace quorundam commentatorum, auctoritatem Ecclesiae interponere, neque hic magis quam in re oeconomica-sociali vel politica in ea quae proprie artis sunt sese immiscere, « ad quae neque mediis aptis est instructa nec officio praedita » (*Quadragesimo Anno*). Amicam valde quamvis negativam operam arti cinematographicae praestat Ecclesia, vigilanti sua cura praescripta nobiliora huiusmodi disciplinae liberalis una cum fidelium animarum salute contra potestates tenebrarum auctoritative tuendo.

3 - *Nonne* status *adiutorium magis explicite invocari debet in hac acie sacra ordinanda ad bonum commune?*

Resp. - Nequaquam negligitur in his litteris officium potestatis publicae pro viribus enitendi ut imagines saluberrimis principiis rectisque normis moralibus sint consentaneae. Immo laudantur diversarum nationum gubernia eo quod munus edendi, inspiciendi, recognoscendi et dirigendi huius industriae spectacula sollicita sua auctoritate per comitatus ad hoc creatos [31] praestiterint (Italia, Belgium, Gallia). Sed probe novit SS. Auctor non nimis fidendum esse tali interventui civili, quum status generatim impar sit sanae de his rebus sententiae popu-

lari creandae, inutiliter autem interveniat quando haec iam vigilanter et efficaciter bonum commune ipsa tuetur. Legislativae igitur preferenda est solutio « corporativa », quotiescumque libera activitas eorum quibus interest illud possibile reddiderit. « Legio a Decentia », profecto, quae syndicatus popularis iure denominari potest, plenam potestatem pelliculas praevie recognoscendi Officio Centrali politico data lege concredere sollicitata strenue recusavit.

4 - *Quo sensu vigilans haec spectaculorum cura* munus proprium Actionis Catholicae *describitur?*

Resp. - Insignis quidem Actionis Catholicae formae titulum, post « Iuventutem Operosam Catholicam », mereretur haec militia cinematographica quandoquidem in ea laici apostolatum hierarchicum invigilantiae in morum et fidei probitatem optime participant, episcoporum magisterio officiali effective adiuvando (directio-susceptio ludorum catholicorum), Ecclesiae doctrinam ore et scripto vindicando (Allocutiones, Periodici, Officium Centrale, Elenchi parandi), actu quoque sanciendo (Promissa annua, abstinentia a scaenis probrosis). Porro talem actionem apostolicam non posse inter paroeciarum vel etiam dioeceseon limites contineri sed indolem vere internationalem et proinde *catholicam* prae se ferre rem serie considerenti perspicuum erit. Iuverit in memoriam revocare opus proprie missionarium iam susceptum a coetibus Actionis Catholicae Romae et in Belgio, Gallia, Helvetia, necnon in America Septemtrionali a consociationibus SS. Nominis Iesu, Knights of Columbus, Concilii Nationalis Feminarum Catholicarum. Cf. S. Tromp, S. J., *De Actione Catholica in Corpore Christi Mystico, Actio Catholica et Hierarchia, in Periodica,* 1936, fasc. I, III; Brohée, *La Portée de l'Encyclique « Vigilanti Cura »*, in *Nouvelle Revue Théologique,* nov. 1936, pp. 935-6.

5 - *Quousque se protendit* auctoritas elenchi *pelliculârum tripartiti?*

Resp. - Ut instrumentum ad efformandas conscientias haberi debet, in manibus fidelium ab Ecclesia positum, ne in re tam periculosa eorum bona fides decipiatur. Datis cautelis in hoc rationario conficiendo applicatis, ludi omnes ibidem propositi tamquam *liciti, periculosi, pravi* praesumi deinceps possunt talem relationem ad praecepta Ecclesiae et legem naturalem reapse, in genere, habere [45]; pelliculae autem particulares, utcumque in elencho designatae ab Episcopo, pro munere suo pastorali, independenter et formaliter denuntiari ut vitandae, onerata fidelium conscientia, et effective prohiberi possunt secundum normas generales censurae ecclesiasticae. Id praestare Ordinarius potest vel per se ipsum vel consilio inito cum delecto ad hoc coetu dioecesano speciali, uti diserte refert vigilans curatusque Pontifex noster [3].

J. Eduardus Coffey, S. J.

3 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Submissionis notificatio 3 decembris 1936

(apud *L'Osservatore Romano* diei 4 dec. 1936)

SUBMISSIONIS NOTIFICATIO

Sac. Georgius Sebastianus Huber laudabiliter se subiecit decreto Sancti Officii diei 10 iunii 1936, quo damnati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt libri ab eo conscripti, quibus tituli: *Vom Christentum zum Reiche Gottes* et *Weisheit des Kreuzes.*

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 3 decembris 1936.

I. Venturi
Supr. S. Congr. S. Offici Notarius

Damnationis decretum, die 17 *iunii* 1936 *evulgatum, publicatum fuit apud eadem haec* Periodica xxv (1936) *p.* 136 *s.*

4 - Sacra Congregatio de Religiosis Decretum diei 19 Sept. 1936

DE TEXTU CONSTITUTIONUM AB OMNIBUS MONASTERIIS CARMELITARUM EXCALCEATARUM UNICE ADHIBENDO

(*AAS* XXVIII (1936) p. 405 s.)

SS.mus Dominus Noster Pius Papa XI, die 22 mensis Iunii a. 1926, Constitutiones Monialium Excalceatarum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quas Summi Pontifices Xistus V, Gregorius XIV et Urbanus VIII probaverant, postquam ipsae ad normam Codicis Iuris Canonici emendatae eiusdemque Codicis legibus auctae atque in nonnullis etiam levioris momenti, arrepta occasione, immutatae fuerant, denuo ita approbare et confirmare dignatus est, ut omnia in ipsis contenta, eodem prorsus modo, apostolico robore ac firmitate donarentur.

Haec Sacra Congregatio Religiosorum Negotiis praeposita, dum ita solemniter approbatas et confirmatas Constitutiones Rev.mo P. Praeposito Generali Ordinis Fratrum Excalceatorum B. M. Virginis a Monte Carmelo transmitteret per litteras diei 22 Iulii a. 1926, unitati et bono Filiarum Sanctae Matris Teresiae consulens, officii sui esse duxit votum exprimere ut talis Textus unanimiter ab omnibus Monasteriis Carmelitarum Excalceatarum adhiberetur. Voto S. Congregationis plura sane Monasteria fideliter obsecundarunt, ita ut commendatas Constitutiones maior pars Monasteriorum, transactis decem annis, ad praxim reduxerit.

Quo autem plene tam auspicata atque his annis suaviter parata Constitutionum unificatio inter pias Sanctimoniales, quae unius S. Matris Teresiae nomine et spiritu gloriantur, quantocius iam obtineri valeat, Sanctitas Sua, in Audientia diei 10 Septembris anni 1936 infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis concessa, mandare dignata est, ut in posterum in omnibus Monasteriis Monialium Ex-

calceatarum Ordinis B. M. V. a Monte Carmelo, sive ipsa Ordinariis locorum ex S. Sedis dispositionibus, quae firmae remanent, subiecta sint, sive ad normam Constitutionum anni 1926, Rev.mo P. Praeposito Fratrum Excalceatorum eiusdem Ordinis subdantur, praedictus Constitutionum Textus, anno 1926 datus, aliis omnibus e medio sublatis, ut vigens recipiatur ipseque regularis observantiae formam omnibus S. Teresiae Filiabus unice iam praebeat. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Religiosis, die 19 mensis Septembris a. 1936.

V. Card. La Puma, *Praefectus*

L. ✠ S.

† Fr. M. L. Pasetto, *Secretarius*

Annotationes

Imprimis fortasse utile erit exponere distinctionem inter Moniales Ordinariis locorum subiectas, et illas quae sub iurisdictione Superiorum regularium manent (1).

Moniales, cum iurisdictione ecclesiastica careant, necessario alicui Praelato ecclesiastico subiici debent. Sed inter Moniales eiusdem Ordinis invenimus quasdam, quae quoad iurisdictionem nullimode a Superioribus regularibus Ordinis dependent, sed Ordinariis locorum subiectae sunt; alia monasteria e contra iurisdictioni primi Ordinis manent subiecta.

Olim quidem, quando omnes Moniales vota solemnia nuncupabant, Monasteria earum communiter a Superioribus regularibus pendebant, praesertim Ordinum Mendicantium. Tempore vero perturbationum civilium Moniales, suis praelatis regularibus destitutae, sub Ordinariorum locorum tutela et auctoritate venerunt, quae conditio iuridica ex consuetudine postea firmata, litteris apostolicis sancita est.

(1) Cf. Maroto, in *Commentarium pro Religiosis* I (1920) p. 258-265.

Ita hodie plura Monialium monasteria invenimus in Gallia, Belgio, Hispania, aliisque mundi partibus sub regimine Episcoporum, quamvis natura sua et ex originali Constitutionum praescripto praelatis regularibus suis subesse deberent.

Haec rerum conditio etiam inter Monasteria Monialium Ordinis Excalceatarum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo hodie viget. Quando Constitutiones earum ad normam Codicis emendatae, die 22 iunii 1926 solemniter ab Apostolica Sede approbatae et confirmatae erant, S. Congr. de Religiosis, in litteris die 22 iulii eiusdem anni datis, desiderium suum expressit ut hic textus unanimiter ab omnibus monasteris reciperetur, etiam ab illis quae, quamvis ad eundem Ordinem pertinentes, editione uterentur aliquantulum diversa sed nondum eidem S. Congregationi pro revisione ultima subiecta (2). Quod desiderium etiam illa monasteria includebat quae textum Constitutionum a Pio VI per *Breve* die 12 maii 1786 pro Monasteriis in Hispania exsistentibus approbatum sequebantur, ut ex litteris explanatoriis eiusdem S. Congregationis anno 1928 datis (3) constat.

Intra decem annos a solemni Constitutionum approbatione et confirmatione, plura Monasteria Monialium hoc S. Congregationis desiderium obsecundarunt. Nunc autem, unitati et bono Filiiarum S. Teresiae consulens, S. Congregatio de Religiosis praesenti Decreto in lucem edit Summi Pontificis Pii XI mandatum, die 10 septembris datum, quo in posterum textus Constitutionum anno 1926 approbatus, ut vigens recipi debeat in omnibus Monasteriis Monialium Excalceatarum Ordinis B. M. V. a Monte Carmelo, et unice iam praebere debeat formam regularis observantiae Monialibus omnium Monasteriorum, sive Ordinariis locorum subiecta sint, sive Rev.mo Praeposito Fratrum Excalceatorum eiusdem Ordinis subdantur.

---

(2) Cf. *Analecta Ordinis Carmelitarum Excalceatorum* I p. 41.
(3) Cf. *Analecta Ordinis Carmelitarum Excalceatorum* II p. 212.

Textus igitur Constitutionum ita pro omnibus Monialibus eiusdem Ordinis fit obligatorius ut omnes alii textus qui usque ad praesens tempus in usu erant omnino e medio tollendi sint. Qua Constitutionum mutatione nullo modo mutantur dispositiones S. Sedis ex quibus plura Monasteria Ordinariis locorum subiecta sunt. Ad illa Monasteria applicari potest Responsum a S. Congr. de Religiosis die 22 maii 1919 datum, scl.: « nihil innovandum esse in dependentia Monialium praedictarum ab Ordinariis locorum: ... cauto tamen quod nulla potestas sit Episcopis ad immutandas Regulas antiquorum Ordinum aut Constitutiones Monialium a S. Sede adprobatas » (4). Manent igitur illa Monasteria Ordinariis locorum subiecta ut antea, Ordinarii vero novum textum Constitutionum ab omnibus Monialibus nunc recipiendum nullo modo mutare possunt.

Adamus Ellis, S. I.

5 - Sacra Congregatio de Religiosis
Rescriptum

DE INSTITUENDO COLLEGIO PRO EDUCATIONE PUELLARUM PENES MONASTERIUM MONIALIUM ORDINIS SANCTI DOMINICI

(apud *Commentarium pro Religiosis* 1935 p. 419 ss.) (1)

Beatissime Pater,

Priorissima Communitatis Monasterii SS.mi Rosarii, Ordinis Sancti Dominici, civitatis N.N., dioecesis N., ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provoluta, expostulat facultatem ut in domo, non legi clausurae subiecta, sed Monasterio adnexa, impluvio eiusdem Monasterii intergerino, instituere valeat Collegium pro educatione puellarum et iu-

(4) Cf. *AAS* XI (1919) p. 240.

(1) Documentum quoque invenitur apud *Archiv für Katholisches Kirchenrecht* 1936 p. 164 ss., suppressis pariter nominibus, loco et diei indicatione; quae omnia, discretionis causa, nec nobis exquirenda et divulganda visa sunt.

venum sub moderatione Religiosarum, Communitate consentiente, imo et volente. Item Priorissa licentiam petit: Ut Religiosae memorati Monasterii transire queant in domum praedictam, tum ad scholas tradendas et puellas iuvenesque invigilandas, tum munditiem domus curandam, et puellae et iuvenes Collegio assistentes impluvium antea memoratum et viridarium praedicti Monasterii ingredi valeant ad propriam recreationem; alium enim locum domus non habet ad hoc exercitium aptum.

Et Deus ...

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto Exc.mi Ordinarii N.N. Eidem benigne commisit ut pro suo arbitrio et conscientia gratiam concedat iuxta preces, ad quinquennium, servatis normis quae in adnexo folio adnotantur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ...

Normae pro Scholis habendis puellarum diurno tempore intra clausuram Monasterii.

1 - Aliqua cubicula Monasterii ad scholas apta separentur a ceteris partibus aedificii, ad quae puellae per ianuam externam, Moniales vero designandae ut infra dicetur, per ianuam interiorem accedere possint; separatio talis ut puellae prospicere nequeant in alia cubicula vel hortos Monasterii et vita regularis Sanctimonialium detrimentum ne patiatur.

2 - Quaedam Moniales uti Magistrae vel Assistentes a Superiorissa cum suo Consilio eligantur, ita ut nemini Religiosarum liceat absque venia regimini se immiscere.

3 - Numerus puellarum recipiendarum in scholam conformis sit ad capacitatem locorum et antecedenter determinatus; admissio puellarum statuitur a Superiorissa cum suo Consilio.

4 - Puellae quae septem annorum natu minores sunt, in scholam ne admittantur; pro quibusdam exceptionibus Ordinarii loci est decidere.

5 - Puellae modestis utantur vestibus, seposito quocumque ornatu, qui virgines christianas dedecet.

6 - Cum finis scholae sit docere puellas bonos mores et christianam doctrinam, haec ante ceteras habeatur disciplina.

7 - Pensio solvenda determinetur iusta, antecedenter, ne officiatur conditioni oeconomicae Monasterii.

8 - Quaedam pia mulier saecularis praesto sit in scholis ad adsistentiam vel comitatum forte necessaria.

9 - Si in munus Magisterii necesse fuerit laicam assumere, ipsa sit praesertim exemplo vitae christianae.

10 - Ianua, quae in Monasterium immediate ducit, clausa sit permanenter, ita ut singulis vicibus, cum aperiri debeat, vocetur monialis in internis custodiae addicta.

11 - Expleto diurno tempore scholae et omnibus in ordine dispositis pro die subsequenti, ianua externa item et interna duabus clavibus claudantur, quarum una a Superiorissa, altera a Moniali deputata ab Ordinario asserventur.

12 - Ingressus in viridarium intra clausuram positum, fiat statis ab Ordinario temporibus et una simul ab omnibus puellis quarum relaxatio desideratur, ita ut custodia clausurae servetur, vetito iisdem imposito petendo alia loca Monasterii.

13 - Institutio puellarum subsit omnino vigilantiae Ordinarii loci, cuius quoque erit alias cautelas opportunas statuere ne inconvenientia oriantur et consensus exquirendus in omnibus quae ad scholam ipsam pertinent.

Annotatio

Rescriptum hoc cum lectoribus communicamus ut videant normas quas Sacra Congregatio de Religiosis monia-

libus imponit pro scholis habendis. Normae enim videntur esse generales quas in casu particulari Ordinarius loci applicare debet. Ordinarii enim arbitrio et conscientiae committitur concessio gratiae iuxta preces monialium.

ADAMUS ELLIS, S. I.

6 - Sacra Congregatio de Religiosis
Rescriptum

DE COMMORATIONE MONIALIUM ITINERANTIUM ET SORORUM EXTERNARUM INTRA CLAUSURAM MONASTERII.

(apud *Commentarium pro Religiosis* XVII (1936) p. 209)

Eminentia Reverendissima (1)

Haec Sacra Congregatio in congressu die 28 huius mensis habito preces Em. V. Rev.mae examinavit quibus haec petisti:

1 - Facultatem praeviam permittendi Monialibus cum Italiae tum exterarum regionum per Ianuam iter facientibus ut, tempore commorationis temporariae vel provisoriae, intra clausuram Monasterii eiusdem Ordinis hospitio excipi possint.

Hoc Sacrum Dicasterium, omnibus bene consideratis, Em. V. Rev.mae facultatem requisitam ad triennium concedit, *adhibitis cautelis ne quod oriatur inconveniens.*

---

(1) Sic latine reddimus RESCRIPTUM, quod, textu italico, ut sequitur, legitur apud *Commentarium pro Religiosis*, loco indicato:

Eminenza Reverendissima,

Questa Sacra Congregazione nel Congresso del 28 corr. mese ha esaminato la domanda dell'Eminenza V. Rev.ma con la quale chiedeva:

1 - Una preventiva facoltà di permettere che le *Monache italiane ed estere di passaggio da Genova* potessero essere alloggiate entro la clausura dei Monasteri dello stesso Ordine, durante la loro permanenza temporanea o provvisoria.

Questo Sacro Dicastero, tutto considerato, concede all'E. V. Rev.ma la chiesta facoltà per un triennio, *adhibitis cautelis ne quod oriatur inconveniens.*

2 - Si approbari possit consuetudo *ab immemorabili* vel dispositiones Consuetudinarii vel librorum antiquorum Monasterii votorum solemnium permittendi *sororibus externis* ut intra clausuram habitent, non obstantibus dispositionibus huius S. C. diei 16 iulii 1931 quibus praescribitur ut illae in locis externis ipsi monasterio adnexis habitent.

Huius S. Congregationis hac in re haec est sententia, quascumque consuetudines vel dispositiones librorum antiquorum vel directoriorum abrogatas esse per statuta die 16 iulii 1931 edita.

Monasteria igitur quae loca idonea habent, praedicta statuta observare tenentur. Illis quibus loca illa externa desunt, hoc S. Dicasterium concedit ut ad quinquennium eadem ratione qua usque adhuc perseverare possint *dummodo interim provideatur* ad normam dictorum statutorum.

Hac occasione libenter usus, humiliter Sacram Purpuram deosculor, et gaudeo me profiteri Eminentiae Vestrae Rev.mae

addictissimum servum,
† Fr. L. E. Pasetto, *Secr.*

---

2 - Se si poteva approvare la consuetudine *ab immemorabili* o le direttive dei Costumieri o antichi libri dei Monasteri di voti solenni di far dimorare le *Suore esterne* dentro la Clausura, nonostante le disposizioni di questa S. C. del 16 luglio 1931 che prescrivono la loro abitazione in locali esterni annessi ai Monasteri stessi.

Questa S. Congregazione in proposito ritiene che gli Statuti del 16 luglio 1931 hanno abolito qualsiasi consuetudine o direttiva di antichi libri o costumieri.

Pertanto quei Monasteri che hanno i locali adatti sono tenuti ad osservare gli Statuti anzidetti. Per quelli che difettano di detti locali, questo S. Dicastero concede che per un quinquennio possano continuare come hanno fatto sin qui, *dummodo interim provideatur* a norma dei precitati Statuti.

Colgo intanto la gradita occasione per baciarLe umilmente la Sacra Porpora e confermarmi della Eminenza Vostra Rev.ma

Umil.mo e dev.mo Servo

† Fr. L. E. Pasetto, *Secretarius*

Annotationes

Iam ante Codicem doctores disputabant an monialis iter faciens admitti posset intra clausuram monasterii illius loci ubi pernoctare deberet (1). Fere omnes (Castro-Palao excepto) affirmabant talem monialem licite posse clausuram monasterii *eiusdem ordinis* ingredi et admitti absque alia Superioris (i. e. Ordinarii loci) licentia. Rationes allegatae erant: quia talis monialis non est extranea, quia sic ingrediens clausuram servat eo modo quem potest, quia eam recipientes hanc observationem fovent, quia officia charitatis fraternae id postulant.

Etiam in casu monialis quae monasterium *diversi ordinis* adire velit, aliqui doctores sinebant ut admitteretur intra clausuram, quia caritas et honestas ipsius status id requirit. Alii vero negabant quia monialis esset extranea. Ii vero qui negabant, licentiam ab Ordinario loci dari posse admittebant, deficiente tamen alio hospitio convenienti.

Facultas permittendi ingressum in clausuram monialium, quae ante ad Ordinarium loci pertinebat una cum superiori regulari si moniales erant ipsi subiectae, nunc iure Codicis S. Sedi reservatur.

In rescripto nostro talis facultas generalis Ordinario Ianuensi ad triennium conceditur pro omnibus monasteriis monialium urbis Ianuae ut possint moniales *eiusdem ordinis* per Ianuam iter facientes hospitio *intra clausuram* recipere toto tempore commorationis temporariae.

Utilitas huiusmodi facultatis evidens est in urbe magna quae, ut Ianua, est tum viarum ferrearum terminus, tum portus Italiae celeberrimus, ubi religiosi fere quotidie naves in missiones conscendunt. Ordinarius locorum in similibus circumstantiis petentibus similis facultas sine dubio a S. Congr. de Religiosis concederetur.

Verum in huiusmodi rescripto authentica iuris interpre-

---

(1) Cf. casum a P. A. Vermeersch solutum, apud *Periodica* XIX (1931) p. 12*-15*.

tatio, de qua in can. 17 § 2, non continetur. In casu igitur particulari inopinante, quando tempus non suppeteret recurrendi ad S. Sedem, liceret moniali legitime itineranti clausuram monasterii *eiusdem ordinis* ingredi ad normam iuris antiqui, saltem cum approbatione, si tempus suppetat, Ordinarii loci, qui etiam nunc est custos clausurae monialium ex can. 600 4°. Moniali itineranti vero monasterii *alterius ordinis* clausuram ingredi non liceret, sed in alio monasterii loco decenti extra clausuram hospitio recipi deberet. Quodsi talis locus decens extra clausuram deesset, et aliud hospitium honestum in loco desideretur, vi cuiuspiam epikeiae, de licentia Ordinarii loci, intra clausuram monasterii alterius ordinis recipi posse videtur. In casu enim necessitatis semper decenti monialium hospitio providendum est.

ADAMUS ELLIS, S. I.

7 - Sacra Congregatio Rituum
Rescriptum 22 februarii 1936

SACERDOTIBUS CONGREGATIONIS MISSIONIS CONCEDITUR FACULTAS QUA ADDERE VALEANT, IN MISSA CONVERSIONIS S. PAULI, ORATIONEM PRO GRATIARUM ACTIONE, IN MEMORIAM INITII EIUSDEM CONGREGATIONIS

(apud *Ephemerides Liturgicae* L (1936) p. 324)

Rev.mus Dominus Iosephus Scognamillo, Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes Suae Sanctitatis provolutus exposuit S. Vincentium a Paulo die 25 ianuarii anno 1617 a virtuosissima Domina Gondi rogatum habuisse agricolis loci Folleville sermonem de confessione generali, atque Deum illa occasione tales effudisse gratias ut omnes agricolae, perbene dispositi generalem confessionem fecerint. Ex miris effectibus illius sermonis mota, praefata Domina Gondi, una cum viro suo, de consensu Exc.mi Ar-

chiepiscopi Parisiensis, statuit fundare Congregationem pro agricolarum evangelizatione mediantibus Missionibus. Hinc S. Vincentius a Paulo numquam immemor tanti beneficii a Deo obtenti illa die in qua initium veluti habuit Congregatio Missionis, suis filiis praecepit ut, eodem die in posterum recurrente, immortales Deo agerent gratias. Et sodales Congregationes Missionis, numquam immemores praecepti fundatoris, enixis precibus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XI humiliter rogaverunt ut benigne dignaretur concedere facultatem qua, Sacerdotes e Congregatione Missionis, in Missa conversionis S. Pauli, cuius festum occurrit praefata die 25 ianuarii, addere valeant orationem pro gratiarum actione. Et Sacra Congregatio Rituum, attentis expositis peculiaribus adiunctis, vigore facultatum specialiter sibi tributarum a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Rubricis servatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 februarii 1936.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*

L. ✠ S. A. CARINCI, *Secretarius*

ANNOTATIO

Indultum haud dissimile est a concessione Societati Iesu facta, quae etiam certis diebus in Kalendario perpetuo eiusdem Societatis indicatis orationem *pro gratiarum actione* in Missa addere valet. Porro, post reformatas rubricas declaratum est hanc orationem, iuxta rubricam specialem de Missa pro gratiarum actione, addendam esse sub prima conclusione cum oratione Missae festivae de Sancto. Quod si Missa dicatur non de festo, sed de occurrente dominica . . . , orationem quidem esse addendam, sed post orationes a Rubrica praescriptas et ante Collectas imperatas, si iuxta Rubricas locum habeant (Decr. S.R.C. 20 iun. 1931). Eadem regula hic sequenda videtur.

Ios. PAUWELS, S. I.

8 - Sacra Congregatio Rituum
Rescriptum diei 14 iulii 1936

AD PROCURATOREM GENERALEM PIAE SOCIETATIS MISSIONUM DE FESTORUM PRAESTANTIA

(ex Rescripti exemplari)

SACRA CONGREGATIO RITUUM

N.P. 24/336

PIAE SOCIETATIS MISSIONUM

Quum quoad festorum praestantiam post ritum attendenda sit « maior solemnitas, scilicet si festum celebretur cum feriatione, etiam in foro reducta vel sublata, aut cum Octava » (novae Rubricae Breviarii tit. II num. 1), hodiernus Procurator Generalis Piae Societatis Missionum haec pro opportuna explicatione proposuit dubia:

1 - Utrum feriatio actualis praevaleat feriationi suppressae, etsi cum Octava coniunctae?

2 - Utrum festum cum feriatione reducta vel sublata solemnius sit quam festum cum Octava, sed sine feriatione?

3 - Utrum festum feriatum cum Octava universali praevaleat festo feriato cum Octava particulari, veluti festum Omnium Sanctorum festo Domini nostri Iesu Christi Regis, sicubi hic est titulus ecclesiae?

4 - An Octava communis tam universalis quam particularis aequivaleat sub ratione solemnitatis, ideoque ex sequenti charactere dignitatis personalis praestantia dimetienda sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito quoque specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad primum: *Negative.*

Ad secundum: *Affirmative.*

Ad tertium: *Affirmative.*

Ad quartum: *Negative,* quia Octavae inter se praeferuntur eadem lege, qua festa ipsa, ad quae pertinent.

Atque ita rescripsit atque declaravit.

Die 14 Iulii 1936.

A. Carinci, *S. R. C. Secretarius.*

L. ✠ S. Henricus Dante, *Substitutus.*

9 — Vicariatus Apostolicus de Kirin (1)
Epistola 25 mart. 1935

AD EMUM CARDINALEM PRAEFECTUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE DE PARTICIPATIONE FIDELIUM IN HONORIBUS CONFUCIO EXHIBITIS IN MANCIUKUO (2)

(apud *L'Osservatore Romano,* 2 iulii 1936, p. 1)

Hsinking, (3) le 25 mars 1935

Eminence Rév.me,

Dans la lettre 18/34 que j'eus l'honneur d'adresser à V. E. le 7 nov. 1934, je crus devoir attirer son attention sur une réviviscence possible du culte de Confucius en Mandchourie (4) et sur les difficultés qui pourraient se présenter

---

(1) Vic. Ap.cus de Kirin nunc est Ex.mus et Rev.mus D. Augustus Gaspais, ex Societate Miss. Exter. Paris., natus 23 april. 1884; Circiter 100 kilom. distat a Kirin, nova civitas capitalis Status Manciukuò, olim Chang-chun, nunc Hsin-King nuncupata. Intuitu novae conditionis rerum, post separationem Manciukuò a republica Sinensi, Sacra Congr. de Propaganda Fide mandavit ipsi Remo Domino Gaspais ut cum novis civilibus auctoritatibus res tractaret, etiam nomine aliorum ordinariorum regionis (cf. *Guida delle Missioni Cattoliche,* Roma 1935, p. 51 nota).

(2) Manciukuò, vel Manchukuo. Die 1 martii 1932 proclamata est independentia illius novi Status qui Coreae, Siberiae sovieticae, Mongoliae et reipublicae sinensi adiacet. Licet nullo censu hucusque determinetur numerus incolarum, aestimatur tamen non esse infra 30 milliones (*Manchukuo Year Book, 1934,* p. 20). Usque ad independentiae proclamationem, tota haec regio tum politice, tum ecclesiastice ad Sinas pertinebat.

(3) Hsin-King, nova urbs capitalis, ubi 9 martii 1932 solemniter celebrata est inauguratio status Manciukuò.

(4) Confucius non est nisi latina veste donatus *K'ung fu tse,* scl. Magister K'ung. Natus 551 ante Christum mortuus 479. Ejus doctrina, mixta dictis suorum discipulorum continetur quinque libris canonicis, seu

à ce propos soit pour nous-mêmes soit surtout pour nos chrétiens. Dans la réponse qu'elle me fit l'honneur de m'adresser dans la lettre 4528/34 du 3 décembre de la même année, Votre Eminence exprima le désir que les Ordinaires du Manchoukuo étudient ensemble cette délicate question, de manière à pouvoir offrir à la S. C. de la Propagande des éléments qui lui permettent de nous donner quelques directives pratiques.

Conformément aux instructions de V. E., j'ai invité les Ordinaires (5) du Manchoukuo à se réunir à Hsinking afin d'étudier minutieusement les délicats problèmes posés par ce renouveau confucianiste, problème d'une actualité d'autant plus immédiate que les multiples efforts du Gouvernement pour promouvoir le culte de Confucius ne nous permettent pas d'éluder cette épineuse question.

Pour éclairer le débat, et pour avoir une base plus sûre d'appréciation, je résolus de m'enquérir d'abord auprès des Autorités officielles du sens donné actuellement par eux au culte rendu à Confucius. C'est pourquoi, en date du 27 février 1935, j'adressai au Directeur de la Section culturelle du Ministère des affaires Etrangères (6) la lettre suivante:

« M. le Directeur, Désireux de voir tous les catholiques remplir fidèlement leurs devoirs patriotiques sans que ces

---

magnis *Chim*, et tribus ex « *quatuor libris* », seu *se sciu*. Praecepta moralia et politica exhibent; nullam vero proprie dictam religionem. Cultus ejus « ut propagatoris civilizationis et bonorum morum » circa initium aerae christianae Sinas occupare caepit. « Il est juste de dire que c'est CONFUCIUS qui a donné à la Chine sa véritable tradition » (CORDIER, *Histoire Générale de la Chine*, I, p. 162). « En CONFUCIUS le génie de la race a pris conscience de lui-même » (ED. CHAVANNES. *Confucius*, in *Revue de Paris*, 1908, p. 828; cf. etiam SHYROCK, *The origin and Development of the State cult of Confucius*, 1932 et HENRI BERNARD, *Sagesse Chinoise et Philosophie chrétienne*, Tien Tsin 1935, p. 26 ss.).

(5) Nomine ordinariorum illius regionis intelliguntur non tantum ii qui ad provinciam ecclesiasticam Manchuriae spectant (*Fushun, Ilan, Kirin, Mukden, Szeping-kai, Tsitsihar, Yenki*) sed partem etiam Mongoliae, novo Statui adnexae (*Yungping, Jehol, Chihfeng*). Praeter clerum indigenum, inveniuntur sex instituta missionaria diversa, quibus Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae concreduntur.

(6) Juxta novam ordinationem regiminis politici, octo « ministeriis » dividitur administratio publica. Quae autem pertinent ad educationem reguntur a ministerio proprio, cui igitur translata est petitio.

devoirs se trouvent en conflit avec les exigences de la liberté de conscience, j'ai l'honneur de vous soumettre le doute suivant.

Les honneurs rendus à Confucius, soit dans les écoles, devant son image ou sa statue, soit dans les temples devant sa tablette, constituent-il, dans l'esprit du Gouvernement, un culte religieux, analogue à celui qu'on rend à une divinité, ou bien un hommage purement civil rendu à un grand homme, à un grand philosophe, à cause de la valeur de ses enseignements et de leur importance pour la formation morale de la nation? Daignez agréer... ».

Quelques jours plus tard, le Ministère des Affaires Etrangères me communiquait la réponse faite par le Ministère de l'Education (7), auquel ma lettre avait été transmise:

« Nous avons reçu de votre Bureau la copie d'une lettre qui vous a été adressé le 27 février par l'Evêque représentant les Missions catholiques du Manchoukuo, lettre dans laquelle on demande d'expliquer clairement le sens des honneurs rendus à Confucius. — Les cérémonies en l'honneur de Confucius ont uniquement pour objet de manifester extérieurement la vénération qu'on a pour lui, mais elles n'ont absolument aucun caractère religieux. Confucius a condensé l'enseignement des anciens sages, il a mis en lumière la doctrine royale « wang-tao » (8); ses enseigne-

---

(7) Hoc ministerium tres mensas (*bureaux*) complectitur: de generalibus rebus, de educatione proprie dicta, de religionibus et socialibus, quae dicuntur, operibus. (cf. *Manchukuo Year Book*, 1934, p. 77 et 81). Expresse ipsi commendatur cura festivitatum et « promotio amoris patriae » (id. ibid. p. 77).

(8) *Wang tao* seu regula benevolentiae, licet numquam fuerit clare definita, statuitur ut principium fundamentale novae administrationis in ipsa proclamatione *Pu-yi*, tunc praesidis nunc Imperatoris status Manchu*ti*kuo (Cum enim particula affixa *kuo* regnum significet, *ti-kuo* vero imperium, mutatum est nomen, adiectione syllabae *ti*, die 1 martii 1934, occasione novae dynastiae institutae); dixerat enim in sua proclamatione (9 martii 1932) novum Statum fundari « in bonis moribus et benevolentia ».

Definitur autem illud principium maxime per oppositionem ad « Tria principia » (sive « triplicem demismum ») doctoris SUN YAT SEN quae invocantur a *Kuomintang* Sinensium, et quae, juxta dogma politicum Status Manciukuò, destruunt pacem et amicitiam cum omnibus alienigenis. (Cf. declarationem creationis Manchukuo, 1 martii 1932. *Manchukuo Year*

ments sont la base de la morale individuelle, de la morale familiale et du gouvernement des Etats; ils constituent une règle sûre pour ceux qui assument la charge de gouverner les peuples. Le Manchoukuo ayant adopté la « doctrine royale » comme principe de son gouvernement, tous les citoyens doivent participer aux cérémonies en l'honneur de Confucius et montrer ainsi qu'ils sont animés d'un loyal patriotisme. — Nous vous prions de bien vouloir transmettre copie de notre réponse à l'Evêque. - Direction des Cultes - Ministère de l'Education. Le 5 mars de la 2e année de K'ang-tee (1935) » (9).

Ayant entre les mains cette déclaration officielle sur le sens donné par les dirigeants du Manchoukuo au culte rendu à Confucius, les Ordinaires réunis à Hsinking le 12 mars 1935 sous ma présidence, ont discuté et examiné la question de savoir si et dans quelles limites on pouvait permettre aux chrétiens de participer, soit individuellement, soit en corps (écoles, armée, fonctionnaires) aux cérémonies confucianistes.

Nous avons groupé les divers cas qui pouvaient se présenter sous cinq chefs principaux. Sans jamais perdre de vue la doctrine théologique sur la coopération, nous avons étudié ces questions à la lumière du can. 1258 § 2 (10) sur la participation des catholiques aux cérémonies des acatholiques; nous nous sommes également inspirés de la let-

---

Book, 1934, p. 58 ss.; necnon, ibid., p. 100 ss., dissertationem Doctoris JINICHI YANO, nipponensis de essentia *Wang tao*). Omnes libri textus in scholis qui Tria Principia SUN YAT SEN sequebantur et praedicabant, ut contrarii novis principiis administrationis, semoti sunt, et eorum loco libri classici veterum Sinensium, CONFUCII maxime, introducti sunt « ad moralitatem et religionem » tuendam (ibid., p. 690).

(9) Nova haec aera incepit, juxta morem Sinensium, ab inauguratione dynastiae imperialis (1 martii 1934). Aera immediate praecedens, et quae duobus annis tantum duravit, vocabatur TATUNG. — TATUNG et K'ANG-TEE, sive KUANGTE sunt nomina ipsorum imperatorum.

(10) Can. 1258 § 1: *Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicarum;* § 2: *Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis, similibusque solemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit.*

tre qui m'a été confidentiellement communiquée par la S. C. de la Propagande sur le Shintoïsme au Japon (11).

Voici maintenant les réponses que nous avons cru devoir faire à chacune des questions posées, après en avoir longuement délibéré, n'ayant d'autre souci que de sauvegarder l'intégrité de la foi catholique, et de procurer la paix à la conscience de nos chrétiens.

I — *Image de Confucius exposée dans les écoles: les honneurs qui lui sont rendus* (12)

A - *Ecoles des Missions.*

Q. 1 - Si les autorités légitimes du pays en donnent l'ordre, peut-on tolérer dans nos écoles de Missions l'exposition de l'image de Confucius?

R. - Oui.

Q. 2 - Peut-on placer cette image dans une espèce de niche plus ou moins ornée, ressemblant à celle dans lesquelles les païens honorent les tablettes de leurs ancêtres?

R. - *Tolerari potest,* s'il y a un ordre formel et qu'on ne puisse l'éluder. Dans un cas comme dans l'autre on fera clairement savoir aux élèves qu'il s'agit d'un culte purement civil.

Q. 3 - Peut-on permettre aux élèves, si l'autorité l'im-

---

(11) Haec jam a nobis in his *Periodicis* tractata sunt, et infra recurrent (cf. *Periodica* XXV (1936) p. 88 ss.; XXVI (1937) p. 96 ss.).

(12) Id est latine (ut legitur apud *Collectanea Commissionis Synodalis* (Peiping) IX (1936) p. 869 ss.):

I — IMAGO CONFUCII IN SCHOLIS EXPOSITA: HONORES QUI EI TRIBUUNTUR:

A — *SCHOLAE MISSIONUM.*

1 — Mandato ab Auctoritatibus legitimis regionis dato, potestne tolerari in scholis Missionum expositio imaginis Confucii?

R — *Affirmative.*

2 — Licetne hanc imaginem collocare in quadam aedicula plus minusve ornata, quae eis similis est, in quibus pagani tabulas majorum suorum honorant?

R — *Tolerari potest,* dato formali mandato, quod eludi non potest. In omni casu alumni clare certiores faciendi sunt, rem agi de *cultu mere civili.*

3 — Licetne alumnis permittere, si Auctoritas hoc imponit, ut incli-

pose, de faire une inclination plus ou moins profonde devant l'image de Confucius ainsi exposée?

R. - *Tolerari potest.*

Q. 4 - Si dans une école chrétienne, on recevait l'ordre d'installer devant l'image de Confucius une sorte d'autel avec chandeliers, encens, etc., pourrait-on tolérer cette manière de faire?

R. - *Non,* parce que malgré la réponse des dirigeants sur le caractère civil du culte rendu à Confucius, cette cérémonie présenterait trop de similitude avec les rites religieux ou superstitieux et pourrait entraîner le scandale.

B - *Ecoles païennes.*

Q. 1 - Quelle conduite doivent tenir des élèves chrétiens qui fréquentent une école païenne et sont contraints de prendre part aux honneurs rendus à Confucius?

R. - On leur suggérera privatim de se contenter d'une assistance passive, tolérant, comme dans les cas indiqués plus haut, l'inclination...

Q. 2 - Si, dans un village païen, le maître d'école, ne pouvant se procurer une image de Confucius, écrivait son nom sur une tablette, pourrait-on lui rendre les mêmes honneurs qu'à son image?

R. - *Tolerari potest.*

---

nationem, plus minusve profundam, coram imagine Confucii, sic exposita, faciant?

R — *Tolerari potest.*

4 — Si cuidam scholae christianae mandatum refertur, ut coram imagine Confucii quoddam altare cum candelis, incenso, aliisque rebus collocetur, liceretne hunc modum agendi tolerare?

R — *Non,* quia, quamvis a Dirigentibus responso dato de indole civili cultus Confucii tributi, haec tamen caeremonia nimiam similitudinem exhiberet cum ritibus religiosis et superstitiosis, atque etiam scandalum secum ferre posset.

B — *SCHOLAE PAGANAE.*

1 — Quomodo se gerere debent alumni christiani, qui scholam paganam frequentant et adiguntur, ut suas partes tribuant honoribus, quibus Confucius afficitur?

R — Suggerendum est eis private, ut *assistentia passiva* contenti sint, et toleranda inclinatio..., ut in casibus supra indicatis.

2 — Si in vico pagano magister scholae, qui imaginem Confucii sibi providere non potest, nomen Confucii in quadam tabula scriberet, liceretne huic tabulae eosdem honores atque imagini Confucii tribuere?

R — *Tolerari potest.*

II — *Ecoliers, militaires, fonctionnaires conduits en corps à la pagode*

Q. 1 - Quid d'un chrétien au service des autorités chargées du sacrifice et accomplissant au moment même des fonctions subalternes qu'il ne peut refuser d'accomplir sans subir un dommage grave, v. g. la perte de sa place?

R. - Coopération prochaine, mais purement matérielle, donc en cas de grave nécessité, *tolerari potest.*

Q. 2 - Quid d'un élève chrétien invité à chanter soit seul, soit avec d'autres pendant le sacrifice?

R. - S'il s'agit de chants en rapport avec le sacrifice, *non licet.* S'il s'agit de chants patriotiques ou d'hymnes en l'honneur de Confucius, sans aucun caractère religieux, *tolerari potest.*

Q. 3 - Si le sacrifice terminé on impose l'inclination, alors que les victimes sont encore exposées, quel sera le devoir d'un chrétien?

R. - On peut considérer cette dernière partie de la cérémonie comme un culte civil, donc *tolérer* l'assistance passive.

Q. 4 - Quid du partage de la victime?

R. - *Nullo modo tolerari potest.*

II — ALUMNI, MILITARES, OFFICIALES CORPORE CONDUCTI IN PAGODAM.

1 — Quid de Christiano, qui munere fungitur penes Auctoritates, quae de sacrificiis curant, et in ipso momento sacrificii functiones subalternas administrat, quas recusare nequit, quin subeat magnum damnum, v. g. iacturam officii sui?

R — Cooperatio proxima, sed mere materialis, in casu gravis necessitatis, *tolerari potest.*

2 — Quid de alumno christiano, qui invitatus est, ut sive solus sive una cum aliis tempore sacrificii cantet?

R — Si agitur de cantibus, *qui ad ipsum sacrificium pertinent, non licet.* — Si autem agitur de cantibus patrioticis sive de hymnis in honorem Confucii, qui *omni religiosa indole carent, tolerari potest.*

3 — Si, sacrificio completo, inclinatio mandatur, dum victimae adhuc expositae sunt, quomodo Christiani se gerere debent?

R — Haec ultima caeremoniarum pars tamquam cultus civilis considerari, ideoque assistentia passiva tolerari potest.

4 — Quid de participatione victimae?

R — *Nullo modo tolerari potest.*

III — *Coopération pécuniaire à la construction ou à la réparation des pagodes.*

Q. 1 - Peut-on coopérer financièrement à la construction ou à la réparation des temples ou de tout autre édifice en l'honneur de Confucius?

R. - *Tolerari potest.*

Q. 2 - Peut-on agir de même s'il s'agit de temples destinés à un autre culte?

R. - Distinguer: s'il s'agit d'une taxe comprise « in globo » dans les autres impôts, alors *tolerari potest.* S'il s'agit d'une taxe spéciale prélevée pour couvrir les frais de construction ou de réparation, alors *tolerari nequit.*

Les taxes perçues à propos des comédies sont soumises à la même distinction. S'il s'agit d'une comédie superstitieuse, organisée v. g. par suite d'un voeu, les chrétiens ne peuvent y coopérer. S'il s'agit d'une comédie jouée au titre de réjouissance populaire, le paiement de la taxe peut être toléré.

IV — *Assistance aux funérailles païennes.*

Bien que cette question ne fasse pas partie de celles qui se rattachent au culte de Confucius, elle est d'un intérêt très actuel et mérite d'être étudiée.

III — Cooperatio pecuniaria in constructione vel reparatione pagodarum.

1 — Licetne pecunia cooperari in constructione vel reparatione templorum aut cuiusvis alterius aedificii, in honorem Confuci erecti?

R — *Tolerari potest.*

2 — Licetne se habere eodem modo, si agitur de templis, quae ad alium cultum destinata sunt?

R — Distinguendum est: Si agitur de contributione, quae « in globo » aliis vectigalibus continetur, *tolerari potest.*

Si vero agitur de contributione speciali, quae ad sumptus constructionis vel reparationis insumendos constituta est, *tolerari nequit.* — Contributiones impositae ad apparandas *comoedias* eidem destinationi submittuntur. Si ergo agitur de comoedia superstitiosa, v. g. ex voto edita, *Christianis ei cooperari non licet.* Si autem agitur de comoedia, quam edunt *in delectationem populi,* contributio *tolerari potest.*

IV — Assistentia ad funera pagana.

Licet haec quaestio non pertineat ad eas, quae cultum Confucii spectant, maxime tamen tempestivi momenti est et digna sane, in quam studium conferatur.

1 - Funérailles privées — le salut (inclination) devant les morts, autrefois rigoureusement interdit aux chrétiens, semble perdre de plus en plus son caractère religieux. L'évolution des moeurs, la mentalité actuelle, qui tend à voir dans cette inclination un hommage civil au mort à l'exemple de ce qui se fait en Occident, enfin plusieurs précédents, paraissent pouvoir nous autoriser à *tolérer* à l'avenir cette salutation.

2 - S'il s'agit d'une assistance purement passive, *tolerari potest.* Cette tolérance s'étend à l'inclination et aux autres actes extérieurs d'hommage qui « in re mixta » se rapporteraient à la partie purement civile de la cérémonie.

En soumettant le présent compte-rendu à V. E., il m'est agréable de vous assurer que la plus parfaite union a règné entre tous les membres de la Conférence. Tous ont admis que dans cette question, on devait user de la plus grande discrétion, sans jamais écrire ni discourir sur ce sujet, se bornant au fur et à mesure des circonstances, à donner en particulier aux missionnaires ou aux chrétiens les conseils et directions adaptés à chaque cas qui se présentera.

Dans cette question comme dans toutes les autres, les Ordinaires du Manchoukuo renouvellent leur entière et très respectueuse soumission aux directions du Saint-Siège.

Daignez agréer...

A Gaspais, Ev. Vicaire Apost.

---

1 — Funera privata. — Inclinatio coram defunctis, olim Christianis rigorose interdicta, religiosam suam indolem magis magisque amittere videtur. Evolutio morum, actualis mentalitas, quae eo tendit, ut in hac inclinatione obsequium civile conspiciat, defuncto tributum, uti in Occidente fieri solet, compluresque casus praecedentes videntur nobis auctoritate munire posse, tempore futuro hanc salutationem tolerandi.

2 — Si agitur de *assistentia mere passiva, tolerari potest.* Haec tolerantia sese extendit ad inclinationem et ad alios externos actus venerationis, qui « in re mixta » caeremoniarum partem mere civilem attingunt.

10 - S. Congregatio de Propaganda Fide
Epistola 28 maii 1935

AD REVMUM ET EXMUM DOMINUM A. GASPAIS, VICARIUM AP.CUM DE KIRIN, DE PARTICIPATIONE FIDELIUM IN HONORIBUS CONFUCIO EXHIBENDIS, ALIISQUE RITIBUS

(apud *Collectanea Commissionis Synodalis* (Peiping) IX (1936) p. 868 s.) (1)

Roma, die 28 mensis maii 1935

Excellentia Vestra (1) huic Sacrae Congregationi, die 25 mensis martii anni currentis (1935), decisiones exposuit, quas Ordinarii de Manchoukuo, approbationi Sanctae Sedis sese subiicientes, fecerunt de participatione Catholicorum in signis obsequii, ab Auctoritatibus in honorem Confucii praescriptis, et in aliis publicis caeremoniis.

Propter particularem hujus argumenti gravitatem, haec Sacra Congregatio, postquam in accuratum huius quaestionis studium et incubuit Ipsa et alios incumbere fecit, rem ad Sanctitatem Suam referre censuit opportunum.

Summus igitur Pontifex in Audientia diei 16 mensis currentis (maii) 1935), perspectis cum expositione Excellentiae Vestrae tum voto, quod Excellentia Sua Mgr Celsus Costantini (2) scripserat, haec cogitata elocutus est:

1 - oportet, ut Ordinarii de Manchoukuo ad evitandam omnem rationem scandali, quae quocumque modo occurrere poterit, notam faciant, necessaria servata prudentia, quam rerum adiuncta suggerunt, epistolam, in qua Directio Cultuum de Manchoukuo recenter asseveravit, caeremonias in honorem Confucii peractas « absolute non habere ullam religiosam indolem »;

---

(1) In commodum Sociorum adhibemus versionem istam latinam, quae publicata est apud *Collectanea Commissionis Synodalis*, l. c.; originalis textus, lingua italica editus, legitur apud *L'Osservatore Romano*, 2 iulii 1936, p. 2.

(2) Exmus et Revmus Dominus CELSUS COSTANTINI, olim Delegatus Ap.cus in Sinis, nunc Secretarius S. Congregationis de Propaganda Fide.

2 - oportet, ut iidem Ordinarii, dum Christifidelibus normas tradunt, declarationem officialem sequantur;

3 - oportet, ut Sacerdotes, dato iureiurando circa ritus Sinenses (3) praescripto, instructionibus Ordinariorum adhaerescant, quaestiones et controversias vitantes.

Haec Sacra Congregatio ex parte Sua censet, Ordinarios, dum Christifidelibus normas tradant, sese accommodare posse decisionibus, quas unanimiter in Conventu suo, in civitate Sinking (Changchun) habito, fecerunt. Videntur enim prudentes et bene ponderatae.

Faveat Excellentia Vestra alios Ordinarios de Manchoukuo de omnibus hisce rebus certiores facere eosque rogare, ut omni qua possint attentione evolutionem huius quaestionis semper prosequantur, et unanimi agant consensu.

Petrus Card. Fumasoni-Biondi, *Praefectus*
Carolus Salotti, Archiepp. Philipp., *Secretarius*

Annotationes in duo Documenta praecedentia

1 - *Momentum huius ordinationis*

Ex quadruplici consideratione maxime elucet:

a - Historica: Quicumque enim vel levi manu Commentarios antiquae missionis Sinensis volverit, novit profecto hanc intricatam et perplexam quaestionem, utrum et quo pacto honores publice vel privatim Confucio tribui possent, dubiis innumeris per saecula ansam praebuisse. Quae, si nunc pacifico et unanimo spiritu, approbante Sancta Sede, solvantur, rem momento suo historico non carere, clare apparet.

b - Politica: Status Manciukuò, vel Manchu*ti*kuò, de quo supra in notulis ad calcem, politicis nexibus et quidem arctissimis imperio Nipponico jungitur. Quidquid ibi per missionem catholicam geritur, non censeri debet in angulo quodam vel in angiportu aut sub modio collo-

(3) Cf. de hoc Annotationes infra.

cari, sed lucebit omnibus qui in domo sunt; domus autem vastissima est. Non enim tantum 30 milliones incolarum considerandi sunt (quamvis sola quantitate facile duplo superent totam Delegationem Apostolicam Congi belgici) sed influxus moralis et oeconomicus, quem novus ille Status, a Nipponensibus excitatus, tum meridiem versus inter Sinenses, tum occidentem versus inter Mongoles, tum in ipso Nippone exercere potest et certo certius exercebit.

c - Ecclesiastica: Documentum enim non est unicum, sed una cum instructione Delegati Apostolici circa Shintoismum Japonensem (cf.: *Periodica* xxv (1936) p. 88 ss.) et responso confirmativo S. Congregationis de Propaganda Fide (de quo infra) pars dici potest oeconomiae missionariae generalis.

d - Theologica: Non agitur de re mere disciplinari, nec de ordinatione quae spectet tantum missionarios, sed de relatione inter munus ipsum Ecclesiae et instituta civilia, mores speciales alicuius status ethnici. Ideo solutio data involvit principia generalia, quae, cautelis sub debitis et salva suprema auctoritate, ad casus alibi similes possunt applicari.

2 - *Historica introductio*

Quamvis in notulis ad calcem ipsius documenti plura iam tetigerimus, juvat tamen, claritatis gratia, compendio rem totam referre. Patet enim his ordinationibus mutationem aliquam induci antiquae disciplinae. Quaelibet vero mutatio incautis praebere potest scandalum, dum non attendentes rerum conditionem alteratam nec distinguentes tempora, rationem mutationis non intelligunt et antiquam disciplinam modernae opponunt ut alterutram damnent. Iam Ignatius Antiochenus ad Polycarpum scribebat « Tempora perpende, τούς καιρούς καταμάνθανε » (*ad Polyc.*, III 2) et Gregorius Papa, Augustino Cantuariensi respondebat « Sancta Ecclesia quaedam per fervorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per

considerationem dissimulat, atque ita portat et dissimulat, ut saepe malum quod aversatur portando et dissimulando compescat »; et citatur a Beda, *Histor. Eccles. Angl.* I. 27: ML XCV col. 60).

a - Creatio Status Manciukuo. — Post varia et longa proelia, tum intestina, tum externa, independentia Status Manciukuo 1 martii 1932 auxiliantibus Nipponensibus fuit promulgata. Manu militari extenduntur limites hujus Status, ita ut totas provincias *Heilungkiang, Kirin, Jehol, Fengtien* comprehendat, et portionem Mongoliae orientalis. In prima proclamatione (1 martii 1932) fundatores novi Status iam edixerunt se velle restaurare doctrinam moralem Confucii et applicare principia « benevoli regiminis » (*Wang-tao*). Quod confirmavit in suo rescripto, 9 martii 1932, praeses Henricus Puyi, princeps antiquae dynastiae olim regnantis in Sinis (Ts'ing). Idem invenimus in epistola quam omnibus Ministris potestatum exterarum communicabat, martii die 12, 1932, Hsieh Chieh Shih, ad notificandam creationem Novi Status.

Immediate, sub impulsu Nipponensium, administratio civilis, res monetaria, exstructio urbium, viarum munitio et refectio, ipsa educatio puerorum, hygienicae ordinationes, industriae labor celeriter adoleverunt.

b - Wang-tao, ut jam notatum est supra, conceptus est potius quam programma politicum. Significat praesertim principium generale contrarium famoso axiomati, quod respublica Sinensis ex scriptis Sun Yat Sen hauserat, de « Tribus principiis democraticis »: omnia ex populo, per populum, pro populo. Non quod secundum *Wang-tao* supprimi deberetur institutio democratica, sed quoniam doctrina Sun Yat Sen identificabatur cum nationalismo sinensi, statim senserunt novi Status praesides, in hac re capitali mutationem esse inducendam. *Wang-tao* repetunt ex antiquitate Sinensi, tempore quod rempublicam praecessit. Confucii doctrinam, cum reiecissent republicani

Sinenses, utpote decrepitam et impotentem, hanc ipsam extulerunt in Manciukuò, ut sic, dissidio consummato, facilius independentia protegeretur, non armis tantum sed animis.

Ipsa notio *Wang-tao* evolutionem passa est. Benevolentia et mansuetudo quas exprimit ita fuerunt intellectae et praedicatae, ut ipsae Primus Magistratus Manciukuò, nomine Cheng Hsiao-han, mense augusto 1933, scripto officiali edixerit verum *Wang-tao* excludere militarem praeparationem omnem nec curare de amore propriae patriae, cum benevolentiam erga omnes et solas virtutes pacificas exerceat. Hos autem excessus, ut absurdos, vix non statim damnarunt quicumque recta sapiebant, et ne sub praetextu *Wang-tao* reduceretur populus ad conditionem ovium balantium, edictum est *Wang-tao* verum amorem patriae exigere, et promptum animum ad eam fortiter defendendam, sine tamen admixtione ulla « xenophobiae » vel contemptus aliarum nationum (cf. *Manchukuo Year Book*, 1934, p. 106, ss.). Sic existimant consuli simul et bono regionis et commodo potestatis nipponicae.

c - Confucius, ut jam indicatum est in notulis ad calcem documenti, venerationi fuit Sinensibus per saecula. Moralia ejus praecepta, oboedientiam et modestiam maxime inculcantia favebant auctoritati imperatorum. Paulo post rempublicam in Sinis proclamatam (1911), Confucianismus denuntiatus est ut origo omnium malorum et praecipuum autocratiae fulcrum. In Sinis practice abolitus est, et ejus loco principia democratica Sun Yat Sen (seu Sun Wen) exaltata, et ubique auctoritate publica et influxu coetus *Kuomintang* (seu factionis popularis) proclamata. In Manciukuò igitur, instigantibus Nipponensibus, habemus nunc restaurationem Confucianismi, oppositam destructioni quae locum habuit, praesertim a 1927, in Sinis.

d - Honores vero Confucio attributi, et qui a multis minus recte « cultus » vocantur, apud Sinas nulla iam publica auctoritate gaudent. In Manciukuò, statim a fundatione Status, ministerium Educationis festa popularia Confucii denuo statuit excitare, et, 1932, ordinationem edidit, praescribentem ut in tota regione bis in anno, verno et autumnali tempore haec festa peragerentur. Festa haec et caerimoniae adnexae publica auctoritate reguntur, et ad omnes eorum ritus scite persolvendos schola habetur, adiacens templo Confucii in Hsin King, in qua erudiuntur qui festivitates ordinare et curare debent.

Non tamen ubique eadem est praxis: praeter salutationes et reverentias imagini Confucii exhibitas, vel tabellae inscriptae, quae loco ejus stare censetur, carmina decantantur; varia etiam dona in testimonium grati animi offeruntur; quandoque esculenta apponuntur, quae postea ab assistentibus sorbentur. Quoniam autem per Ministerium educationis honores illi urgentur et determinantur, et quoniam omnes pueri in scholis ad has caerimonias adiguntur, patet grave periculum, ne dicamus immensam cladem, imminere religioni catholicae, si tales honores praestare Confucio de toto vetuerit.

3 — *Principia theologica solutionum*

Licet non indicentur expresse, possumus tamen ea ex supposito solutionum sat facile eruere. Sunt de coetero sat obvia et ab omnibus catholicis semper admissa. Tota difficultas est in applicatione ad varios casus, qui per se non sunt semper perspicui et ansam praebent diversis opinionibus et interpretationibus.

a - Obtemperandum est potestati civili legitimae in omnibus quae per legem naturalem vel legem Evangelii non prohibentur.

Quod iam nitide probabat Cardinalis Brancati a Laurea, *Comment. in tert. libr. Sent. Magistri Fr. J. Scoti*, tom. 3,

parte altera, disput. XVIII, art. 5, § 1. In hoc enim tractatu vere missiologico statuit « etiam principibus infidelium debitus honor civilis et politicus est praestandus ».

b - Quaecumque possunt rationabiliter intelligi ut ritus mere civiles, etiamsi exterius sint similia ritibus aliquibus religiosis, non sunt per se prohibenda, praesertim si prohibitio magnum detrimentum, vel materiale vel spirituale afferret.

Notarunt iam omnes quod, cum natura humana una sit ubique, corpore et anima constans, non potest exhibere sensus honoris vel gratitudinis modo totaliter diverso secundum quod ad Deum vel ad homines tantum diriguntur. Capitis inclinatio, genuflexio, prostratio, oblationes et carmina decantata, candelae accensae, imaginis exhibitio, processiones, statuarum erectio, non pertinent intrinsece et exclusive ad cultum divinum.

c - Per accidens tamen, propter periculum erroris et scandali et perversionis fidei, ritus etiam mere civiles declarati, si religiosis sint simillimi et a plebe universaliter sic intellecti, catholicis prohiberi possunt ab auctoritate ecclesiastica.

Patet enim munus pastoris esse gregem tueri, et arcere, sapienti consilio, occasiones proximas ruinae spiritualis.

d - In actibus cultus ethnici, assistentia mere passiva, iusta de causa tolerari potest.

Hoc solent moralistae fuse probare, et habetur sine scrupulo apud omnes catholicos qui v. g. in moscheam Mahometanorum ingrediuntur, ut caerimoniás, curiositatis causa, inspiciant. Quod in nonnullis regionibus a Mahometanis vel a Buddhistis aequanimiter ipsi vidimus tolerari, quin ullus cogitet de proprie dicta communicatione in sacris.

e - Cooperatio proxima, sed mere materialis, in cultu ethnico, gravi de causa, tolerari pariter potest, nisi per accidens ratione scandali vel periculi videatur prohibenda ab auctoritate ecclesiastica.

4 — *Applicationes, quae indicantur in documento*

Determinantur non omnes quidem casus, sunt enim innumeri, sed praecipui; et ex ipso tenore sunt sufficienter explanati.

Sapientissime autem commendatur in penultima paragrapho ne scribant vel disputent in publico de his et similibus casibus. Experientia enim constat his disputationibus mentes potius obnubilari et animos saepe ad dissentiones et iurgia commoveri. Porro, cum res omnes in novo Manciukuò sint adhuc fluctuantes et mobiles, periculosum esset de futuris iam nunc quidquam determinare, sed occasione exorta, fidelibus discrete et pacate, non praecepto solum, verum etiam consilio, quod opportunum sit indicare. « Non enim, ut dicebat Theodoretus in similibus adiunctis, spinas exscindere, sed immutare agriculturae nostrae lex jubet ». (*Graecarum affectionum curatio*, I: MG LXXXIII, col. 791).

Ut his regulis et ipsi obtemperemus, satius videtur nullo commentario responsa, de se perspicua, obfuscare, maxime cum res illae perplexae cominus et non de longinquo tractari postulent.

Pierre Charles, S. J.

11 — Sacra Congregatio de Propaganda Fide Instructio 26 maii 1936

AD EXC.MUM D. PAULUM MARELLA, ARCHIEPISCOPUM TIT. DOCLEENSEM, DELEGATUM APOSTOLICUM IN IAPONIA, CIRCA CATHOLICORUM OFFICIA ERGA PATRIAM

(*AAS* XXVIII (1936) p. 406 s.)(1)

Pluries instanterque ab hac S. Congregatione de Propaganda Fide aliquae normae expostulatae sunt de ratione

(1) Italicam versionem huius Instructionis habes apud *L'Osservatore Romano*, 2 iulii 1936; ubi etiam invenies (p. 1) generalem quandam in tria Documenta (No 9, 10 et 11) introductionem.

qua catholici in Iaponia se gerere debeant, quotiescumque patriae leges vel mores illis quosdam certos actus perficere imperent vel suadeant, qui a ritibus religiosis non christianis originem duxisse videantur.

In huiusmodi quaestione dirimenda in mentem revocare iuvat quae Sacra Congregatio iam ab anno 1659 sapientissima posuit principia, instructiones Missionariis impertiens:

« Nullum studium ponite (2), nullaque ratione suadete illis populis, ut ritus suos, consuetudines et mores mutent, modo non sint apertissime religioni et bonis moribus contraria... Fides nullius gentis ritus et consuetudines, modo prava non sint, aut respuit aut laedit, imo vero sarta tecta esse vult. Et quoniam ea paene est hominum natura, ut sua, et maxime ipsas suas nationes, caeteris et existimatione et amore praeferant, nulla odii et alienationis causa potentior existit, quam patriarum consuetudinum immutatio, earum maxime quibus homines ab omni patrum memoria assuevere... Quae vero prava exstiterint, nutibus magis et silentio quam verbis proscindenda, opportunitate nimirum captata, qua, dispositis animis ad veritatem capessendam, sensim sine sensu evellantur... ».

Missionariorum est ergo et agnoscere et honorare Iaponensium pietatem et amorem in patriam atque fideles docere ne ceteris civibus sint in amanda patria inferiores. Quod semper a missionariis praestitum est.

Quoad vero actus quibus Iaponenses suum manifestant amorem erga patriam, haec notanda sunt. Agitur de illis actibus, qui, quamvis ab ethnicis religionibus primitus orti, non sunt intrinsece mali, sed per se indifferentes, neque iubentur ut religionis signa, sed tantum veluti civiles actus ad pietatem manifestandam et fovendam erga patriam, omni intentione remota compellendi sive catholicos sive non

(2) Textus celeberrimae illius Instructionis, multoties typis mandatus, invenitur apud *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide*, I, Romae 1907, p. 42: N. 135.

catholicos ad significandam quamlibet adhaesionem religionibus a quibus ritus illi orti sunt.

Hoc ipsae Imperii Iaponici auctoritates explicite non semel declararunt, innixae principio libertatis religiosae et illa distinctione, iam a Gubernio Iaponico statuta et promulgata, inter obsequium nempe shintoisticum nationale (ad nationalia Jinja (3)) et cultum shintoisticum religiosum. Enimvero templa seu monumenta obsequio civili dicata a diversa pendent gubernii Administratione quam quae ritibus religiosis inserviunt. Archiepiscopo Tokiensi (4) petenti, die 22 sept. 1932, a Ministro Instructionis Publicae utrum: « *pro certo retinendum esset rationes ob quas adsistentia alumnorum scholarum huiusmodi actibus requireretur esse rationes patrii amoris et non religionis* », Vices Gerens Ministri respondit: « *Visitatio ad nationalia templa seu Jinja exigitur ab auditoribus scholarum superiorum et ab alumnis scholarum mediarum et primariarum ob rationes quae se referunt ad programma educationis. In facti specie, salutatio quae requiritur ab agmine auditorum scholarum superiorum et alumnorum scholarum mediarum et primariarum nullum alium finem habet quam manifestandi sensus amoris patrii et fidelitatis* ». Quem finem mere civilem ipsae leges de Publica Instructione confirmant, ut patet ex lege data die 3 augusti 32 anno Meiji (1899) (5) vetante educationem religiosam impertiri vel caeremonias religiosas celebrari in scholis publicis nec non in scholis quae submissae sint legibus et ordinationi-

(3) *Jinja* vox est japonica indicans templum vel sacellum shintoïsticum (a Shinto shrine: cf. SAÏTO, *Japonese-English Dictionary*, Nichieisha 1931. p. 319). Multa sic dicta templa non sunt nisi aediculae, quae nullum hominem capere possunt, et circa quas, non in quibus, honores exhibentur. Templa vero buddhistica, *tera* vocantur.

(4) Exc.mus et Rev.mus Dominus CHAMBON, Miss. Exter. Paris.

(5) *Meiji* vocatur aera « restaurationis » quae cum imperatore MUTSUHITO incepit. Neutralitas religiosa scholarum consectarium est libertatis conscientiae, in Constitutione Nipponica stabilitae, et compulsoriae instructionis, pro universis pueris et puellis, qualis existit in Japonia. Plura de hodierna rerum condicione et de evolutione eius, praesentia respiciens Decreta edidit *La Civiltà Cattolica* (Romae) LXXXVII (1936), vol. III, p. 101 ss, 186 ss, 279 ss: *Evoluzioni di popoli e nuove provvidenze della Chiesa.*

bus de disciplinis tradendis et de curriculo studiorum. Ex quo licet inferre caeremonias ad Jinja, ab auctoritatibus publicis imperatas discipulis, non induere religiosam naturam.

Idem videtur esse tenendum de publicis caeremoniis, quae statutis diebus, auctoritatibus intervenientibus vel foventibus, ad nationalia Jinja peraguntur, cum eaedem auctoritates hanc esse suam mentem non semel, directe vel indirecte, affirmaverint, et haec profecto sit late diffusa persuasio cultiorum hominum Iaponici Imperii et eorum qui Iaponensium mores et animos profundius scrutati sunt.

Simili fere modo, actus qui iuxta patrios mores fieri solent quibusdam in eventibus, ut ex. gr. occasione funerum vel matrimoniorum, quamvis et ipsi originem forte habuerint religiosam, adhibentur nunc temporis a plurimis in tota Iaponia absque ulla religiosa significatione, sed tantum ut urbana ratio manifestandi benevolentiam erga propinquos et amicos; ita ut amisisse videantur intrinsecam connexionem cum ethnicis religionibus et in meros civiles mores mutati esse.

Cum primo hoc considerationum genere, alterum, quod sequitur, stricte coniunctum apparet. Etenim, cum persuasio late diffusa sit agi non de ritibus religiosis, sed de mere civilibus consuetudinibus, catholici, qui renuant huiusmodi caeremoniis interesse, facile incusantur, et facile ab hominibus vel non inimicis doctrinae catholicae creduntur esse frigidi erga patriam vel ingrati et inurbani erga familiares et amicos. Valde propterea optandum videtur ut removeantur causae huiusmodi publicae opinionis falsae et iniuriosae, quae non tantum fideles iaponicos multum afflictat, sed etiam animos avertit a via salutis ingredienda.

Haec Sacra Congregatio, omnibus ea attentione perpensis, quae rei gravitati convenit, viris peritis consultis, perspecta temporum ac morum evolutione, considerata mente Concilii Nagasakiensis anno 1890 celebrati, attentoque voto

ab Excmis Delegatis Apostolicis E. Mooney et P. Marella atque ab Ordinariis Iaponiae recentius manifestato, post maturam deliberationem in solemni consessu Eminentissimorum PP. Cardinalium Sacro Consilio christiano nomini propagando praepositorum, die 18 maii c. a. habitam, sequentes normas agendi tradendas esse censuit:

1. Ordinarii in territoriis Iaponici Imperii doceant fideles, caeremoniis, quae fieri solent ad monumenta Jinja a Gubernio civiliter administrata, annecti ab auctoritatibus civilibus (ut ex explicitis declarationibus pluries datis constat) itemque communi cultiorum hominum sensu meram significationem patrii amoris, scilicet filialis reverentiae erga familiam imperialem et patriae benefactores; ideoque, cum huiusmodi caeremoniae valorem induerint mere civilem, catholicis licere interesse eis et more ceterorum civium agere, declarata sua intentione, si quando hoc necessarium apparuerit ad falsas interpretationes sui actus removendas.

2. Iidem Ordinarii permittere possunt ut fideles, quando intersint funeribus, matrimoniis aliisque privatis ritibus in vita sociali iaponensi usitatis, participes fiant sicut ceteri (declarata, si necessarium, sua intentione ut supra) omnium illarum caerimoniarum, quae, quamvis forte a superstitione originem duxerint, ex circumstantiis tamen locorum et personarum et ex communi aestimatione nunc temporis non retineant nisi sensum urbanitatis et mutuae benevolentiae.

3. Circa iuramentum de ritibus, ubicumque in Iaponia in usu est, sacerdotes praesentes instructiones hac in re a Sacra Congregatione de Propaganda Fide datas dociles exsequantur, omni disputatione remota.

Quae omnia cum Summo Pontifici in Audientia diei xxv Maii a subsignato S. Congregationis Secretario relata fuissent, Sanctitas Sua dignata est rata habere, declarans Ordi-

narios Iaponiae normas supra datas sequi tuto posse et debere (6).

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die XXVI mensis Maii A. D. MDCCCCXXXVI.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*
† C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius*

ANNOTATIONES

Duo tantum notanda veniunt:

1 - Licet Japonia non sequatur principium *Wang-tao* in administratione, sed potius Shintoïsmo magis et magis inhaereat, tamen de utroque, mira et sapienti conspiratione, regulae ecclesiasticae conduntur. Nemo enim non videbit affines esse omnino casus quos pro Manciukuo confuciano et pro Japonia shintoïstica eadem fere methodo solvit utrimque auctoritas Ecclesiae.

2 - Quoniam praesens documentum roborat instructionem datam a Delegato Apostolico, nec quidquam in illa immutat, referimus lectorem ad commentarium quem de hac ipsa instructione proposuimus in hisce *Periodicis*. Vide *Periodica* XXV (1936) p. 100 ss.

PIERRE CHARLES, S. J.

(6) Hoc verbo Summi Pontificis verum robur obligationis additur litteris Delegati Apostolici Japoniae Ex.mi et Rev.mi D. Pauli Marella, de quibus antea tractavimus, *Periodica* XXV (1936) p. 88 ss.

ACTA SUMMATIM RELATA

12 — SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Bulla *Universorum christifidelium,* 22 febr. 1936, ab archidioecesis Vancuveriensis territorio integri decanatus *Nelson* et *Cranbroock,* nec non pars decanatus *Kelowna,* amplectens octo paroecias et missiones, distrahuntur atque e territorio ita avulso nova erigitur et constituitur dioecesis ab urbe Nelson « Nelsonensis » nuncupanda. In hac porro urbe Nelson sedis dioeceseos ut cathedra episcopalis constituitur atque ecclesia paroecialis Deo in honorem Imm. Concept. B. M. V. dicata, ad Ecclesiae cathedralis gradum evehitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 389 ss.).

B — Bulla *Praecipuas inter,* 9 martii 1936, e Vicariatu Apostolico « de Buichu », in indosinensi regione, territorii pars dismembratur, ex qua novus constituitur Vicariatus « de Thai-Binh » nuncupandus, et Ordini Praedicatorum concreditur; Vicariatus vero « de Buichu », ita territorio imminutus, clero indigenae concreditur (*AAS* XXVIII (1936) p. 392 s.).

C — Epistola *Iucundus profecto,* 19 martii 1936, ad Em.um P. D. EMMANUELEM Tit. SS. Marcellini et Petri S. R. E. Presb. Card. GONÇALVES CEREJEIRA, Patriarcham Olisiponensem, annum a suscepto sacerdotio quintum et vigesimum celebraturum, SS. D. Ei de proxima faustitate gratulatur, sollemnia ipsa ad sacerdotale decus munusque in persona Pastoris dilaudandum praestituta laeto libentique animo participat, simulque pios fideles paterne exhortatur, ut omnes, qua precibus, qua consiliis, qua opibus, fortunatos adolescentes, qui ad sacra munera vocentur, opportune efficaciterque adiuvent auxilia itaque praevalida in Ecclesiae incrementum dilecto Pastori praebentes (*AAS* XXVIII (1936) p. 399 s.).

D — Epistola *Perlibenti sane animo,* 29 april. 1936, ad Em.um P. D. EUSTACHIUM Tit. S. Laurentii in Panisperna

S. R. E. Presbyterum Card. Ilundain y Esteban, Archiep. Hispalensem, quinquagesimo sacerdotii anno expleto, SS. D. N. gratulantis animi Sui sensus Ei aperit, vota atque omnia paterne iucundeque exhibet. Sicut plura iam antehac benevolentiae Suae dedit testimonia, ita in praesens, de sacro munere tam diuturne diligenterque peracto Ei vehementer gratulatur, precibusque Deo ultro admotis, felicissima dona ac solacia caelestia Ei adprecatur (*AAS* xxviii (1936) p. 400 s.).

E — Bulla *Ad maius christiani*, 2 maii 1936, Abbatia S. Martini ad Montem Ciminum cum dioecesi Viterbensi *unione perpetua et aeque principali* coniungitur, ita ut in posterum Episcopus pro tempore Viterbiensis regimem quoque illius Abbatiae habeat et titulo Abbatis S. Martini ad Montem Ciminum condecoretur cum omnibus iuribus et officiis eidem adnexis (*AAS* xxviii (1936) p. 394 s.).

F — Epistola *Quintum ac vigesimum*, 3 mai 1936, ad Em.um P. D. Sebastianum Tit. SS. Bonifacii et Alexii S. R. E. Presbyterum Card. Leme da Silveira Cintra, Archiep.um S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, xxv appetente natali episcopatus Eius, SS. D. N. omnia solertiae Eius promerita dilaudat atque omnes pastoralis muneris laudes hac iucunda opportunitate memorans, Ei libenti animo gratulatur, ac Eius suorumque laetitiam paterna Sua participatione atque auctoritate cumulare exoptat (*AAS* xxviii (1936) p. 401 s.).

G — Epistola *Laetus profecto*, 21 maii 1936, ad Em.um P. D. Alexandrum Tit. S. Augustini S. R. E. Presb. Cardinalem Kakowski, Archiep.um Varsaviensen, appetente natali quinquagesimo sacerdotii Eius, SS. D. de faustitate vehementer Ei gratulatur, et iucundo animo caelestium donorum solaciorumque copiam a Domino adprecatur (*AAS* xxviii (1936) p. 466 s.).

H — Bulla *Valde decet*, 25 maii 1936, Missio « sui iuris » *de Hainan*, iisdem servatis nomine ac limitibus, in Ap.cam Praefecturam erigitur et constituitur, eaque Societati Sacrorum Cordium Iesu et Mariae *de Picpus* concreditur (*AAS* xxviii (1936) p. 453 s.).

I — Bulla *Quo in Rhodesiae*, 25 maii 1936, e Praefectura Ap.ca de *Broken-Hill* tota regio separatur, quae *Barotseland* nuncupatur, quaeque sex districtus civiles com

plectitur, cum adnexo districtu *de Livingstone*. Territorium autem ita seiunctum in novam Praefecturam Ap.cam sub nomine *de Victoria Falls* erigitur et constituitur et illa Missionalibus ex Ordine Fratrum Minorum Capucinorum committitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 455 s.).

L — Bulla *Sollicito studio*, 25 maii 1936, e Vicariatu Ap.co *de Laohokow* territorii pars separatur quattuor complectens civiles subpraefecturas *de Siangyang, Tsaoyang, Jcheng, Nanchang*, et illa in novam erigitur Praefecturam Ap.cam, quae ab urbe *Siangyang* eiusdem Praefecturae principe, *de Siangyang* nuncupabitur et clero indigenae committetur (*AAS* XXVIII (1936) p. 456 s.).

M — Bulla *Ad evangelici verbi*, 25 maii 1936, ab Ap.ci Vicariatus *de Kassai Superiore* territorio tota regio *Batetelas*, inter *Sankura* et *Lomani* flumina posita, quattuor Missionalium stationes complectens, seiungitur et separatur, eademque in novam erigitur et constituitur Praefecturam Ap.cam de *Tshumbe* noncupanda ac Missionalium Congregationis Clericorum Excalc. Ss. Crucis et Passionis D. N. I. C. curis committenda (*AAS* XXVIII (1936) 458 s.).

N — Bulla *Ad Christi Evangelium magis*, 25 maii 1936, ex *Insularum Sundae Minorum* Vicariatu Ap.co *Timor* insulae pars, ad Neerlandicam Nationem spectans, nec non insulae *Roti, Savoe, Alor* et *Pantar* una cum parvulis insulis et scopulis, sub harum insularum dicione exstantibus, seiunguntur et novus proinde Vicariatus Ap.cus, *de Timor Neerlandica* nuncupandus, erigitur et constituitur, idemque Missionalium Societatis Verbi Divini curis committitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 459 s.).

O — Bulla *Ad Christi Evangelium amplius*, 25 maii 1936, e Vicariatus *de Luanfu* territorio viginti duae civiles subpraefecturae separantur et seiunguntur. Territorium vero ita circumscriptum in novam Praefecturam Ap.cam erigitur et constituitur ab urbis principis in ea exstantis nomine *de Kiangchow* appellandam, et apostolicis Ordinis FF. Minorum curis committendam (*AAS* XXVIII (1936) p. 461 s.).

P — Bulla *Quo in regionibus*, 3 iun. 1936, Ap.ca Praefectura de Sancto Gabriele a Virgine Perdolente de Marañon, iisdem servatis nomine ac limitibus, ad Vicariatus

Ap.ci gradum et dignitatem extollitur, erigitur et constituitur quae committitur Congregationis Clericorum Excalceatorum Ss. Crucis et Passionis D. N. I. C. Missionariis (*AAS* XXVIII (1936) p. 463 s.).

Q — Epistola *Perutile sane,* 24 iun. 1936 ad Em.um P. D. EMMANUELEM Tit. SS. Marcellini et Petri S. R. E. Presb. Cardinalem GONÇALVES CEREJEIRA, Patriarcham Olisiponensem, quem SS. D. Legatum Conimbriam mittit ad sollemnia saecularia in honorem S. Elisabeth. Lusitanorum reginae peragenda (*AAS* XXVIII (1936) p. 467 s.).

R — Bulla *Ad spirituale,* 11 iul. 1936, a diocesi Angelorum S. Didaci ea separatur territorii pars civiles comitatus *S. Didaci, Imperial, Riverside* et *S. Bernardini* complectens, atque ex ea nova ac distincta erigitur dioecesis, ipsaque a S. Didaci urbe, *Sancti Didaci* nuncupabitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 485 ss.).

S — Bulla *Nimis amplas,* 11 iul. 1936, dioecesis Angelorum, e cuius territorii parte nova S. Didaci dioecesis efformata est, a provincia ecclesiastica S. Francisci in California separatur ac seiungitur, ipsaque in Archidioecesim constituitur. Cathedralis propterea Angelorum ad Metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem extollitur; ab eadem provincia ecclesiastica S. Francisci in California dioecesis Montereyensis-Fresnensis, et a provincia S. Fidei in America Septentrionali dioecesis Tucsonensis separatur. Hae autem Cathedrales Ecclesiae una cum ecclesia S. Didaci suffraganeae constituuntur novae Metropolitanae Ecclesiae Angelorum (*AAS* XXVIII (1936) p. 488 ss.).

T — Epistola *Singulari animi,* 27 iul. 1936, ad Em.um P. D. SEBASTIANUM Tit. SS. Bonifacii et Alexii S.R.E. Presb. Cardinalem LEME DA SILVEIRA CINTRA, Archiep.um S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, quem Legatum Suum ad Conventum Eucharisticum ex omnibus Brasiliae gentibus in Bellohorizontina urbe celebrandum, eligit, SS. D. argumentum « Eucharistia et Actio Catholica » in sacris coetibus agitandum propositum, sibi peropportunum videri ac hisce temporibus maxime accommodatum dicit (*AAS* XXVIII (1936) p. 468 ss.).

NOTANDUM

In hac SS. D. N. Epistola sacratissimum Eucharistiae Sacramentum effertur ut fons et principium unitatis non minus inter laicos ipsos Actioni Catholicae addictos quam laicorum cum sacra Episcoporum hierarchia; simul etiam commendatur devotio ad Cor IESU Eucharisticum.

Jos., C., S. J.

U — Epistola *Quod iam pridem,* 1 aug. 1936, ad Em.um P. D. FRANCISCUM Tit. S. Caeciliae S.R.E. Presb. Cardinalem MARMAGGI, SS. D. Eum Legatum Suum eligit ac renuntiat, ut Concilio Episcoporum Plenario, Augusto mense Czestochoviae celebrando, nomine Suo Suaeque auctoritate praesideat; christianam vero civium concordiam, quam saepissime inculcavit, iterum iterumque commendat, impensiusque suadet, ut pristina nobilissima istius gentis decora augeantur et avitae fidei laudes ac promerita amplificentur (*AAS* XXVIII (1936) p. 490 s.).

V — Epistola *Quemadmodum ii,* 25 oct. 1936, ad Em.um P. D. DONATUM, Episcopum Sabinensem et Mandelensem, S.R.E. Presb. Cardinalem SBARETTI, Sacri Collegii Subdecanum, ac Supremi Tribunalis S. Officii Secretarium, Octogesimum aetatis annus expleturum, SS. D. sollertem operam Eius quam catholicae Ecclesiae ipsique Sedi Apostolicae navavit dilaudat; communi laetitiae cumulum addere cupiens, atque octogesimi natalis Eius celebrationem paterno animo participans, gratulationes ac vota Ei libentissime pandit (*AAS* XXVIII (1936) p. 492 s.).

W — Litterae de Patronis:

1 - Brevi *Litteris Apostolicis Nostris,* 25 mart. 1936, confirmatur et statuitur ut totius Lusitaniae Patroni aeque principales Beattissima Virgo Immaculata, Sanctus Antonius Patavinus et Sanctus Franciscus Borgia rite in posterum sicut antea habeantur. Decernitur item ut, servata tamen octava B. M. V. Immaculatae, in reliquis exstent iura ac privilegia liturgica, quae huiusmodi coelestium Patronorum propria sunt (*AAS* XXVIII (1936) p. 397 s.).

2 - Brevi *Cum in oppido,* 5 maii 1936, ad magis etiam magisque fovendam cleri populique Alexandrinae dioecesis venerationem erga Sanctum Pontificem PIUM Pp. V, ci-

vitatis ac dioecesis totius Alexandrinae Patronus minus principalis Sanctus hic declaratur et constituitur, praetereaque festum eiusdem Sancti quotannis recoletur die quinta mensis maii, sub ritu duplici secundae classis (*AAS* XXVIII (1936) p. 398 s.).

X — Litterae de Ecclesiis:

1 - Brevi *Beatae Virginis Mariae*, 12 mart. 1936, templum paroeciale intra fines civitatis atque archidioecesis Bonaërensis Beatae Mariae Virgini « del Pilar » sacrum, ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehitur, omnibus adiectis honoribus privilegiisque quae de iure competunt (*AAS* XXVIII (1936) p. 396 s.).

2 - Brevi *Compertum habemus*, 16 maii 1936, Sanctuarium in honorem Beatae Mariae Virginis Perdolentis Deo dicatum in loco « Thierenbach », dioecesis Argentinensis intra fines, titulo ac dignitate Basilicae Minoris iuribus privilegiisque rite competentibus adnexis condecoratur atque augetur (*AAS* XXVIII (1936) p. 464 s.).

13 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 6 iun. 1936, pars pagi Gennebreck a paroecia Hasslinghausen et ab archidioecesi Paderbornensi separatur atque archidioecesi Coloniensi perpetuo attribuitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 403 s.).

2 - *Designatio Ordinarii pro appellatione*: Archiep.us Saltensis designavit pro appellatione in secunda instantia, tribunal Ordinarii Tucumanensis (*AAS* XXVIII (1936) p. 495).

14 — S. C. de Prop. Fide

Designationes Ordinariorum pro appellationibus:

Rev.mus Ordinarius Praefecturae Ap.cae de Kiangchow designavit pro appellatione tribunal Vicariatus Ap.ci de Taiyüanfu (rescr. 27 iul. 1936; *AAS* XXVIII (1936) p. 473).

Vicarius Ap.cus de Thai-Binh tribunal Vicarii Ap.ci de Hai-Phong (rescr. 28 aug. 1936; *AAS* XXVIII (1936) p. 473).

Vicarius Ap.cus Rabaulensis tribunal Vicariatus Ap.ci Novae Guineae Orientalis (rescr. 28 sept. 1936; *AAS* XXVIII (1936) p. 473).

15 — S. C. Rituum

— *Causae beatificationis et canonizationis*:

1 - *Aquen.* Decretum 3 maii 1936, Super dubio: *an constet de virtutibus theologalibus et cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico* beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei Mariae Dominicae Mazzarello, confundatricis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis (*AAS* xxviii (1936) p. 410 ss.).

2 - *Parisien.* Decretum 5 maii 1936, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae* beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Providentia, in saeculo Eugeniae Smet, fundatricis Instituti Sororum Auxiliatricum animarum in purgatorio degentium (*AAS* xxviii (1936) p. 414 ss.).

3 - *Lucen. in Italia.* Decretum 5 maii 1936, super dubio: an signanda sit Commissio Introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Helenae Guerra, fundatricis Oblatarum Spiritus Sancti, vulgo Sororum S. Zitae (*AAS* xxviii (1936) p. 473 s.).

4 - *Parisien.* Decretum 27 maii 1936, super dubio: an signanda sit Commissio reassumptionis Causae canonizationis B. Catharinae Labouré Virginis, e Societate Puellarum a Caritate (*AAS* xxviii (1936) p. 476 s.).

16 — Provisio Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

8 aug. 1936, Exc. P. D. Andreas Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, cathedrali ecclesiae Taubatensi.

16 aug. 1936, R. D. Henricus Ioannes Poskitt, cathedrali eclesiae Loidensi.

20 aug. 1936, Exc. P. D. Fridericus Lamy, metropolitanae eclesiae Senonensi.

20 aug. 1936, Exc. P. D. Iosephus Ioannes Amatus Moussaron, cathedrali ecclesiae Cadurcensi.

20 aug. 1936, R. D. Ioannes Villepelet, cathedrali ecclesiae Nannetensi.

20 aug. 1936, R. D. Ioannes Marcadé, cathedrali ecclesiae Valleguidonensi.

24 aug. 1936, Exc. P. D. Antonius Mantiero, cathedrali ecclesiae Tarvisinae.

11 sept. 1936, R. D. Simeon Landersdorfer, cathedrali ecclesiae Passaviensi.

18 sept. 1936, R. D. Caesar Antonius Mosquera, cathedrali ecclesiae Ibarrensi.

21 sept. 1936, R. D. Ambrosius Squintani, cathedrali ecclesiae Ausculanae in Piceno.

12 oct. 1936, R. D. Angelus Ficarra, cathedrali ecclesiae Pactensi.

28 oct. 1936, R. D. Laurentius Basoli, cathedrali ecclesiae Oleastrensi.

31 oct. 1936, R. D. Carolus Buddy, cathedrali ecclesiae Sancti Didaci, nuper erectae.

12 nov. 1936, Exc. P. D. Fridericus Emanuel, cathedrali ecclesiae Castri Maris.

12 nov. 1936, R. D. Guido Mazzocco, cathedrali ecclesiae Adriensi.

23 nov. 1936, Exc. P. D. Theodoricus De Angelis, cathedrali ecclesiae Nucerinae Paganorum.

28 nov. 1936, R. D. Iosephus Ujcic, archiepiscopali ecclesiae Bellogradensi.

7 dec. 1936, R. D. Carolus Rossi, cathedrali ecclesiae Bugellensi.

9 dec. 1936, Exc. P. D. Mauritius Dubourg, metropolitanae ecclesiae Bisuntinae.

12 dec. 1936, Exc. P. D. Arthurus Melanson, metropolitanae ecclesiae Monctonensi.

B - *Decretis S. C. pro Eccl. Orient. nominati sunt*:

29 aug. 1936, Exc. P. D. Alexander Nicolescu, metropolitanae ecclesiae Fagarasiensi et Albae Iuliensi Rumenorum.

29 aug. 1936, R. D. Ioannes Balan, cathedrali ecclesiae Lugosiensi Rumenorum.

17 — Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

30 iun. 1936, R. P. Paulus Julliotte, e Congr. SS. CC. Iesu et Mariae (Picpus), Praefectus Ap.cus de Hainan.

7 iul. 1936, R. P. Thomas Megan, e Soc. V. D., Praefectus Ap.cus de Sinsiang.

11 iul. 1936, R. P. Iulius Dillon, ex O. F. M., Praefectus Ap.cus de Shasi.

28 iul. 1936, R. P. Chilianus a Killybegs, ex O. F. M. Cap., Praefectus Ap.cus de Victoria Falls.

28 iul. 1936, R. P. Eusebius a Corde Iesu, e Congr. Cler. excalc. SS.mae Crucis et Passionis D. N. I. C., Praefectus Ap.cus de Tshumbe.

16 sept. 1936, R. P. Hyacinthus M. D'Avila, O. P., Praefectus Ap.cus de Canelos.

16 sept. 1936, R. P. Iosephus Nepote-Fus, ex Inst. Miss. a Consolata, Praefectus Ap.cus de Meru.

Decreto S. C. Orient. renunciatus est:

3 iul. 1936, R. D. Iacobus Medweckyi, Antistes Urbanus et Archidiaconus cathedralis ecclesiae Stanislaopolitanae Ruthenorum, *Administrator Ap.cus pro fidelibus ritus byzantino-rutheni in Lemkowszczyzna.*

18 — Necrologium

5 aug. 1936, D. Salvius Huix Miralpeix episcopus Illerdensis.

3 oct. 1936, D. Guilelmus Hayden, archiep.us Hobartensis.

7 oct. 1936, D. Iosephus Thorman, episcopus Hagulstadensis et Novocastrensis.

10 oct. 1936, D. Ioannes Garigliano, episcopus Bugellensis.

17 oct 1936, D. Ioseph Ambühl, episcopus Basileensis et Luganensis.

16 nov. 1936, Em.us D. Card. Aloysius Ioseph Maurin, archiep.us Lugdunensis.

8 dec. 1936, D. Dominicus Mezzadri, episcopus Clodiensis.

15 dec. 1936, D. Thomas O'Doherty, episcopus Galviensis et Duacensis.

17 dec. 1936, D. Ioannes Fossà, episcopus Fesulanus.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex Libris

P. Gustavo Cantini, O. F. M., *Uno scelto operaio nella messe: S. Leonardo da Porto Maurizio e la sua Predicazione,* Roma (Ditta Tip. Cuggiani) 1936, 17 × 24,5 cm., 140 p., pretium: L. it. 6.

Introduzione - Bibliografia - Le caratteristiche personali dell'Operaio - L'attività apostolica - La raccolta della messe.

P. Chrysogonus a Iesu Sacramentato, O. Carm. Disc., *Asceticae et Mysticae Summa* a R. P. Joseph Antonio a Puero Jesu, eiusdem Ordinis, ex originali hispano in latinum fideliter translata, Taurini (Marietti) 1936, 11 × 17,5 cm., viii-470 p., pretium: L. it. 10.

Principia vitae supernaturalis (Natura et organismus vitae supernaturalis - Evolutio vitae supernaturalis - Perfectio) - Ascetica (Periodus purificativa - Periodus illuminativa - Periodus unitiva) - Mystica (Periodus purificativa - Periodus illuminativa - Periodus unitiva) - Compendium historicum Asceticae et Mysticae (Aevum antiquum - Medium Aevum - Recens Aevum) - Deviationes Mysticae - Index Bibliographicus - Index Analyticus.

Joseph F. Cleary, J. C. L., *Canonical Limitations on the Alienation of Church Property.* (The Catholic University of America, Canon Law Studies, N. 100), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1936, 15,5 × 23 cm., viii-141 p.

Foreword - Preliminary Notions (Concept of Alienation - Church Property - Notion of Contract) - Roman Law (Restrictions on the Alienation of Church Property) - Historical Synopsis (Alienation in the Early Church - Gratian and the Decretals - The Constitution « Ambitiosae » and pre-Code Legislation) - Formalities Required for Alienation (*Cautiones* Before the Act of Alienation - The Act of Alienation - The Competent Ecclesiastical Superior) - Contracts of Alienation (Sale - Exchange - Donation - Loan for Consumption) - Contracts Resembling Alienation (Lease - Mortgage, Giving in Security, Contracting of Debts) - Irregular Alienations (Remedy in Action at Law - Penal Sanctions) - American Civil Law - Bibliography - Alphabetical Index.

Abbé Coudurier, *Vie de la Bienheureuse Lidwine Vierge,* Modèle des Malades et des Infirmes. Nouvelle édition, Paris (Téqui) 1936, 12 × 19 cm., 322 p., pretium: Fr. 12.

Introduction - Naissance - Enfance- Enfance et adolescence

- Desseins de Dieu - Correspondance - Etat surnaturel - Nouvelles épreuves - Les Anges - Progrès spirituel - Charité ou amour des pauvres - Charité ou zèle pour le salut des âmes - Charité ou zèle pour la conversion des pécheurs - L'Eucharistie - Le Calvaire ou immolation et martyre - Le Thabor ou don des miracles - Le Thabor ou don de prophétie - Le Thabor ou extases et ravissements - Un nuage - L'avertissement - Le retour - Admirable mort - Gloire - Conclusion (Imitons Lidwine - Prière - Adieu).

Abbé François Demore, *La Vraie Politesse.* Petit traité sous forme de lettres à des religieuses, Paris (Téqui) 1935, 12 × 19 cm., IX-226 p., pretium: Fr. 10.

Définition de la civilité et de la politesse - Distinction entre la civilité et la politesse - Le principe de la civilité religieuse - Utilité des leçons de la civilité — Nécessité de s'habituer à la politesse - Quelques avantages de la politesse religieuse - La politesse à l'école de la Très Sainte Vierge - Une maxime faussée - La politesse des saints - La politesse religieuse apprise en trois leçons - La politesse, fille de la mortification - La politesse, splendeur de la charité - La politesse au tribunal de notre propre raison - Le maintien religieux, partie de la politesse du cloître - Le maintien religieux, d'après l'enseignement catholique - Le maintien religieux, d'après saint Bonaventure - Quelques détails pratiques sur le maintien religieux - Nouveaux détails sur le même sujet - La civilité dans les conversations - Défauts à éviter dans la conversation religieuse - La conversation religieuse, d'après saint Bonaventure - Autres avis sur la civilité dans les conversations - Nouveaux avis sur la civilité dans les conversations - De quelques autres avis - De la civilité dans les repas - La civilité dans les repas, d'après saint Bonaventure - La civilité dans les lettres - Autres avis sur les lettres - Résumé et conclusion.

René Gaëll, *Carillons de Lourdes,* Paris (Téqui) 1936, IX-210 p., pretium: Fr. 10.

L'« Ave Maria » de Binoche - Le coup de tampon - « Il est à moi et je vous l'offre » - Une commission à la Vierge - Retour de Chine - Tête de Breton - Ceux qui ne savent pas - Les lépreux sont guéris - La belle offrande - Bienheureuse - Si nous allions - Les yeux retrouvés - On les aura - Tout de même - Toc ou diamant - Me voici - Les « bobards » de la libre-pensée - La consigne - Ceux qui savent - Ripoche, pélerin - Radio-activité - On ne sait pas ce qui peut arriver - Bras en croix - Le train manqué - Le merci de la Bretonne - Le don de soi - L'autre conversion - Lapins en pélerinage - De la Grotte au Calvaire - Vanille! - En regardant passer un train - La bienheureuse mort - A quoi qu'à te sert - Pélerin malgré lui - « Je pense à Lourdes » - Pas demain..., ce soir.

Dott. Rag. Mons. Emilio Faggioli, *Elementi di Amministrazione ecclesiastica,* seconda edizione aggiornata, Torino (Marietti) 1936, 15 × 22 cm., 183 p., pretium: L. it. 7.

Prefazione - Amministrazione - Amministrazione ordinaria - Stato patrimoniale - Stato economico - Amministrazione straordinaria - Contabilità - Ufficio amministrativo diocesano - Archivio - Testamento.

Francis Hermans, *Mystique*, Bruxelles (Éditions de la Cité Chrétienne) 1936, 13,5 × 20 cm., 432 p.

Source de la Mystique (Vita abscondita - Apologie paulinienne - Éloge johannique - Note: Fra Angelico, peintre de la grâce) - Truismes et Problèmes (Formulaires et « Méditations » - Défense de l'oraison de simple regard - La mystique est amour - Hédonisme et pur amour - Silence et solitude - Équilibres - Préparations - Souffrir ou jouir?) - Témoignages (Saint Bernard - Sainte Thérèse - Saint Jean de la Croix - Saint Alphonse de Liguori - Saint Fr. de Sales - Les Victorins - L'École allemande - Gerson - Dom Baker - Bérulle et l'École Française - Pascal - Newman).

Louis Lachance, O. P., *Nationalisme et Religion.* (Nos Problèmes) Ottawa (Collège Dominicain) 1936, 13 × 19,5 cm., 195 p., pretium: 0,75 c.

Avant-propos - Nos devoirs d'intelligence (Un cas de conscience - Notre conversion à l'humain - Le « Sermo dominicus ») - Aux sources vives du sentiment national (Pourquoi pas patriotisme? - L'hypnotisme racique - Le chapitre des foudres - Les servitudes de la chair et du sang - L'exploitation des forces neutres) - Les attaches nécessaires (Harmonies profondes entre la religion du terrestre et celle du divin - Intégration du nationalisme dans le catholicisme - Titres colorés - Droits imprescriptibles de l'Évangile - Devoirs impérieux des missionaires de l'Évangile) - L'Éducation religieuse du sentiment national (L'humanisation du sentiment national - La divinisation du sentiment national - Patriotisme et Justice) - Conclusion.

Louis Lajoie, C. J. M., *Bonté Généreuse.* Mère Marie de la Nativité Desmons, Religieuse de Notre-Dame de Charité du Refuge, Supérieure du Monastère de Saint-Cyr, Rennes (1836-1907). Paris (Téqui) 1935, 14 × 23 cm., VI-349 p., pretium: Fr. 20.

Viens, Epouse du Christ! - Lieu consacré (1821) - Notre-Dame de Charité de Rennes (1673-1855) - Dieu prépare (1855-1880) - La pleine activité (1880-1907) - Une femme, une religieuse - Une Mère - Bergère des âmes - Le rayonnement extérieur - Entreprises surnaturelles - Les chantiers de la confiance - L'organisation prévoyante - Reçois la couronne.

R. Lortal, P. S. S., *Morale Sociale Générale* (Eléments de Théologie Morale Sociale, I), Paris (Téqui) 1935, 15 × 23 cm., VII-203 p., pretium: Fr. 13.

Introduction (Notion, Division, Sources, Histoire, Méthode,

Importance de la Théologie Sociale) - Notions préliminaires sur les Sociétés Humaines (Définition, Fondement naturel, But des Sociétés - Droits et devoirs des Sociétés et de leurs membres - Division des Sociétés) - Des vertus sociales générales (Préliminaires - La charité sociale - La prudence sociale - La justice sociale - L'équité sociale - La religion sociale - La piété - La reconnaissance sociale - La vengeance sociale - La véracité sociale - La libéralité sociale - L'affabilité sociale) - Appendices (Role social des dons du Saint-Esprit - La justice distributive - Le respect et l'obéissance).

D. Lourenço Lumini, O. S. B., *O Mysterio de Christo.* O tempo Liturgico do Natal: Considerações sobre o texto do missal, Petropolis (« Vozes ») 1935, 12,5 × 19 cm., 260 p.

Estudos preliminares - O mysterio de Christo na liturgia - A christologia de São Paulo - O Mysterio de Christo (quo capite singularum Dominicarum liturgicus textus, a Dominica I Adventus usque ad VI post Epiphaniam inclusive, analysi subiiciuntur).

Chanoine Marchand, *Une troublante figure: Calvin,* Paris (Téqui) 1936, 12 × 19 cm., 62 p., pretium: Fr. 3,50.

Que reste-t-il aujourd'hui de l'expérience Calviniste? - Que valent les affirmations de Calvin? - Que faut-il penser des prétentions de Calvin? - Quels moyens Calvin a-t-il employés pour propager sa doctrine?

S. Em. Le Card. Massimi, *Mois Eucharistique.* Traduit de la 4e édition italienne, Bruxelles (Librairie Eucharistique) 1936, 10,5 × 15 cm., 80 p.

Préface - Prière préparatoire - 31 Considérations sur l'Eucharistie - Acte de Consécration.

Émile Mersch, S. J., *Le Corps Mystique du Christ.* Études de Théologie historique, avec Préface du R. P. J. Lebreton, 2 Vol. Deuxième édition, Bruxelles (L'Édition Universelle, S. A.), Paris (Desclée de Brouwer et C.ie) 1936, 15 × 23,5 cm., pretium: fr. 6,90.

Tom. I: *Écriture, Tradition Grècque,* xlii-551 p.

Préface du P. Lebreton - Introduction - Bibliographie - Doctrine de l'Écriture sainte (Première esquisse, dans l'Ancien Testament - Le royaume et le corps mystique dans les Évangiles synoptiques - Les Actes des apôtres, venue du royaume et de l'Église, corps du Christ - Saint Paul: *per quattuor capita* - Saint Jean: *per tria capita* - Conclusion sur l'Écriture sainte) - Doctrine de la Tradition chez les Pères grecs (Introduction - Les premiers témoins. Ignace d'Antioche et l'unité de l'Église dans le Christ - Saint Irenée et la récapitulation - Le Didascalée d'Alexandrie - Saint Athanase. Divinité du Verbe et divinisation du corps mystique. L'arianisme - Saint Hilaire. Divinisation par inclusion mys-

tique dans le Verbe incarné. L'incarnation continué par l'eucharistie. Incarnation collective ou incarnation unique? - Les Cappadociens: saint Grégoire de Nazianze et saint Grégoire de Nysse. Aspect personnel de l'incorporation dans le Christ. Argument sotériologique et apollinarisme. Exégèse par le corps mystique - Saint Jean Chrysostome, docteur de l'eucharistie et de l'aumône - Saint Cyrille d'Alexandrie. L'incarnation et le corps mystique) - Tables analytiques des matières du tome I.

IDEM, *eiusdem operis* Tom. II: *Tradition occidentale,* 498 p.

Doctrine de la tradition occidentale (Le corps mystique dans l'écclésiologie de Tertullien et de saint Cyprien - Saint Augustin: *per tria capita* - Durant le haut moyen âge. Échos de saint Augustin - Les scholastiques: *per quattuor capita* - L'école française. Doctrine spirituelle et corps mystique -L'époque contemporaine. Conclusions) - Conclusions générales - Appendices (La doctrine du corps mystique dans les différentes épîtres de saint Paul - Les Odes de Salomon - Les Homélies spirituelles du Pseudo-Macaire - Saint Ambroise, saint Léon, saint Grégoire le Grand - La doctrine du corps mystique chez Luther et chez Calvin) - Tables (textes cités - noms de personnes - alphabétique des matières - concordance de la première et de la seconde édition - analytique des matières du tome II).

Sac. ALOISIUS MORETTI, *Caeremoniale iuxta Ritum Romanum seu De Sacris Functionibus,* Episcopo celebrante, assistente, absente, in partes septem digestum. Manuale iuxta novissima Decreta S. Rituum Congregationis et Codicem Iuris Canonici, vol. I: *De quibusdam notionibus sacram liturgiam respicientibus,* Taurini (Marietti) 1936, 15 × 22 cm., VIII-260 p., pretium: L. it. 12.

LIONEL PELLAND, S. J., *S. Prosperi Aquitani doctrina de praedestinatione et voluntate Dei salvifica.* De eius in Augustinismum influxu (Studia Collegii Maximi Immaculatae Conceptionis. Fasciculus II), Montréal 1936, 16,5 × 24,5 cm., VII-193 p., pretium: doll. 1,50.

Prolegomena - De doctrina Prosperi in operibus ejus certis contenta (Ante mortem Augustini - Post mortem Augustini) - De doctrina Prosperi in operibus ejus dubiis contenta (Praeteritorum sedis apostolicae episcoporum auctoritates - Libri « De vocatione omnium gentium ») - Conclusio.

P. CESLAO PERA, O. P., *Liber Missalis: Il libro della preghiera liturgica,* Torino-Roma (Marietti) 1936, 10 × 16 cm., LXXVII-1592-20-[24] p.

Post *Praefationem,* notis introductoriis, et versionem italicam orationum Ecclesiae ante et post Missam recitandarum, integrum *Missale Romanum* lingua italica exhibetur, annotationibus explicativis opportunisque Indicibus ornatum. Volumen optima charta et arte typographica splendens eleganti involucro contegitur.

G. M. Perrella, C. M., *Il decreto di Eugenio IV pro Armenis relativo al Sacramento dell'Ordine.* Extractum ex « Divus Thomas Plac. » a. xxxix (1936), N. 5-6, 15 × 23 cm., 39 p.

Le opinioni sulla materia dell'Ordine - Indagine storica - Valore del decreto (Le opinioni - Il potere della Chiesa circa i riti sacramentali - Tentativo di soluzione) - Appendice: il libro di Tymczak.

S. Tromp, S. J., *La nascita della Chiesa dal Cuore di Gesù in croce.* Dissertazione letta all'inaugurazione solenne degli studi alla Pontificia Università Gregoriana - Anno Accademico 1933. Unica traduzione autorizzata dall'autore, Milano (Società Editrice « Vita e Pensiero ») 1936, 12,5 × 19,5 cm., 63 p., pretium: L. it. 1,80.

Prefazione - Il sacrificio di Cristo misticamente contiene l'oblazione di tutti i redenti - In modo particolare nel sacrificio di Cristo è misticamente offerta la Chiesa gerarchica - La Chiesa nella preghiera sacerdotale di Cristo - La mistica generazione della Chiesa sulla Croce - La Chiesa figurata nel sangue e nell'acqua del Costato - La nascita della Chiesa dal Cuor di Gesù e la nostra vita spirituale - Documenti liturgici e patristici.

Yvonne de la Vergne, *Madame Elisabeth de France.* Deuxième édition, Paris (Téqui) 1936, 12 × 19 cm., vii-373 p., pretium: *Fr.* 12.

Avant-Propos - Les premières années de Mme Elisabeth de France - L'adolescence - L'intimité de la princesse - Saint-Denis et Montreuil - L'orage gronde - Les derniers jours à Versailles - Les Tuileries - Varennes - Après Varennes - Les derniers jours aux Tuileries - Le Temple - Après le régicide - Le Martyre - Epilogue.

Joseph Weier, *Der Kanonische Weihetitel rechtshistorisch und rechtsdogmatisch gewürdigt.* Ein Beitrag zum Ordinationsrecht der katholischen Kirche, Würzburg (Richard Mayr) 1936, 15 × 22 cm., 66 p.

Begriff des kanonischen Weihetitels. Bedeutungswandel des Wortes titulus - Rechtshistorischer Teil (Der kanonische Weihetitel von seiner Entstehung bis zum dritten Laterankonzil - Die Entwicklung des kanonischen Weihetitels vom dritten Laterankonzil bis zum Tridentinum - Der kanonische Weihetitel nach dem Tridentinum - Der titulus missionis vel servitii dioecesis - Der Weihetitel für den Ordensklerus) - Systematischer Teil (Der Weihetitel im Codex iuris canonici) - Der Tischtitel (Begriff und Rechtsnatur des Tischtitels - Der Ursprung des Tischtitels - Die Verbreitung des Tischtitels in den einzelnen deutschen Ländern - Beurteilung des Tischtitels).

II - Ex Periodicis

APOLLINARIS IX (1936), fasc. 3 — PACIFICUS CAPOBIANCO, O. F. M., *De notione fori interni in iure canonico*, p. 364-74. — JOSEPHUS JOHNSON, *De natura processuum matrimonialium exceptorum*, p. 375-403. — PIUS CIPROTTI, *De consummatione delictorum attento eorum elemento obiectivo*, p. 404-17. — VINKO MOCNIK, *Circa pontificiam interpretationem can. 1078*, p. 444-6. — GERARDUS OESTERLE, O. S. B., *De validitate aut nullitate matrimoniorum a captivis ex bello in Russia initorum*, p. 446-62. — FRANCISCUS ROBERTI, *De variis rationibus procedendi hodie vigentibus in iure canonico*, p. 463-5.

ARCHIV FUR RECHTS- UND SOZIALPHILOSOPHIE XXX (1936), fasc. 1 (Oct.) — WALTHER SCHÖNFELD, *Der Positivismus und das Kirchenrecht. Eine Entfaltung der Wirklichkeit des Rechts aus dem Gedanken der Gemeinschaft*, p. 14-66.

BOGOSLOVSKA SMOTRA XXIV (1936), fasc. 3 — Dr. FRA VITOMIR JELICIC, *Ratio sacramenti u ženidbi prema kanonu 1013 § 2 C. Z.*, p. 309-21.

ID. XXIV (1936), fasc. 4 — Prof. A. ZIVKOVIC, *P. Artur Vermeersch D. I.*, p. 411-3.

LA CITE CHRETIENNE XI (1936), fasc. 239 (5 Nov.) — ALBERT MULLER, S. J., *Corporatisme et Syndacalisme aux « Journées sociales » de Namur*, p. 15-7. — GEORGES TELLERMAN, *La morale, régulatrice de l'économie*, p. 18-9. — * * * *L'Episcopat hollandais en face du National-socialisme*, p. 26-7.

ID. XI (1936), fasc. 241 (5 Dec.) — PIERRE D'YDEWALLE, *Le problème du moral à la caserne*, p. 76-8. — JOHN EPPSTEIN, *L'État totalitaire en relation avec la morale internationale*, p. 82-5.

COLLATIONES BRUGENSES XXXVI (1936), (Nov.-Dec.) — ST. WILLEMS, *De necessitate restitutionis post laesam justitiam*, p. 485-9. — A. HODÜM, *De godsdienstige gevolgen der fransche omwenteling*, p. 489-92.

COLLATIONES GANDAVENSES XXIII (1936), fasc. 4 (Nov.) — W. GOOSSENS, *De sacerdotio Christi*, p. 259-67. — F. BLATON, *De onzijdigheid in de weldadigheidswerken*, p. 268-79.

COLLECTANEA COMMISSIONIS SYNODALIS IX (1936), fasc. 9-10 (Sept.-Oct.) — P. ALPH. GASPERMENT, S. J., *De Vocatione Sacerdotali*, p. 775-83.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XXVI (1937), fasc. 1 (Ian.) — P. GILLET, *Les membres de droit du Conseil de Fabri-*

que, p. 74-7. — M. DE FURSTENBERG, *De defectu panis et vini in Missa*, p. 77-9.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO XLVII (1936), fasc. 5-6 (Maii-Iun.) — GIUSEPPE LEDIT, S. I., *Il concetto bolscevico del matrimonio*, p. 224-7.

ID. XLVII (1936), fasc. 9-10, (Sept.-Oct.) — CESARE BADII, *Il procedimento matrimoniale davanti ai Tribunali Diocesani secondo la Istruzione della S. C. dei Sacramenti 15 Agosto 1936* (contin.), p. 320-41. — Avv. CORRADO BERNARDINI, *L'istruzione della S. Congregazione dei Sacramenti sui processi diocesani nelle cause « Nullitatis Matrimonii »*, p. 372-7.

BENEDIKTINISCHE MONATSCHRIFT XVIII (1936), fasc. 9-10 — P. HIERONYMUS ENGBERDING, *Die Hochschätzung des Mönchtums in ostchristlichen Liturgien*, p. 362-73. — P. DOMINICUS JOHNER, *Die Messgesänge der ambrosianischen Liturgie in neuer Ausgabe*, p. 377-9.

ID. XVIII (1936), fasc. 11-12 — P. BEDA DANZER, *Altarbesuchungen*, p. 435-9.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXI (1936), fasc. 11 (Nov.) — M. PISTOCCHI, *De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione* (contin.), p. 328-35. — Can. dott. LUIGI COZZA, *De sepultura ecclesiastica et de iure funerandi* (contin.), p. 336-47. — Mons. dott. ALESSANDRO ADAMI, *Elegante caso di controversia a proposito del can. 476 § 6*, p. 347-52.

ID. LXI (1936), fasc. 12 (Dec.) — Can. dott. LUIGI COZZA, *De sepultura ecclesiastica et de iure funerandi* (contin. et finis), p. 367-75.

PERFICE MUNUS XI (1936), (10 Oct.) — Mons. LUIGI BONDINI, *De cautionibus matrimonialibus*, p. 599-602. — Sac. dott.. ISACCO GIANNINI, *Ancora su « esequie e sepoltura fuori parrocchia »*, p. 602-6.

ID. XI (1936), (25 Nov.) — *Lettera della Segreteria di Stato agli Ecc.mi Vescovi per il Sanatorio del Clero*, p. 485-6. — CONSOLATO REINERI, *Per un teatro sacro promiscuo?*, p. 516-7.

ID. XI (1936), (Dec.) — Dott. LUIGI TROSSARELLI, *Dell'importanza del direttore sanitario negli istituti religiosi e della considerazione in cui va tenuto*, p. 535-7. — * * * *Cappellani ed assistenza religiosa all'O. N. B.*, p. 538-41. — GIULIO BARSOTTI, *Cattolicizzare o latinizzare?*, p. 544-6.

PALESTRA DEL CLERO XV (1936), vol. II, fasc. 13 (1 Nov). — Sac. GIOVANNI VERLA, *Denunzia di matrimonio*, p. 294-5.

ID. XV (1936), vol. II, fasc. 14 (10 Nov.) — Sac. avv. P. VITO, *Portio Parœcialis*, p. 326-30. — Sac. avv. P. VITO, *Elezione di*

chiesa funerante, p. 328-30. — Sac. A. Mancini, *In re matrimoniali*, p. 332-3.

ID. XV (1936), vol. II, fasc. 15 (20 Nov.) — Prof. G. Priero, *Diocesi e Parrocchie*, p. 343.

ID. XVI (1937), vol. I, fasc. 1 (Ian.) — P. Fanfani, O. P., *Intorno all'indulto di secolarizzazione negli Ordini ed Istituti Religiosi*, p. 11-2.

PASTOR BONUS XLVII (1936), fasc. 7 (Oct.) — Hans Steffens, *Für und wider die liturgische Bewegung*, p. 204-10,

RASSEGNA DI MORALE E DIRITTO II (1936), fasc. 3 (Sept). — S. Romani, *Corso di diritto canonico per le università italiane*, p. 200-11. — Sac. dott. Salvatore Indelicato, *Sintesi di giurisprudenza matrimoniale concordataria: il matrimonio e la riforma concordataria*, p. 22-53.

ID. II (1936), fasc. 4 (Dec.) — Giulio Giovannelli, *Cristianesimo e diritto romano*, p. 327-56. — Sac. A. Mancini, *Della incardinazione e scardinazione secondo il CJC*, p. 373-86.

THE CLERGY REVIEW XII (1936), fasc. 5 (Nov.) — Rev. Edward Quinn, *The Gemeindehelferin, An Expression of Catholic Action in Germany*, p. 349-55.

ID. XII (1936), fasc. 6 (Dec.) — Arnold Lunn, *The Objectivity of Morals*, p. 429-36. — Barbara Grant Johnson, *Women and Catholic Action*, p. 451-8.

THE HOMILETIC AND PASTORAL REVIEW XXXVII (1936), fasc. 2 (Nov.) — Charles Bruehl, D. D., *The Dynamics of Economic Activity*, p. 113-21. — Stephen J. Kucera, *Liturgy and Its Relation to Excommunications*, p. 143-9. — Stanislaus Woywod, O. F. M., LL. B., *Penal law of the Code: Juridical Effects of Censures*, p. 164-74.

ID. XXXVII (1936), fasc. 3 (Dec.) — Stanislaus Woywod, O. F. M., LL. B.,*Penal Law of the Code: Suspension*, p. 276-84. — Stanislaus Woywod, O. F. M., LL. B., *Instruction on Procedure in Cases of Nullity of Marriage in Diocesan Tribunals*, p. 302-5.

ID. XXXVII (1937), fasc. 1 (Ian.) — Kilian J. Hennrich, O. M. Cap., A. M., *Launching of Catholic Action*, p. 354-63. — Msgr. Bernard F. Meyer, M. M., D. D., *Coöperation of Clergy and Laity in Convert-Making*, p. 371-80. — Stanislaus Woywod, O. F. M., LL. B., *Penal Law of the Code: Vindicative Penalties*, p. 381-91.

REVUE ECCLESIASTIQUE DE LIEGE XXVIII (1936), fasc. 3 (Nov.) — G. Simenon, *La visite canonique des paroisses*, p. 133-54. — G. Philips, *Individu et communauté*, p. 155-66. — F. Litt,

De invaliditate matrimonii a judice ecclesiastico declaranda, p. 180-7. — G. Simenon, *Censura librorum*, p. 187-90.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO III (1936), fasc. 10-11 (Oct.-Nov.) — Prof. Mario Falco, *La Corte di cassazione e il diritto matrimoniale canonico*, p. 417-9. — Avv. Giambattista Migliori, *Le nuove norme processuali dei giudizi ecclesiastici matrimoniali*, p. 435-41.

ID. III (1936), fasc. 12 (Dec.) — Dott. Agostino Pugliese, *La competenza del Tribunale Ecclesiastico « ratione domicilii legalis »*, p. 520-4.

RIVISTA MEDICA PER IL CLERO VII (1936), fasc. 6 (15 Iun.) — Dott. Incomparabile, *Asma ed onanismo*, p. 85-9.

ID. VII (1936), fasc. 7 (15 Iul.) — Dott. prof. Giovanni Rizzati, *La teoria di Ogino*, p. 97-9. — D. G. B., *Il Sacerdote e il Medico*, p. 120-1.

ID. VII (1936), fasc. 8 (15 Aug.) — P. A. Gemelli, *Lacune e incertezze della Eugenica come fondamento della inamissibilità della sterilizzazione preventiva*, p. 113-9. — D. G. B., *Sacerdote e Medico*, p. 120-1.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN XXXVI (1936), fasc. 11 (Nov.) — Dr. L. Buys, C. ss. R., *Doopheffen door gevolmachtigde*, p. 340-4.

ID. XXXVI (1936), fasc. 12 (Dec.) — Dr. W. Mulder, *Huwelijk onder invloed van chantage. Maakt metus indirecte incussus het huwelijk ongeldig?*, p. 370-3. — Buijs, *P. O. in het begin van het huwelijk*, p. 378-80.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De catholicorum civium officiis secundum doctrinam Leonis Pp. XIII

Non abs re erit inter documenta Leonis XIII normas quaerere quas magnus Pontifex catholicis viris tradidit ut in vita civili genuinam christianam agendi rationem servarent. Neminem fugit quot et quanti fuerint errores saeculo XIX orti circa civilia catholicorum officia. Non est nostrum hic peramplam ipsorum refutationem conficere; id unum intendimus, brevi conspectu exponere positiva catholicorum officia, uti ex documentis Magni Pontificis eruuntur.

I - Principia fundamentalia

Et primo quidem, tria generalia principia, prae oculis quasi fundamentum habeant oportet catholici, quibus tota eorum civilis agendi ratio inspiretur ac dirigatur.

Primum principium

1 - Alta catholicis mente insideat *accurata distinctio inter politicam et religiosam rem.*

« Oportet rem sacram remque civilem, quae sunt genere naturaque distincta, etiam opinione iudicioque secernere. Nam hoc genus de rebus civilibus, quantumvis honestum et grave, si spectetur in se, vitae huius, quae in terris degitur, fines nequaquam praetergreditur. Contra vero religio, nata Deo et ad Deum referens omnia,

altius se pandit caelumque contingit... Quapropter religionem, et quidquid est singulari quodam vinculo cum religione colligatum, rectum est superioris ordinis esse ducere. Ex quo consequitur eam, ut est summum bonum, in varietate rerum humanarum atque in ipsis commutationibus civitatum debere integram permanere: omnia enim et temporum et locorum intervalla complectitur. Fautoresque contrariarum partium, caetera dissentientes, in hoc oportet universi conveniant, rem catholicam in civitate salvam esse oportere » (1).

« ... Fugienda illorum est praepostera opinio, qui religionem cum aliqua parte civili permiscent ac velut in unum confundunt, usque adeo ut eos qui sint ex altera parte, prope decivisse a catholico nomine decernant. Hoc quidem est factiones politicas in augustum religionis campum perperam compellere: fraternam concordiam velle dirimere, funestaeque incommodorum multitudini aditum ianuamque patefacere » (2).

Quae distinctio necessario postulat ut suus cuique sit locus; immo vetat ne in partium politicarum dissidiis Ecclesia a civibus misceatur.

« Non dubium est quin quaedam sit in genere politico honesta contentio, cum scilicet incolumi veritate iustitiaque certatur, ut opiniones re usuque valeant quae ad commune bonum prae ceteris conducibiles videantur. Sed Ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adiutricem velle ad eos, quibuscum contenditur superandos, hominum est religione intemperanter abutentium » (3).

Doctrina enim illa supernaturalis Evangelii quam hominibus tradendam recepit omnes hominum contentiones et lites superat, nec ipsis ullo modo commisceri patitur.

« ... Naturae et Evangelii praecepta, quia suopte iure humanos casus excedunt, ea necesse est ex nullo civilis regiminis modo pendere; sed convenire cum quovis posse, modo ne honestati et iustitiae repugnet. Sunt ipsa igitur manentque a partium studiis variisque eventibus plane aliena: ut in qualibet demum rei publicae constitutione, possint cives ac debeant iisdem stare praeceptis, quibus iubentur Deum super omnia, proximos sicut se diligere » (4).

---

(1) Omnia documenta citantur iuxta editionem Romanam Typographiae Vaticanae, a. 1881-1905; 23 vol. — Encyclica *Cum multa sint*, de animorum concordia inter Hispanos procuranda, 8 Decembris 1892; vol. 3, p. 173-4.

(2) Ibidem.

(3) Epistola *Postquam catholici*, ad Archiepiscopum Tarraconensem, 10 Decembris 1894; vol. 14, p. 382.

(4) Encyclica *Graves de communi*, de democratia christiana, 18 Ian. 1901; vol. 21, p. 7.

Haec tamen independentia et excellentia rei religiosae minime significat divortium adesse ipsam inter et civilem rem :

« Erit autem opportunum... rei sacrae reique civilis meminisse rationes mutuas, quia multi contrario errore falluntur. Solent enim nonnulli rem politicam a religione non distinguere solum, sed penitus seiungere ac separare, nihil ut esse utrique commune velint, nec quicquam ad alteram ab altera influere putent oportere » (5).

Qui tamen error amplissime refutatur a Summo Pontifice in diversis locis, quorum unum saltem citare non omittemus.

« Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis: in rebus publicis fas esse a iussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere. Sed haec quam absurde dicantur, haud difficulter intelligitur. Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis iustitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem » (6). — « Hi profecto non multum ab iis discedunt, qui civitatem constitui administrarique malunt amoto cunctarum procreatore Dominoque rerum Deo: ac tanto deterius errant, quod rempublicam uberrimo utilitatum fonte temere prohibent. Nam ubi religio tollatur, vacillare necesse est illorum stabilitatem principiorum, in quibus salus publica maxime nititur, quaeque vim a religione capiunt plurimam, cuiusmodi potissimum sunt iuste moderateque imperare, propter conscientiam officii subesse, domitas habere virtute cupiditates, suum cuique reddere, aliena non tangere » (7).

Hinc facile derivantur normae generales illius communionis quoad potestatem attinet, civilem scilicet et religiosam.

« Inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio... qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari

(5) *Cum multa sint;* vol. 3, p. 173.

(6) Encyclica *Libertas,* de libertate humana, 20 Ian. 1888; vol. 8, p. 22.

(7) *Cum multa sint;* vol. 3, p. 173.

non potest nisi respiciendo... ad utriusque naturam... Quidquid igitur est in rebus humanis aliquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, si tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta » (8).

Alterum principium

2 - Alterum est principium a catholicis religiose servandum ubi de civili et religiosa re est sermo: *unio* nempe *et concordia animorum.* Quae animorum unio ex unitate fidei ultimo, proxime vero ex necessaria unius catholicae veritatis defensione principium et vim habet.

« ... Sancta atque inviolata apud omnes debet esse religio: imo in ipsa disciplina civitatum, quae a legibus morum officiisque religionis separari non potest, hoc est potissimum spectandum, quid maxime expediat christiano nomini: quod ipsum sicubi in periculo esse adversariorum opera videatur, cessandum ab omni dissidio, et concordibus animis et consiliis propugnatio ac defensio suscipienda religionis, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia referenda» (9).

Hoc est firmissimum vinculum pacis in nationibus, cui tuendo omnium civium vires adunari debent.

« Avant tout prenons comme point de départ une vérité notoire, souscrite par tout homme de bon sens et hautement proclamée par l'histoire de tous les peuples, à savoir, que la religion, et la religion seule, peut créer le lien social; que seule elle suffit à maintenir sur des solides fondements la paix d'une nation...

Tous le citoyens sont tenus de s'allier pour maintenir dans la nation le sentiment religieux vrai, et pour le défendre au besoin, si jamais une école athée, en dépit des protestations de la nature et de l'histoire, s'efforçait de chasser Dieu de la société, sûre par là d'anéantir bientôt le sens moral au fond même de la conscience humaine. Sur ce point, entre hommes qui n'ont pas perdu la notion de l'honnêteté, aucune dissidence ne saurait subsister » (10).

---

(8) Encyclica *Immortale Dei*, de civitatum constitutione christiana, 19 Nov. 1885; vol. 5, p. 128.

(9) Encyclica *Sapientiae christianae*, de praecipuis christianorum civium officiis, 10 Ian. 1880; vol. 10, p. 29.

(10) Encyclica *Au milieu des sollicitudes*, ad Archiepiscopos et Episcopos, clerum omnesque fideles Galliae, 16 Febr. 1892; vol. 12, p. 21-23.

Nec satis improbari potest eorum agendi ratio qui partium politicarum triumpho religionis causam subordinare contendunt.

« Mais les hommes qui subordonneraient tout au triomphe préalable de leur parti respectif, fût-ce sous le prétexte qu'il leur paraît le plus apte à la défense religieuse, seraient dès lors convaincus de faire passer en fait, par un funeste renversement des idées, la politique qui divise avant la religion qui unit. Et ce serait leur faute, si nos ennemis, exploitant leurs divisions, comme ils ne l'ont que trop fait, parvenaient finalement à les écraser tous » (11).

Maximi ergo ab omnibus catholicis haec fiat animorum concordia, cui etiam singulorum salus alligata, fortasse magis quam suspicari solet, erit saepe.

« Iamvero plane perspicitur quanti referat, incolumem esse animorum coniunctionem, eo vel magis quod in tanta ubique pravarum opinionum licentia, in tam acri insidiosaque Ecclesiae catholicae oppugnatione, omnino necesse est, christianos universos collatis in unum viribus maximaque voluntatum conspiratione resistere, ne calliditate atque impetu adversariorum separatim oppressi succumbant » (12).

Hanc saepissime commendatam invenimus veritatem in omnibus documentis tum scripto, tum verbo missis ad catholicos diversarum regionum quae tempore Leonis XIII diversi generis vexationibus opprimebantur, vel quibus calamitates istiusmodi imminebant.

Tertium principium

3 - Huic vero principio solide servando, maxime iuvat, estque ipsius tutamen fortissimum tertium aliud a Leone XIII numquam satis catholicis commendatum: *plena* scilicet *et sincera submissio hierarchiae*, cui ius et officium est catholicorum officia, pro diversitate temporum et circumstantiarum, monstrare ac definire.

---

(11) Epistola *Notre consolation*, ad Cardinales Gallos 3 Maii 1892; vol. 12, p. 114.

(12) *Cum multa sint;* vol. 3, p. 172.

« ... Conservanda in primis est voluntatum concordia, quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, si praescripta Sedis Apostolicae legem vitae singuli putent, atque Episcopis obtemperent, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (Act. 20, 28). — Defensio quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis doctrinis quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia et summa constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, aut mollius resistat quam veritas patiatur » (13).

Non enim rei christianae solum profectui, sed ipsius reipublicae emolumento haec obtemperatio ac submissio efficaci erit adiumento.

« Et ad istud nobile necessariumque propositum [tuendi religionem] quotquot amant catholicum nomen debent velut foedere icto studiose incumbere, silere paulisper iussis diversis de causa politica sententiis, quas tamen suo loco honeste legitimeque tueri licet ...

Concordiae vero quam diximus, idem est in re christiana, atque in omni bene constituta republica fundamentum: nimirum obtemperatio legitimae potestati, quae in iubendo, vetando, regendo, varios hominum animos concordes et congruentes efficit » (14).

Sit tamen ipsa oportet sincera et operibus efficax demonstrata.

« Laici vero homines, non verbo tenus, sed ipsa re ecclesiasticae auctoritati morem gerant, neve unquam obliviscantur, privatorum utilitates emolumento religionis communique bono debere subiici. Haec dum servant, catholicos laicos otiosos esse nequaquam permittimus; probamus contra si, incolumi debita legibus observantia nec repudiato episcoporum ductu, religiosae rei provectum strenue prosequantur » (15).

II - Practicae normae

His fundamento positis principiis, gressum faciamus ad examen eorum quae hodierni « problemata » vocant vitae civilis catholicorum, et normas quaeramus quibus catholicorum agendi rationem Leo XIII dirigere non cessavit.

---

(13) *Immortale Dei;* vol. 5, p. 148.
(14) *Cum multa sint;* vol. 3, p. 174.
(15) *Postquam catholici;* vol. 14, p. 382.

Diversae gubernii formae

Nullius praeterit mentem maxima fluctuationum varietas operata in forma ipsa gubernii currente saeculo XIX. Quaenam Ecclesiae sit mens, quisnam catholicorum animus versus diversas gubernii formas, perspicue et apte declaratum invenimus pluribus in locis.

« Ius autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem » (16).

« Neque hic quaeritur de rerum publicarum modis: nihil enim est, cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo iustus sit et in communem utilitatem intentus. Quamobrem salva iustitia non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio, aut maiorum institutis moribusque magis apte conveniat » (17).

« Atque etiam malle reipublicae statum populari temperatum genere, non est per se contra officium, salva tamen doctrina catholica de ortu atque administratione publicae potestatis. Ex variis reipublicae generibus, modo sint ad consulendum utilitati civium per se idonea, nullum quidem Ecclesia respuit: singula tamen vult, quod plane idem natura iubet, sine iniuria cuiusquam, maximeque integris Ecclesiae iuribus, esse constituta » (18).

Et exemplum manifestum sinceri pariter et libentis animi quo nova gubernii forma sit acceptanda, nobis praesto est in celebri illa Encyclica ad Episcopos et catholicos Galliae, anno 1892 data.

« Divers gouvernements se sont succedés en France dans le cours de ce siècle, et chacun avec sa forme distinctive: Empires, Monarchies, Républiques. En se renfermant dans le abstractions, on arriverait à définir *quelle est la meilleure* de ces formes considérées en elles-mêmes; on peut affirmer également en toute vérité que chacune d'elles est bonne, pourvu qu'elle sache marcher droit à sa fin... Il convient d'ajouter finalement, qu'au point de vue relatif, telle ou telle forme de gouvernement peut être préférable... Dans cet ordre d'idée speculatif, les catholiques, comme tout citoyen, ont pleine liberté de préférer une forme de gouvernement à l'autre,

(16) *Immortale Dei;* vol. 5, p. 120-21.

(17) Encyclica *Diuturnum illud*, de politico principatu, 29 Iun. 1881; vol. 2, p. 272.

(18) *Libertas;* vol. 8, p. 245.

précisément en vertu de ce qu'aucune de ces formes sociales ne s'oppose, par elle-même, aux donnés de la saine raison ni aux maximes de la doctrine chrétienne...

Que si l'on descend des abstractions sur le terrain des faits, il faut nous bien garder de renier les principes tout à l'heure établis: ils demeurent inébranlables. Seulement en s'incarnant dans les faits ils revêtent un caractère de contingence déterminé par le milieu où se produit leur application... Si chaque forme politique est bonne par elle-même... en fait... on ne rencontre pas chez tous les peuples le pouvoir politique sous une même forme.

Tous les individus sont tenus d'accepter ces gouvernements, et de ne rien tenter pour les reverser ou pour en changer la forme. De là vient que l'Eglise gardienne de la plus vraie et de la plus haute notion sur la souveraineté politique,... a toujours reprouvé les doctrines et toujours condamné les hommes rebelles à l'autorité légitime...» (19).

In mentem revocat Summus Pontifex diversam fortunam cuiusvis formae gubernii uti ex ipsa historia clare nobis apparet. Inquirens inde in causas talium mutationum et earum iusta motiva sic prosequitur:

« Et comment viennent à se produire ces changements politiques?... Ils succèdent parfois à des crises violentes... l'ordre public est bouleversé jusque dans ses fondements. Dès lors une *nécessité sociale* s'impose à la nation: elle doit sans retard pourvoir à elle même. Comment n'aurait elle pas le droit et plus encore le devoir de se défendre contre un état de choses que la trouble si profondément...? Or cette nécessité sociale justifie la création et l'existence des nouveaux gouvernements, quelque forme qu'ils prennent... Toute nouveauté... n'affecte nullement le pouvoir considéré en lui-même. Celui-ci continue d'être immutable et digne de respect... Dans toute hypothèse le pouvoir civil considéré comme tel, est de Dieu et toujours de Dieu car *il n'y a pas de pouvoir si ce n'est de Dieu* (Rom. 13, 1)» (20).

Hinc consectarium oritur necessario quod ipse Summus Pontifex aperte declarat in hac ipsa Encyclica:

« Par conséquant lorsque les nouveaux gouvernements qui représentent cet immutable pouvoir sont constitués, les accepter n'est pas seulement permis, mais reclamé, voire même imposé par la nécessité du bien social qui les a faits et qui les maintient... Et ce

(19) *Au milieu des sollicitudes;* vol. 12, p. 21.
(20) Ibidem, p. 23.

grand devoir de respect et de dépendence persévérera tant que les exigences du bien commun le demanderont, puisque ce bien est, après Dieu, dans la société, la loi première et dernière » (21).

et adhuc longius in Epistola ad Cardinales Gallos, die 3 maii 1892:

« ... Un de ces moyens [pour réaliser l'union des catholiques] est d'accepter sans arrière-pensée, avec cette loyauté parfaite qui convient au chrétien, le pouvoir civil dans la forme où, de fait, il existe...

Et la raison de cette acceptation, c'est que le bien commun de la société l'emporte sur toute autre intérêt; car il est le principe créateur, il est l'élément conservateur de la société humaine: d'où il suit que tout vrai citoyen doit le vouloir et le procurer à tout prix. Or, de cette nécéssité d'assurer le bien commun, dérive comme de sa source propre et immédiate la nécessité d'un pouvoir civil qui, s'orientant vers le but suprême y dirige sagement et constamment les volontés multiples des sujets, groupés en faisceau dans sa main. Lors donc que, dans une société il existe un pouvoir constitué et mis à l'oeuvre, l'intérêt commun se trouve lié à ce pouvoir, et l'on doit, pour cette raison, l'accepter tel qu'il est. C'est pour ces motifs et dans ce sens que nous avions dit aux catholiques français: Acceptez la République, c'est-à-dire le pouvoir constitué et existant parmi vous; respectez-le; soyez lui soumis comme représentant le pouvoir venu de Dieu » (22).

quae confirmatio sunt omnium quae in prima Encyclica exposita sunt.

« En politique plus qu'ailleurs, surviennent des changements inattendus... Ces changements sont loin d'être toujours légitimes à l'origine; il est même difficile qu'ils le soient. Pourtant le *criterium* suprême du bien commun et de la tranquillité publique, impose l'acceptation de ces nouveaux gouvernements établis en fait, à la place des gouvernements antérieurs qui, en fait, ne sont plus. Ainsi se trouvent suspendues les règles ordinaires de la transmission des pouvoirs, et il peut se faire même qu'avec le temps elles se trouvent abolies.

Quoi qu'il en soit de ces transformations extraordinaires dans la vie des peuples, dont il appartient à Dieu de calculer les lois, et à l'homme d'utiliser les conséquences, l'honneur et la conscience reclament, en tout état de choses, une subordination sincère aux gouvernements constitués; il la faut au nom de ce droit souverain

(21) *Au milieu des sollicitudes;* vol. 12, p. 23.
(22) *Notre consolation;* vol. 12, p. 111-12.

indiscutable, inaliénable, qui s'appelle la raison du bien social. Qu'en serait-il, en effet, de l'honneur et de la conscience, s'il était permis au citoyen de sacrifier à ses visées personnelles et à ses attachements de parti, les bienfaits de la tranquillité publique? » (23).

Officia erga gubernium

Semel stabilita legitimitate cuiusvis formae gubernii quae vere conformis sit scopo auctoritati et potestati in civili societate assignato, nullo negotio eruuntur officia quibus cives, proindeque catholici, illi potestati ligantur:

1 - Ei primo debetur *obedientia, ex officio conscientiae.*

« Sanctum igitur christianis est publicae potestatis nomen, in qua divinae maiestatis speciem et imaginem quandam tum etiam agnoscunt, cum geritur ab indigno: iusta et debita legum verecundia, non propter vim et minas, sed propter conscientiam officii: *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris* » (II Tim. 1, 7) (24).

« Revereri eos qui pro suo quisque gradu in civitate praesunt, eisdemque iuste iubentibus obtemperare, lex aeque naturalis et christiana praecipit. Quod quidem ut homine eodemque christiano sit dignum, ex animo et officio praestari oportet, scilicet *propter conscientiam* quemadmodum ipse monuit Apostolus, quum illud edixit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* » (Rom. 13, 1-5) (25).

« ... Verissimum officium est vereri auctoritatem, iustisque legibus obedienter subesse, quo fit ut virtute vigilantiaque legum ab iniuria improborum cives vindicentur. Potestas legitima a Deo est, et *qui potestati resistit Dei ordinationi resistit*: quo modo multum obedientia adipiscitur nobilitatis, cum iustissimae altissimaeque auctoritati adhibeatur » (26).

« ... Potestas rectorum civitatis, si quaedam est divinae potestatis communicatio, ob hanc ipsam causam continuo adipiscitur dignitatem humana maiorem ... eamque dono quodam acceptam beneficioque divino. Ex quo subesse cives et dicto audientes esse principibus, uti Deo, oportebit non tam poenarum formidine, quam verecundia maiestatis, neque assentationis causa sed conscientia officii. Qua re stabit in suo gradu longe firmius collocatum imperium. Etenim istius vim officii sentientes cives, fugiant necesse est improbitatem et contumaciam quia sibi persuasum esse debet, qui po-

(23) *Notre consolation*; vol. 12, p. 112-13
(24) *Sapientiae christianae;* vol. 10, p. 15.
(25) *Graves de communi;* vol. 21, p. 8-9.
(26) *Libertas;* vol. 8, p. 223.

liticae potestati resistunt, hos divinae voluntati resistere; qui honorem recusant principibus ipsi Deo recusare » (27).

« Ita sane maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia iusta ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ac fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* » (Rom. 13,1) (28).

« Illud in primis ex animo non excidisse confidimus, catholicorum officium esse, iurium disceptatione, quaecumque sint, divinae Providentiae permissa, eos, qui publicam rem administrant, omni prosequi observantia » (29).

« Quae enim a vobis, venerabiles fratres, et a cooperatoribus vestris in ministerio verbi populis documenta traduntur in iis quae ad eorum officia erga civilem auctoritatem pertinent, huc maxime redeunt: scilicet omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse debere, *non solum propter iram sed etiam propter conscientiam* (Rom. 13, 1); publica onera aequo animo ferenda; a turbulentis consiliis et molitionibus abstinendum; caritate fraternitatis invicem dilectionem exhibendam, mutuaque officia in hominum societate cum fide servanda » (30).

cui tamen officio, in iis qui principatum tenent, alia respondent officia:

« Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut quicumque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo: *Non est potestas nisi a Deo* » (Rom. 13, 1) (31).

« Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta; gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de causa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit » (32).

---

(27) *Diuturnum illud;* vol. 2, p. 276.
(28) *Immortale Dei;* vol. 5, p. 121-22.
(29) *Postquam catholici;* vol. 14, p. 382.
(30) Epistola *Iampridem,* ad Archiepiscopos et Episcopos Borussiae, 6 Ian. 1886; vol. 6, p. 3.
(31) *Immortale Dei;* vol. 5, p. 120.
(32) Ibidem, p. 121.

Sed de his fortasse longius alibi.

2 - Consectarium hinc necessario exsurgit: *damnanda* nempe *est sic dicta rebellio contra legitimam auctoritatem* in civili societate.

« Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (Rom. 13, 2). Quapropter obedientiam abiicere, et, per vim multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen maiestatis, neque humanae tantum sed etiam divinae » (33).

Et in locis supra citatis, adhuc clarius de tali modo damnando aperte Pontifex haec profert:

« Inutile de rappeler que tous les individus sont tenus d'accepter ces gouvernements, et de ne rien tenter pour les renverser ou pour en changer la forme. De là vient que l'Eglise, gardienne de la plus vraie et de la plus haute notion sur la souveraineté politique, puisqu'elle la fait dériver de Dieu, a toujours reprouvé les doctrines et toujours condamné les hommes rebelles à l'autorité légitime. Et cela dans le temps même où les dépositaires du pouvoir en abusaient contre Elle... » (34).

3 - Sponte tamen hic menti occurrit dubium, hodie minime spernendum, cum de iuribus et officiis religiosis adeo parum curare videntur multi civitatum rectores. *Quid si regimen civile religioni infensum sit?* Brevi sermone, sed non minus claro, responsum invenimus in Encyclica « Sapientiae christianae »:

« ... Ecclesia patrocinium iis hominibus gratiamve praebere non potest a quibus oppugnari sese intelligat, qui iura ipsius aperte vereri recusant, qui rem sacram remque civilem natura consociatas divellere contendunt » (35).

Nec silentio premendum credidit Pontifex casum extremum, quo civitatis duces abuti iniuste potius quam uti potestate cernantur:

(33) *Immortale Dei;* vol. 5, p. 121.
(34) *Au milieu des sollicitudes;* vol. 12, p. 29-30.
(35) *Sapientiae christianae;* vol. 10, p. 30.

« Ubi dominatus premat aut impendeat eiusmodi, qui oppressam iniusta vi teneat civitatem, vel carere Ecclesiam cogat libertate debita, fas est aliam quaerere temperationem reipublicae, in qua agere cum libertate concessum sit: tunc enim non illa expetitur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium causa, quaeritur, et hoc unice agitur ut, ubi rerum malarum licentia tribuitur, ibi potestas honeste faciendi ne impediatur » (36).

Officia erga leges

Nec satis. Accuratiori subiciuntur examini practicae manifestationes quibus istius adversi animi sensus in Ecclesiam et civitatem patefiunt.

1 - Leges nempe civiles religionem vel iustitiam impetere haud raro videmus. Quaenam sit illarum ligandae conscientiae vis qualisve civium in ipsas animi dispositio et agendi norma, manifestant aperte quae sequuntur:

« Si quid ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectae rationis dissideat, sitque reipublicae perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula iustitiae esset, et homines a bono, cui nata societas est, abduceret » (37).

« Verum ubi imperandi ius abest, vel si quidquam praecipiatur rationi, legi aeternae, imperio Dei contrarium, rectum est non parere, scilicet hominibus, ut Deo pareatur. Sic praecluso ad tyrannidem aditu, non omnia pertrahet ad se principatus: sua sunt salva iura singulis civibus, sua societati domesticae, cunctisque reipublicae membris, data omnibus verae copia libertatis, quae in eo est.... ut quisque possit secundum leges rectamque rationem vivere » (38).

« Incidunt causae, cum aliud videtur a civibus respublica, aliud a christianis religio postulare: idque non alia sane de causa, quam quod rectores reipublicae sacram Ecclesiae potestatem aut nihil penso habent, aut sibi volunt esse subiectam... Urget potestas duplex: quibus contraria iubentibus obtemperari simul utrisque non potest... ita ut omnino si mos geritur alteri, alterum posthaberi necesse sit. Uter vero sit anteponendus, dubitare nemo debet » (39).

« Verum si reipublicae leges aperte discrepent cum iure divino, si quam Ecclesiae imponant iniuriam, aut iis quae sunt de religione officiis contra dicant, vel auctoritatem Iesu Christi in pontifice ma-

(36) *Libertas;* vol. 8, p. 245.
(37) Ibidem, p. 222.
(38) Ibidem, p. 223-24.
(39) *Sapientiae christianae;* vol. 10, p. 14.

ximo violent, tum vero resistere officium est, parere scelus: idque cum ipsius reipublicae iniuria coniunctum, quia peccatur in rempublicam quidquid in religionem delinquitur » (40).

« Videlicet scelus est ab obsequio Dei, satisfaciendi hominibus causa discedere: nefas Iesu Christi leges, ut pareatur magistratibus perrumpere, aut, per speciem civilis conservandi iuris, iura Ecclesiae migrare. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. 5, 29)... Non est lex nisi iussio rectae rationis a potestate legitima in bonum commune perlata. Sed vera ac legitima potestas nulla est nisi a Deo summo principe dominoque omnium proficiscatur, qui mandare homini in homines imperium solus ipse potest...» (41).

« Una illa hominibus causa est non parendi, si quid ab iis [summis principibus] postuletur quod cum naturali aut divino iure aperte repugnet: omnia enim in quibus naturae lex vel Dei voluntas violatur, aeque nefas est imperare et facere. Si cui igitur usu veniat ut alterutrum malle cogatur, scilicet aut Dei aut principium iussa negligere, Iesu Christo parendum est reddere iubenti *quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo* (Mt. 22, 21); atque ad exemplum apostolorum animose respondendum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. 5, 29). Neque tamen est, cur abiecisse obedientiam qui ita se gerant arguantur; etenim si principum voluntas cum Dei voluntate pugnat et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, iustitiamque pervertunt: neque enim eorum tunc valere potest auctoritas, quae ubi iustitia non est, nulla est » (42).

2 - Nec civium officium hic sistere potest: ulterius pregrediatur necesse est. Veritati et iustitiae in legislatione proprius restituendus est locus; idque pro viribus quaerendum imponit catholicis civibus ipsissimum conscientiae officium.

« ... Non potest Ecclesiae non interesse quales in civitatibus valeant leges, non quatenus ad rempublicam pertinent, sed quia fines debitos aliquando praetergressae in ius Ecclesiae invadunt. Quin imo resistere, si quando officiat religioni disciplina reipublicae, studioseque conari, ut in leges et instituta populorum virtus pervadat Evangelii, munus est Ecclesiae assignatum a Deo » (43).

« Que tous le remarquent bien: déployer son activité et user de son influence pour amener les gouvernements à changer en bien des lois iniques ou dépourvues de sagesse, c'est faire preuve d'un dévouement à la patrie aussi intelligent que courageux, sans accuser

(40) *Sapientiae christianae;* vol. 10, p. 16.
(41) Ibidem, p. 15.
(42) *Diuturnum illud;* vol. 2, p. 277.
(43) *Sapientiae christianae;* vol. 10, p. 30.

l'ombre d'une hostilité aux pouvoirs chargés de regir la chose publique. Qui s'aviserait d'accuser les chrétiens des premiers siècles comme adversaire de l'Empire romain, parce qu'ils ne se courbaient point devant ses prescriptions idolâtriques, mais s'efforçaient d'en obtenir l'abolition? » (44).

« ... La législation est l'oeuvre des hommes investis du pouvoir et qui de fait, gouvernent la nation. D'où il resulte qu'en pratique, la qualité des lois dépend plus de la qualité de ses hommes, que de la forme du pouvoir. Ces lois seront donc bonnes ou mauvaises, selon que les législateurs auront l'esprit imbu de bons ou de mauvais principes, et se laisseront diriger, ou par la prudence politique, ou par la passion » (45).

« ... Voilà précisement le terrain sur lequel, tout dissentiment politique mis à part, les gens de bien doivent s'unir comme un seul homme, pour combattre, par tous les moyens légaux et honnêtes, ces abus progressifs de la législation. Le respect que l'on doit aux pouvoirs constitués ne saurait l'interdire: il ne peut comporter, ni le respect ni beaucoup moins l'obéissance sans limites à toute mesure legislative quelconque édictée par ces mêmes pouvoirs. Qu'on ne l'oublie pas, la loi est une prescription ordonnée selon la raison et promulguée, pour le bien de la communauté, par ceux qui ont reçu à cette fin le dépôt du pouvoir. — En conséquence, jamais on ne peut approuver des points de législation qui soient hostiles à la Religion et à Dieu; c'est au contraire un devoir de les reprouver » (46).

3 - Ultimum restat considerandum civile obsequium a civibus societati praestandum quando muneribus publicis capessendis, suffragio concivium appellantur. Vitio vertendum esset his qui talia recusarent omnino.

« Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est, christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum... Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae: eo vel magis quod catholici homines ipsius quam profitentur admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur » (47).

---

(44) *Notre consolation;* vol. 12, p. 114.
(45) *Au milieu des sollicitudes;* vol. 12, p. 34.
(46) Ibidem, p. 35.
(47) *Immortale Dei;* vol. 5, p. 145-46.

Id enim honestum omnino est:

« Ad res publicas gerendas accedere, nisi alicubi ob singularem rerum temporumque conditionem aliter caveatur, honestum est: imo vero probat Ecclesia, singulos operam suam in communem afferre fructum, et quantum quisque industria potest, tueri, conservare, augere rempublicam » (48).

Nec tacendum officium eorum qui proprio suffragio alios ad publica munera gerenda vocant:

« ... Ubicumque in negotiis publicis versari per Ecclesiam licet, favendum viris est spectatae probitatis, eisdemque de christiano nomine merituris: neque causa ulla esse potest cur male erga religionem animatos liceat anteponere » (49).

Brevi conspectu conati sumus exponere catholicorum civium officia prouti e documentis eximii Pontificis Leonis XIII eruuntur. Ea intimius examinare et ad apicem exponere, non patiuntur angusti unius articuli limites. Sint haec christianae conscientiae aliquali in civilibus officiis adiumento, doctrinaeque nuper traditae a Smo. Dno. nostro Pio PP. XI, in litteris Encyclicis postremo datis, clariorem pariant intellectionem atque ingenuam, prout catholicos decet, eiusdem acceptationem.

Jos. Arango Uribe, S. J.

De praestantia Festorum

ANNOTATIONES IN RESCRIPTUM S. CONGR. RITUUM DIEI 4 IULII 1936

(*Periodica* XXVI (1937) p. 86)

Praeferentia festorum regitur pluribus criteriis, quae pluries mutata, tandem in novissimis rubricis Breviarii sequenti ordine enumerata sunt: ritus altior, maior solemnitas,

(48) *Libertas;* vol. 8, p. 245.
(49) *Sapientiae christianae;* vol. 10, p. 30.

ratio primarii et secundarii, dignitas, proprietas (*Addit. in rubr. Brev. tit. II*). Inter haec criteria novum est illud de maiore solemnitate, « scilicet si festum celebretur cum feriatione, etiam in foro reducta vel sublata, aut cum Octava » (*ib.*). Quod principium nunc in rubricis statutum, valde opportunum est ad feriationem quod attinet. Nam diebus feriatis populus ad ecclesiam accedit Sacrum auditurus, sicut diebus dominicis, et ab operibus servilibus abstinet ad istud festum recolendum. Unde inconveniens esset aliud festum eiusdem ritus celebrare, sed oportet feriatum v. g. Patroni praeferre, cuius causa populus ad ecclesiam accessit et ab operibus servilibus cessavit. Nihilominus rubricae ratione feriationis antea non tribuebant festis praeferentiam, nisi in hodierno Breviario reformato.

Pauca sunt decreta, quae id praecinebant. Secundum decretum n. 2378 ad 2 festa « de praecepto, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum (ceteris paribus) *possunt* habere integras Vesperas ». Pariter decretum n. 3881, 2 de anniversario dedicationis ecclesiae *permisit*, « ut Patroni festum cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis praedicto anniversario praeferatur ». Praeterea decretum 4057 ad 4 statuit « festum S. Laurentii Martyris concurrens cum Ss. Iusti et Pastoris Martyrum festo dupl. II classis in Hispania, integras habere debere Vesperas cum Commemoratione praedictorum Martyrum », « quia festum S. Laurentii de *solemnioribus* est inter duplicia II classis in Ecclesia universali ».

Quod igitur ratione feriationis prius facultative vel perraro fiebat, nunc *semper* faciendum est vi novissimae rubricae Breviarii tit. II n. 1.

Recte igitur cl. Callewaert (*De Breviarii Romani Liturgia*, n. 357 B) ac R. P. Paulinus a Gemert (*Manuale Liturgicum* [2], p. 33) docent festum Patroni principalis loci, dioecesis, nationis propter feriationem praeferendum esse festo Dedicationis ecclesiae propriae vel Cathedralis. Nonnulli alii vero, immemores novissimae rubricae, pergunt

asserere iuxta decretum 3881 § II anniversarium Dedicationis ecclesiae ratione dignitatis personalis ceteris festis localibus, « etiam Patroni aut Titularis, esse per se praeferendum, tam in occursu quam in concursu; *permitti* nihilominus, ut Patroni festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis praedicto anniversario praeferatur ». Attamen profecto oportet hodie non iam decreto 3881 stare, sed additionibus in rubr. Brev. (tit. II n. 1 b), quae edicunt festum feriatum Patroni principalis semper praeferendum esse festo non feriato Dedicationis ecclesiae.

Octava autem ante hodiernum Breviarium typicum nullam praeferentiam festo tribuit, nunc vero solemnitas per Octavam festo addita reddit eius diem festum et diem octavum nobiliorem in occursu et concursu. Convenienter admodum etiam Festum Octava ornatum praefertur festo ceteroquin pari, sed Octava carenti. Nam Octava ditantur solum festa potiora.

Occasione capta novissimi decreti S. R. C. diei 4 iulii 1936 (*Periodica* XXVI (1937) p. 86) criterium maioris solemnitatis adhuc paucis explanare iuvat.

Feriatio plena seu actualis in choro et foro habetur, si a populo « Missa audienda est et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus etc. » (can. 1248), atque ab Episcopis et parochis Missa pro populo sibi commisso applicanda. Feriatio in foro reducta est, si remanet obligatio audiendi missam, cessat vero obligatio abstinendi ab operibus servilibus; tandem feriatio sublata vel suppressa est, si populus liberatur utraque obligatione audiendi sacrum et omittendi opera servilia.

Praeterea *Octava* privilegiata vel communis est prorogatio festi duplicis I classis per octo dies continuos, Octava simplex autem festi duplicis II classis constat tantum die festo et die octava. In omnibus vero Octavis solemnitas ratione Octavae consideratur tantum in die festo et octavo, non vero in diebus infra Octavam.

Iam praesens textus rubricae ostendit solemnitatem ratione feriationis esse maiorem quam illam ratione Octavae. Quod confirmatur etiam responso diei 14 iulii 1936 ad 2. Decere autem videbatur quod festum cum actuali feriatione sit solemnius ideoque praeferendum festo cum feriatione suppressa. Ex responso ad dubium 1 autem patet feriationem actualem et reductam vel suppressam aequivalere.

Praeterea universalia festa primaria Domini ritus duplicis I classis habent quasdam praerogativas excludendi nempe commemorationem Missae votivae solemnis impeditae (*Addit. in rubr. Miss.* tit. V n. 3) et officii duplicis maioris vel minoris et semiduplicis simplificati (*addit. in Brev.* tit. VII n. 1); eiusmodi est etiam festum D. N. Iesu Christi Regis. Nihilominus in occursu et concursu cum aliis festis primariis universalis Ecclesiae I classis, velut cum festo Omnium Sanctorum, solita criteria praestantiae observanda sunt, scilicet: ritus altior, maior solemnitas etc. Iamvero festum Omnium Sanctorum est solemnius, quia est feriatum *et* Octava communi ditatum, festum Christi Regis vero est feriatum sine Octava, ideoque Vesperas cedit festo Omnium Sanctorum. Immo sicubi Christus Rex est Titulus ecclesiae et idcirco cum Octava communi recolendus, nihilominus minoris solemnitatis est quam festum Omnium Sanctorum, quod habet in universali Ecclesia Octavam. Quare dies infra Octavam Christi Regis cedunt diebus infra Octavam Omnium Sanctorum et in his commemorantur. Quod haud paucis incertum erat, nunc vero liquet.

Franciscus Xav. Hecht, P. S. M.

De transitu religiosi de una classe ad alteram eiusdem religiosi instituti

II (1)

Petrus in clericali ordine professionem temporalem emisit, sed in secundo anno votorum temporalium ob difficultates, quas in studiis experitur, transire cupit ad alteram classem laicalem eiusdem ordinis.

Quaeritur: estne hic transitus licitus; num requiritur novus noviciatus annus; immo requirunturne sex menses postulatus; num perdurant vota temporaria iam emissa, et quomodo renovari debent; estne agendum novum triennium votorum temporalium; quale suffragium fertur a Consilio ante professionem perpetuam; debetne redire Petrus ad priorem classem, si, nondum *emissa* professione pro altera classe, non perseverat in vocatione ad statum fratris laici; quales obligationes habet Petrus tempore novi noviciatus anni?

Egregie iam de aliquibus quaestionibus hic positis disseruit Adamus Ellis (2) in his *Periodicis*; quia tamen res valde practica est, et Codex hunc transitum in can. 558 supponit quidem sed varios iuridicos effectus nullibi explicite describit, solutionem ad quaestiones propositas vellem in hac ephemeride tradere lectoribus.

Praenotandum vero est, antequam ad solutionem variarum deveniamus quaestionum, cum Codex de transitu de una classe ad alteram eiusdem religionis nullam fere tradat legislationem, in dubiis refugiendum esse ad uberem legislationem in Codice pro transitu ad aliam religionem a canone 632 ad canonem 637 paratam, idque iuxta principium iuris in can. 20 enuntiatum: « Si certa de re desit

(1) Cf. *Periodica* XXVI (1937) p. 33 ss.
(2) Apud *Periodica* XXV (1936) p. 102* ss.

expressum praescriptum legis... norma sumenda est... a legibus latis in similibus ».

A - *Estne hic transitus ad alteram classem eiusdem religionis licitus?*

Suppono rectam et rationabilem esse causam transitus, ne Petrus levitatis, inconstantiae notam incurrere debeat. Fatendum est transitum ad *alium* ordinem vel congregationem fieri non posse, « sine auctoritate Apostolicae Sedis »; ast pro transitu de una ad alteram classem eiusdem instituti nulla requiritur S. Sedis licentia. In antiqua legislatione sine indulto pontificio hic transitus quidem prohibebatur *regularibus*, saltem de statu laicali ad statum clericalem (Clemens VIII *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603) (3) atque Normae S. C. EE. et RR. 28 iun. 1901 in art. 50 pro religiosis *congregationibus* statuebant: « post professionem non datur transitus a prima ad alteram classem, nec viceversa ». Codex vero omnino de ulla licentia debita tacet quamquam antiqua legislatio, si debuisset sustineri, paucis verbis potuisset in can. 558 commemorari; unde iuxta principium canonis 6, 6° legislatio haec olim data « vim omnem amisisse dicenda est » (4). - Ut tamen *clericus minor* per transitum ad classem laicalem regredi possit ad statum laicalem, si adhuc est incardinatus alicui dioecesi, hic Ordinarius loci est praemonendus (c. 211 § 2). Pro *clerico maiori* videtur semper petenda licentia S. Sedis (c. 211 § 1).

Inhabilitas ad studia certo est causa iusta ad excludendum religiosum a votis temporalibus renovandis (c. 575 § 1), immo videtur esse causa gravis ad dimittendum religiosum votis temporariis nondum absolutis (c. 647 § 2, 2° « sive ex parte religiosi ») (5); quare iuxta principium iuris « cui licet quod est plus, licet utique quod est minus » Su-

(3) *Commentarium pro religiosis*, 1922 p. 11 not. (1).
(4) Pejska, *Ius can. relig.* p. 89; Coronata, *Inst. iur. can.* I, n° 584.
(5) Schäfer, *De religiosis*, n° 297 b.

perior ob inhabilitatem ad studia posset religioso votorum temporalium proponere liberam optionem praecipiendo scil. aut dimissionem aut transitum ad classem laicalem (6).

B - *Num requiritur novus noviciatus annus?*

Dicit can. 558: « In religionibus, in quibus duae sunt sodalium classes, noviciatus pro altera classe peractus pro altera non valet ». Quandonam vero habentur duae classes in eodem religioso instituto? Iuxta omnes sine dubio habentur duae classes tam in instituto clericali cum clericis et fratribus laicis, quam in instituto feminarum cum sororibus choro et operibus externis destinatis. Cum pro reliquis casibus canonistae unanimes non sint, dicendum videtur totum a constitutionibus singulorum institutorum dependere, v. g. in congregatione virorum laicorum quorum alii in scholis docent alii manuales praestant labores, vel in congregatione mulierum quarum pars sororum aegrotos curat dum altera pars rerum domasticarum curam gerit (7).

In clericali instituto igitur, qualis est ordo in quo professionem temporalem emisit Petrus, in transitu novus agendus est annus canonicus noviciatus, sive quis ante professionem aut temporalem aut perpetuam transire cupit, sive *post* eam; can. 558 enim nullam affert differentiam inter professos et non-professos, praeterea pro utrisque eadem valet ratio, atque c. 633 § 1 expressis verbis hoc praeceptum pro professis quoque urget in transitu ad diversum institutum religiosum (8). – Neque ulla creatur difficultas pro valore alterius noviciatus ex verbis c. 542. 1°, in quibus dicuntur invalide noviciatum agere, « qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae »; nam c. 542. 1° agit de iis, qui post separationem a suo insti-

(6) Vide *Periodica* XXV (1936) p. 103*.
(7) CREUSEN, *Religieux et Religieuses*, n° 163.
(8) Vide SCHÄFER, *l. c.*, n° 243. 10; CORONATA, *l. c.* n° 584; FANFANI, *De iure religiosorum*, n° 195; *Comment. pro relig.*, 1936 p. 79; THOM. A VILL. GERSTER A ZEIL, *Ius relig.*, p. 94.

tuto cupiunt regredi in idem institutum vel ingredi in aliud, non vero de iis qui transeunt ad alteram classem eiusdem instituti vel instituti diversi (c. 633 § 1) (9). — Novus annus noviciatus requiritur, etiamsi idem magister noviciorum easdem instructiones pro utraque classe tradidisset, immo etiamsi insuper pro noviciis utriusque classis eadem opera exhibenda praescripta fuerint; etenim, ut recte notat VERMEERSCH (10): « ipsa exspectatio futurae condicionis animum quo probationes fiunt vel imponuntur non leviter mutat », atque novicius pro diverso statu futuro eandem instructionem aliter atque aliter applicat. Solummodo in casu exceptionali quo in aliquo religioso instituto novicii, peracto noviciatu canonico pro omnibus simul noviciis, iuxta candidatorum capacitatem ad unam alteramve classem destinantur non vero ante noviciatum, videtur noviciatus pro utraque classe simul peractus, unde novus annus in transitu postea de una classe ad alteram non requiri videtur (11).

Post transitum ad noviciatum alterius classis videtur novicius, sicut S. C. de Relig. (12) respondit pro transitu ad aliam religionem, debere habitum deferre noviciorum alterius classis. — Si novus requiritur noviciatus annus, hoc omisso certo iuxta praeceptum can. 572 § 1, 3° sequens professio esset invalida (13).

C - *Requiruntur sex menses postulatus?*

Fratres laici, ad quos Petrus transit, cum agatur de instituto clericali, certo sunt conversi, atque « conversi, antequam ad noviciatum admittantur, postulatum ad sex saltem integros menses peragant » (c. 539 § 1). Tamen Petrus postulatum non videtur agere debere ante noviciatum pro

(9) Vide *Periodica* XXV (1936) p. 103*, ad II; *Comment. pro relig.*, 1936 p. 72.

(10) *Epit. iur.*, I, n° 710.

(11) Vide CORONATA, *l. c.*, n° 584; *Ep. iur.* I, n° 710; SCHÄFER, *l. c.*, n° 243, 10.

(12) S. C. de Relig., 14 maii 1923 (*AAS* XV p. 156).

(13) *Comment. pro relig.*, 1922 p. 13, 4°.

altera classe laica inchoandum, cum in transitu ad diversum institutum can. 633 § 1 nullam quoque mentionem faciat de postulatu (14), atque noviciatus, iam semel pro classe clericali factus, videatur omnino computari posse pro postulatu ad classem conversorum praescripto.

D - *Num perdurant vota temporalia iam emissa, et quomodo renovari debent?*

Per transitum ad noviciatum alterius classis non cessant vota sive temporalia sive perpetua iam emissa; nullibi enim contrarium in Codice statuitur, atque in transitu ad aliam religionem ipsis verbis dicit can. 633 § 1: « manentibus votis ». — Si vota transeuntis sunt *temporalia*, ut in casu nostro, quando facta *non* sunt ad triennium, infra noviciatum, si anno votorum praeterlapso triennium nondum exspirat, fiat *renovatio* votorum, et quidem, saltem si duplex habetur formula, pro classe *clericali* usque ad finem noviciatus, et, noviciatu absoluto, statim sive ad annum (si per annum durare debent adhuc vota temporalia) sive ad diem professionis perpetuae pro classe *laicali*. Si vero intra noviciatum triennium exspirat, iuxta alios (15) renovatio iterum fiat usque ad finem noviciatus, quia secundum praescriptum canonis 577 § 1 semel professione emissa non potest *religiosus* absque votis manere, dum alii (16) hanc renovationem non exigunt quia transiens est novicius (quamquam olim vota emisit. — Si vota transeuntis sunt *perpetua*, pro una classe facta, statim ac absolutus est noviciatus, fiat perpetua professio pro altera classe (17).

Cum quali *formula* facienda est renovatio? Si duplex habetur formula pro clericis scil. et laicis, Petrus tempore noviciatus renovando utatur, ut supra dixi, formula pro classe clericali, cum valide nequeat profiteri pro classe lai-

(14) Coronata, *l. c.*, nº 637, not. 8.
(15) Coronata, *l. c.*, nº 584; *Comment. pro relig.*, 1922 p. 12, 3º.
(16) Schäfer, *l. c.*, nº 536.
(17) *Epit. iuris*, I, nº 170; Fanfani, *l. c.*, p. 195.

cali nondum transacto toto tempore noviciatus pro hac laicali classe (can. 572 § 1, 3°, coll. can. 558) (18).

E - *Estne agendum novum triennium votorum temporalium?*

Triennali professione, pro clericali classe peracta, iam absoluta, ante professionem perpetuam pro classe laicali non videtur requiri altera triennalis professio, atque in genere tempus in votis temporalibus transactum in priore classe videtur sufficere quoque pro altera classe (19). Can. enim 558 de solo novo noviciatu agit; can. 574 § 1 non videtur huic casui applicandus cum tractare videatur solitum casum quo quis absque transitu post noviciatum professionem emittit; et quamquam can. 634 in transitu ad aliam religionem *solummodo* pro iam *perpetuo* professis in instituto derelicto praetermittit temporariam professionem post novum noviciatum, tamen idem asserendum non est in transitu ad alteram classem eiusdem instituti, cum in transitu ad diversum institutum experimentum triennale non iam factum fuerit in eodem instituto. Potest tamen legitimus Superior, peracta triennali professione, si dubitat de aptitudine subiecti, temporaneam professionem prorogare (can. 574 § 2).

F - *Quale suffragium fertur a Consilio ante professionem perpetuam in altera classe?*

Suffragium Consilii seu Capituli pro professione *perpetua* est *consultivum* tantum (can. 575 § 2); haec legislatio vigorem habet quoque pro casu nostro in transitu scil. ad alteram classem. Commissio Codicis (20) in transitu ad diversum institutum exigit quidem ad professionem perpe-

---

(18) *Comment. pro relig.*, 1922 p. 12.

(19) *Comment. pro relig.*, 1936 p. 80; CORONATA, *l. c.* n° 584; sententiam oppositam tenet SCHÄFER, *l. c.*, n° 536.

(20) *Comm. Cod.*, 14 iul. 1922 VII (*AAS* XIV p. 528).

tuam in novo instituto suffragium *deliberativum*, sed ratio est quod in hoc casu Consilium alterius instituti quoad hunc religiosum numquam votum deliberativum edidit (21); haec ratio autem in transitu ad alteram classem eiusdem instituti non obtinet.

G - *Debetne redire Petrus ad priorem classem si, nondum emissa professione pro altera classe, non perseverat in vocatione ad statum fratris laici?*

Si tempus votorum iam ante transitum factorum est expletum non debet redire ad priorem classem derelictam talis religiosus, sed libere redire potest in saeculum (can. 537); si vero tempus votorum expletum *non* est, videtur religiosus per se, sicut can. 633 § 2 statuit pro transitu ad aliam religionem, debere redire ad priorem classem; neque in hoc casu iterum novus annus noviciatus praescribi debere videtur, cum talis religiosus pro classe ad quam redit, noviciatum iam perfecit. Posset tamen Superior, si professio tantum temporanea facta est, facilius talem religiosum dimittere, et certo in casu nostro, cum Petrus ad studia aptus esse non videtur (can. 647).

H - *Quales obligationes habet Petrus tempore novi noviciatus anni?*

Duplex habetur obligatio, eodem fere modo ac can. 633 § 1 declarat de transitu ad aliam religionem; manentibus votis suspensa manent iura et obligationes particulares prioris classis derelictae, quae cum classe laicali non componuntur, atque Magistro quoque noviciorum parere debet Petrus vi voti obedientiae.

Hub. Beijersbergen, S. J.

(21) *Periodica* XI, p. 169.

MONUMENTA

19 - SS. D. N. Pius Papa XI
Constitutio Apostolica 13 iunii 1936

DE QUATUOR CAPELLANIIS INNOCENTIANIS IN PATRIARCHALI BASILICA VATICANA

(*AAS* XXIX (1937) p. 18 ss.)

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Singulari in Vaticanam Beati Petri Basilicam studio permoti, Romani Pontifices, quo magis in illa, in quam, veluti ad fidei petram et Ecclesiae fundamentum, ex totius orbis regionibus Apostolorum Principis sepulcrum christifideles veneratum adveniunt, divinus cultus adaugeatur, ipsam saeculorum decursu innumeris cumularunt beneficiis. Quae inter iure ac merito adnumerantur quatuor capellaniae, quas cl. m. Innocentius Papa Octavus ad altare Beatae Mariae Virginis in veteri Basilica erigere decreverat, et Alexander Sextus, eius successor, ad omnipotentis Dei et eius Genetricis gloriosae Virginis Mariae laudem et gloriam, Apostolicis sub plumbo Litteris, die decima septima octobris mensis, anno millesimo undequingentesimo datis, canonice instituit. In quibus Apostolicis Litteris Capellanias istas conferendi, quoties illas, etiam apud Sedem Apostolicam, vacare contigerit, Presbyteris Cardi-

nalibus Sancti Marci et Sanctae Praxedis Tituli pro tempore existentibus, et, si illi ambo a Romana Curia absentes fuerint, Presbytero Cardinali Tituli Sanctae Caeciliae, qui pro tempore fuerit, plenum ius concessit. Ita res usque adhuc sese habuerunt. Nunc vero, quum dilectus Filius Noster Raphaël Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis Rossi, qui Sanctae Praxedis Titulum nunc obtinet, suum Nobis votum porrexerit, ut in posterum illarum Capellaniarum collatio ad Iuris Canonici normam fiat; quum insuper hodierni earumdem Capellaniarum Capellani preces Nobis obtulerint ut, attentis potissimum praesentis temporis adiunctis et Capellaniarum reddituum imminutione, eorum onera quoque in posterum imminuantur, simulque honores et privilegia, quibus ipsi hucusque fruiti sunt, a Nobis confirmentur, et ceteris in Apostolicis quas supra memoravimus Litteris decretis derogetur, Nos, collatis cum dilecto Filio Nostro Eugenio S. R. E. Presbytero Cardinale Pacelli, Petrianae Basilicae Archipresbytero, consiliis, qui Nobis retulit quod praefatae Raphaëlis Caroli Cardinalis Rossi sententiae, venerabilis quoque libentissime accessit Frater Noster Elias S. R. E. Presbyter Cardinalis Dalla Costa, Tituli S. Marci, Archiepiscopus Florentinus, et vacante in praesentiarum Sanctae Caeciliae Titulo, omnibus mature perpensis, certa scientia, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumat consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum, quibusdam in praefatis Litteris Alexandri Papae Sexti, Praedecessoris Nostri, dispositionibus derogantes, haec quae sequuntur decernimus atque statuimus: I° Capellaniarum in Vaticana Basilica, quae *Innocentianae* nuncupantur, collatio et canonica institutio hinc deinceps fiat ad tramitem et normam iuris communis; II° Ex quatuor Capellanis vicenas quisque Missas quotannis celebrabit ad animarum expiationem tum Pontificis Capellaniarum Fundatoris eiusque progenitorum, tum praefatorum Cardinalium Tituli S. Praxedis, S. Marci et S. Caeciliae; III° Sin-

guli Capellani, singulis diebus festis de praecepto per annum, Missis et Vesperis, quae in Choro praefatae Basilicae per illius Canonicos et alios Beneficiatos et Clericos alta voce, in cantu celebrantur, interesse debent; item ad Matutinum Pontificale in festo S. Petri, Principis Apostolorum, in obsequium sanctae sollemnitatis; nec non in festo Natalis D. N. I. C. ad Matutinum, primam Missam, Laudes et tertiam Missam; ad Matutinum Tenebrarum, Missam et Vesperas feria quinta, sexta et sabbato sancto maioris hebdomadae, atque ad Missam solemnem in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum et in die anniversaria Innocentii Papae Octavi depositionis, quae vicesima sexta iulii mensis die, Capellanorum Collegii cura, omnibus Canonicis, Beneficiatis et Clericis intervenientibus, quotannis celebranda est; IV° Insuper singuli Capellani interesse debent Processionibus, quae in Basilica fieri solent prima quaque cuiusvis mensis dominica, in Litaniis Maioribus in festo S. Marci, in feriis quinta ac sexta maioris hebdomadae et in die sollemni Paschae ante vesperas, in Corporis Domini sollemnitate eiusque die octava, nec non in quavis processione cuncto clero romano indicta; V° Capellani, qui aut supra memorato Missarum celebrationis oneri sibi imposito satisfacere neglexerint, aut praefatis Missis Cantatis, Matutinis, Vesperis et Processionibus non interfuerint, nisi legitima causa, quemadmodum ceteri chorales, excusentur, mulctari et punctari debent; venerabili autem Fratri Roberto Vicentini, Patriarchae Antiocheno Latinorum et Vaticanae Basilicae Cardinalis Archipresbyteri Vicario, per praesentes easdem Litteras committimus, ut peculiari decreto cuiusvis illegitimae absentiae mulctam seu punctaturam ipse statuat, negligentibus omnino solvendam; VI° Indulgemus insuper ut quilibet Capellanus a choro quotannis abesse queat quindecim tantum dies, sive continuos sive intermissos, exceptis tamen diebus Nativitatis D. N. I. C., tribus ultimis maioris habdomadae diebus, necnon Paschatis et Corporis Domini et SS. Petri et Pauli sollemnitatibus;

VII° Capellaniarum autem bona omnia et redditus, quorum capita seu tituli apud Capitulum asservantur, ab eodem Capitulo deinceps administrentur; VIII° Confirmamus denique quod per Apostolicas, quas supra diximus, Litteras Alexandri Papae Sexti sancitum est, videlicet quod ipsi quatuor Capellani omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, indultis, concessionibus, gratiis et immunitatibus, quibus alii Beneficiati ratione suorum beneficiorum, quae in eadem Basilica pro tempore obtinent, utuntur, potiuntur et gaudent, absque tamen eorum praeiudicio, uti, potiri et gaudere libere et licite possint et debeant, subiicianturque et subsint ratione dictarum Capellaniarum iurisdictioni Vicarii dictae Basilicae pro tempore exsistentis in spiritualibus Generalis, quemadmodum Beneficiati praedicti ratione suorum beneficiorum subiiciuntur et subsunt. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda dilectum quem supra memoravimus Filium Nostrum Patriarchalis Basilicae Vaticanae Archipresbyterum deligimus, eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, virum in ecclesiastica dignitate constitutum eique onus imponimus peractae exsecutionis acta ad eiusdem Basilicae archivum transmittendi, ut ibi religiose asserventur. Praesentes autem Litterae et in eis contenta quaecumque rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris haberetur si exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam derogationis, constitutionis, statuti, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat; si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo sexto, die tertiadecima mensis iunii, Pontificatus Nostri anno quintodecimo.

Fr. Th. Pius, O. P., Card. Boggiani
Cancellarius S. R. E.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apost.*
Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus*

20 - SS. D. N. Pius Papa XI
Motu Proprio 28 octobris 1936

DE PONTIFICIA ACADEMIA SCIENTIARUM

(*AAS* XXVIII (1936) p. 421 ss.)

PIUS PP. XI

In multis solaciis, quibus Dei benignitas Pontificatus Nostri cursum prosecuta est, illud etiam adnumerare libet, Nos videlicet eorum cernere potuisse non paucos, qui naturae secreta experiundo rimantur, mentium habitum propensionemque, ad religionem quod attinet, ita immutasse, ut animos alio iam intendisse videantur. Scientia, quae vera rerum cognitio sit, numquam christianae fidei veritatibus repugnat; immo etiam — ut qui scientiarum annales pervolutaverit, non fateri non poterit — quemadmodum Romani Pontifices unaque simul Ecclesia nullo non tempore doctorum hominum vestigationes, iis etiam in rebus quae experimentis cognoscuntur, provehendas curarunt, ita vicissim eiusmodi disciplinae ad tutandum caelestis veritatis thesaurum, eidem Ecclesiae creditum, viam munierunt. Quapropter, ut Vaticanum Concilium sollemniter docuit, « non solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustra-

ta rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat » (1). Utique, proh dolor, per proxime revoluta tempora, eruditi homines interdum, qui paternam antea avitae religionis domum incoluerant, eam miserrime — quamvis reapse non addiscendae veritatis causa — « prodigi filii » instar deseruerunt; atque etiam, superiore praesertim saeculo, humanae scientiae divinaeque revelationis vias rationesque sibi invicem adversari commenticio quodam modo ausuque temerario asseveratum est. Attamen praeiudicatae istiusmodi opiniones — quod quidem haud mediocri cum animi solacio fateri licet — iam ita obsoleverunt, ut nemo fere inveniatur unus, qui digne pervestigando in physicarum rerum inquisitionem incumbat, huiusque erroris adsertor ac vindex evadat.

Quin immo nolumus heic silentio praetermittere scientiarum cultores non paucos per Pontificatus Nostri decursum — quos inter non deerant, qui et summi in sua cuiusque disciplina haberentur, et maximis honoribus dignati essent — cum e longinquis etiam variisque nationibus peregre Romam petiissent, Conventus ad optima promovenda studia celebraturi, ad Nos coram adiisse, ut sua humanitatis officia Nobismet ipsis, vel illi potius auctoritati venerabundi deferrent, quam Apostolica haec Sedes per immerentem quoque Beati Petri Successorem perpetuo obtinet. Contigit etiam ut horum in numero nonnulli essent, qui, tametsi pretiosissimum catholicae fidei munus non adepti, consentaneum tamen ducerent hanc, quae Nostra est, veritatis Cathedram prona fronte vereri. Nec defuerunt qui, cum ad Nos suo suorumque nomine verba facerent, iure optimo edicere non dubitarent rerum omnium scientiam ad christianam fidem viam sternere ac communire; quod profecto magnum paterno animo Nostro gaudium indidit.

Quibus positis propitiis rerum temporumque adiunctis,

(1) Sess. III, cap. IV.

« Pontificiam Academiam Scientiarum » ad nova potiunda incrementa promovere opportunum esse autumavimus.

Quattuor iuvenes, ut omnes norunt, in quibus Fridericus Cesi, die XVII mensis augusti, anno MDCIII, hac in alma Urbe « Lynceorum philosophorum Ordinem, seu Consessum, seu Academiam » condiderunt. Cuius quidem Fridericus Cesi, princeps delectus, per « Lynceographum » hoc esse Instituti propositum edixit ac definivit, nempe « rerum cognitionem et sapientiam non solum acquirere, recte pieque simul vivendo, sed et hominibus voce et scriptis absque ullius noxa pacifice pandere ». Varias deinceps hic doctorum virorum coetus, decursu aetatis, fortunae vices cepit: non semel ex antiquo splendore decidit, itemque non semel fuit ad pristinum decus restitutus; usque dum anno MDCCCXLVII decessor Noster im. r. Pius IX, nova instauratione peracta, non iam a privatis scientiarum cultoribus, sed a Romano ipso Pontifice et a publica eius auctoritate illum pendere decrevit. Quo ex tempore institutum idem « Pontificia Academia Novorum Lynceorum » cognominatum est, idque sibi proposuit ut graviorum disciplinarum studia eorumque incrementa, data a sodalibus sollerter opera, promoveret. Ac mox alius decessor Noster s. m. Leo XIII, anno MDCCCLXXXVII, novas statuit normas, quibus huius coetus momentum gravitatemque foveret; idque per amantissimas litteras ad Venerabilem Fratrem Aloisium S. R. E. Card. Oreglia, Episcopum Praenestinum, eumdemque Academiae Patronum; in quibus haec, inter alia, scripsit: « Multa commendatione dignam censuimus et ab exordiis Pontificatus Nostri praecipua benignitate complexi sumus Pontificiam Academiam Novorum Lynceorum, cuius observantia et fides, tempore etiam difficili, se Nobis probavit ».

Iamvero Nos, cui quidem felices humanarum scientiarum processus tantopere cordi sunt, quique Apostolicae Sedis ac Vaticanae huius a Nobis constitutae Civitatis ornamenta ac decora in oculis ferimus, postquam Academiae

huic Nostrae et opportunas opes ad sua incepta assequenda, et dignam sedem memoriisque insignem attribuimus, consentaneum omnino existimavimus eam prope funditus instaurare; idque hoc die facere libuit, quo die, ante annos XVII, summum a Deo accepimus beneficium, cum episcopali dignitate insigniti fuimus.

Hoc igitur consilio ducti, Nos, de Nostrae plenitudine potestatis, motu proprio, ac matura deliberatione Nostra, hoc studiorum domicilium ad novas normas redactum restauramus, idemque « Pontificiam Academiam Scientiarum » constituimus ac declaramus; itidemque Statuta, heic adiecta, eidem propria promulgamus, quibus in posterum et coetus ipse regatur, et quibus ii omnes, quorum res est, obtemperent, obtemperationemque haberi iubeant.

Ut vero iam nunc huic Instituto dignitatem esse testemur excelso suo muneri parem, septuaginta illos egregios viros, qui Pontificiam Academiam efficiant, quique idcirco « Academici Pontificii » nuncupentur, Nosmet ipsi — et hac prima vice non modo auctoritate Nostra, sed directo etiam Nostraque sponte — nominamus. Ex variis nempe scientiarum cultoribus, qui satius singulis nationibus honori sint, summa equidem cura eos delegimus. Ad quem quidem faciendum delectum, ut laborum potissimum operumque gravitate ducti fuimus, quae in scientiarum emolumentum unusquisque pro suo parte contulisset, ita nominis etiam Nos moverunt laudes, quibus, omnium consensu ac plausu, in doctorum virorum ordine iidem fruerentur. Ab eis itaque Apostolica haec Sedes id auxilii ac decoris exspectat ac praestolatur, cuius hic veluti doctorum hominum Senatus, seu « Scientificus » Senatus, certum portendit auspicium. Neque idcirco nimii videamur, quod hunc optimarum disciplinarum coetum quasi Apostolicae Sedis in scientiarum provincia Senatum nuncupaverimus; quidquid enim honoris a doctrinae cultoribus caelesti Numini tribuitur, id procul dubio, ut debitum humanae ra-

tionis obsequium Summae Veritati testatur, ita nobilem prae primis procreatori Deo observantiam praestat.

Nobis autem in votis exspectationeque est, fore ut Pontificii Academici, vel per hoc Nostrum suumque studiorum Institutum, ad scientiarum progressionem fovendam amplius excelsiusque procedant; ac nihil praeterea aliud petimus, quandoquidem hoc eximio proposito praeclaroque labore famulatus ille nititur servientium veritati, quem ab iisdem postulamus.

Qui vero in Academiae coetum, a Nobis in praesens restauratae, iam adlecti fuerunt, quique superioribus annis ad illius incrementa sedulo contulerunt, eis, grati Nostri animi causa, libenter damus ut, quoad huius vitae usura fruentur, quemadmodum antea ita et in posterum, Institutum hoc Nostrum vel qua honorarii, vel qua ordinarii, vel qua « correspondentes », ut aiunt, Socii participent; atque adeo honoribus potiantur, quos per Statuta a Nobis promulgata iisdem dilargiti sumus.

Atque interea Pontificiis Academicis cunctisque Sociis, iisque omnibus, qui suam Academiae huic praebebunt operam, caelestia munera, ad labores cuiusque suos feliciter insumendos, impense a Deo precamur; quorum quidem munerum conciliatrix esto Apostolica Benedictio, quam tum iisdem singulis universis impertimus, tum in primis eorum Praesidi, dilecto nempe filio Augustino Gemelli O. F. M., ut divino fretus auxilio datas heic a Nobis normas ad rem deducere auspicato valeat.

Quaecumque vero a Nobis, hisce litteris motu proprio datis, statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis octobris anno MDCCCXXXVI, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XI

STATUTA
PONTIFICIAE ACADEMIAE SCIENTIARUM

Titulus I
Constitutio et finis

Art. I

Pontificia Academia Scientiarum hoc sibi assequendum proponit ut scientiarum physicarum, mathematicarum, naturalium studia, profectus historiamque foveat.

Art. II

Academia autem, ut quod sibi proponit attingat:

a - excutit et disputat potissimas quaestiones ad scientias physicas, mathematicas, naturales spectantes ope Dissertationum, Notarum et Commentationum;

b - ipsamet studet scientificis inquisitionibus et investigationibus perficiendis, aut Institutis vel privatis hominibus opitulatur, ut eisdem incumbant;

c - operam da scriptis de rebus scientificis edendis;

d - parat conferentias, congressus, celebrationes.

Titulus II
Ordinatio

§ 1 - *Academicorum ordo*

Art. III

Ad Academiam pertinent septuaginta « Pontificii Academici », quos ipsemet Romanus Pontifex deligit.

Ipso iure pro munere « Pontificii Academici supranumerarii » sunt:

a - Rector Speculae Astronomicae Vaticanae,

b - Praefectus Laboratorii Astrophysici Speculae Vaticanae,

c - Praefectus Bibliothecae Apostolicae Vaticanae,

d - Praefectus Tabularii Vaticani,

e - Rector Scientificus Musei Missionalis ethnologi.

Hi ad Academiam pertinebunt, usque dum memorata munera servarint.

Extra ordinem iis annumerari queunt « Pontificii Academici honorarii », quo titulo ii decorantur qui de Academia deque eius inceptis scientificis beneficiorum largitate praeclare meriti sunt.

Art. IV

Academiae Praeses Summo Pontifici eorum nomina praefert, ut Academicorum titulo honestentur, qui initis in Academia suffragiis ad normam art. XXIII favorabilis sententiae iudicium nacti sint.

Praeses autem hac de forma discedere potest, si quem Pontificis Maximi delectui proponat doctrinae fama insigniter clarum.

Academici ad vitae tempus manent, nisi de iis agatur, qui ad Academiam ex ipso suo munere pertinent.

Art. V

Academici intersunt sessionibus atque ibidem exhibent Dissertationes, Notas et Commentationes; disceptant et suffragia ferunt; ius habent candidatorum nomina profitendi, nova investigationum argumenta proferendi, Bibliotheca ad praescriptas normas utendi.

Academici non residentes rogari possunt, ut scripto qualibet de re sententiam aperiant vel in enucleandis quaestionibus auxilia ferant, ubi eorum scientia praepolleat.

Omnes excipiunt Acta academica et Commentationes de quibus in art. XXVIII.

Art. VI

Academici in singulis Academiae sessionibus et in publicis celebrationibus gestare possunt numisma, quod in adversa parte tiaram et claves verbis « Deus scientiarum Dominus » circumdatum habet, in memoriam scilicet Pii XI Pont. Max. ecclesiasticorum studiorum et ipsius Academiae Restitutoris; atque in aversa parte insculptum portat proprium Academici nomen olea lauroque redimitum.

Academici possunt consuete insigne gestare, quod minutam breviatamque adversam numismatis partem referat.

Iidem, cum habentur Capellae Pontificiae et peraguntur sollemnia, ubi ipse Pontifex Maximus interest, praefinitum in ecclesia locum tenent.

Pontificiorum Museorum et Pinacothecarum iisdem liber aditus patet.

§ 2 - *Academica munera*

Art. VII

Academiae Summus Pontifex ipse tutelam exercet.

Eandem moderantur et regunt:

1° Praeses,
2° Consilium Academicum,
3° Ab actis,
4° Praepositus rei nummariae,
5° Bibliothecarius,
6° Censores,
7° Probatores impensarum redituumque.

Art. VIII

Praeses creatur *motu proprio* a Summo Pontifice, a quo immediate pendet.

Munus tuetur quattuor annos, quibus exactis, confirmari potest ab eodem Summo Pontifice.

Praeses:

a - Academiam repraesentat;

b - summam Instituti rerum gerit;

c - convocat Consilium Academiae necnon sessiones, iisdemque praeest;

d - a Consilio statuta exsequitur.

Si Praeses absit, potest aliquod Consilii membrum designare, ut suam vicem supplens sessionibus praesit, itemque Academicum quemlibet pro Consiliario impedito substituere. Valet etiam, si id opportunum aestimaverit, unum aut plures Academicos legare ad Academiae personam alicubi gerendam.

Art. IX

Consilium Academiae efformant:

Praeses pro tempore,

Praeses postremus, absoluto munere,

quinque Academici.

Academici Consilio cooptandi, latis a ceteris sociis favorabiliter suffragiis, a Summo Pontifice nominantur rogatu Praesidis.

Non possunt eligi nisi Academici residentes aut quasi residentes. In munere perstant quattuor annos, quo exacto temporis spatio iterum eligi valent.

Ex iis quibus Consilium coalescit, designantur Ab actis, rei nummariae Praepositus, Bibliothecarius, duo Censores.

Consilium Academiae:

a - adiutricem operam navat Praesidi in Academia moderanda;

b - in sessionibus pertractanda parat et componit calendarium academicum;

c - Instituti patrimonium curat itemque administrationem gerit;

d - deliberat de ponendorum sumptuum redituumque aestimatione eorumque redditis rationibus, quae om-

nia praevie rei nummariae Praepositus apparat, eademque sollemni sessioni probanda subicit.

Deliberata vigent, si pleraque Consilii membra adfuerint et in eandem sententiam convenerint.

In paribus utrimque suffragiis Praesidis sententia praeponderat.

Consilium cogitur alternis mensibus et praeter ordinem, si necessitas impellat aut duo eius membra id petierint.

Art. X

Academicus Ab actis:

a - Academicorum elenchum digerit et servat ad Praesidis mandatum;

b - Ab actis est in Academiae Consilio;

c - Secretariae officiis in negotiis expediendis praeest.

Quodsi absit aut utcumque impediatur, Praeses quempiam Consilio cooptatum designat, ut eius vices gerat.

Art. XI

Rei nummariae Praepositus:

a - curat congruam rei oeconomicae administrationem et impensarum redituumque libros;

b - tuetur supellectilem Instituti, sive quae ad domum sive quae ad scientiam pertinet;

c - digerit ponendorum sumptuum redituumque aestimationem, eorumque redditas rationes;

d - proventus exigit atque, cum suscepit perscriptionem Praesidis, ab Academico Ab actis ipso quoque subscriptam, pecunias solvit;

e - temperat cuncta quae ad arcam nummariam attinent et ad rei oeconomicae dispensationem.

Art. XII

Bibliothecarius:

a - Bibliothecae praeficitur:

b - vigilat ut Bibliothecae praescripta et normae serventur.

Art. XIII

Censores sub moderamine Praesidis:

a - cavent, ut cuncta in Academia ordinatim fluant;

b - prospiciunt Statutis atque Ordinationibus diligenter tuendis;

c - de Academicis adsciscendis praesentationes examinant et Consilio referunt.

Art. XIV

Academici impensarum redituumque probatores ab Academiae sociis deliguntur ex iis, qui nullam in Consilio partem habeant.

Biennii spatio in munere persistunt et iterum eligi possunt.

Ii invigilant, ut rei oeconomicae administratio rite fiat et impensarum redituumque libri rite serventur; speculantur ponendorum sumptuum redituumque aestimationem eorumque redditas rationes, et impensas confirmant et Academiae referunt.

§ 3 - *Opes*

Art. XV

Opes, quae Academiae praesto sunt, ut quod sibi proposuit assequi valeat, sunt:

a - dos a Pio XI Summo Pontifice tributa, cuius gestionem Administratio bonorum Apostolicae Sedis curat;

b - Instituti supellex, necnon instrumenta quae ad scientiam pertinent et libri;

c - munera et legata;

d - reditus, qui ex opera Instituti proveniunt.

Quotannis quinque centenae de reditibus excipiuntur, ut stabilis pecuniae provisus coacervetur.

Titulus III
ACTIONIS RATIO

§ 1 - *Annus academicus et calendarium*

Art. XVI

Annus academicus init Calendis Novembris et desinit die xxxi mensis iulii.

1° caerimonia in Sacello Paulino, ut Deo agantur grates Eiusque benedictio in Academiae labores petatur, pro Ecclesia et Summo Pontifice preces fundantur, pro Academicis vita functis piae supplicationes adhibeantur;

2° sollemni quadam sessione, ad quam ipse Summus Pontifex invitatur. Praeses superioris anni labores summatim breviterque illustrat ac novos inito anno obeundos delineat.

Art. XVII

In postrema Sessione anni academici Praeses calendarium venturi anni Academiae probandum producit. Hoc in Calendario, a Consilio confecto, dies sessionum, quae fixo certoque ordine fiunt, notantur.

§ 2 - *Sessiones Academiae*

Art. XVIII

Sessiones Academiae sunt ordinariae et extraordinariae, secretae et publicae.

Academia convenit in sessiones ordinarias diebus, qui in Calendario Academico constituti sunt.

Sessiones extraordinariae indicentur a Praeside, cum id necessarium aestimaverit.

Art. XIX

In Sessionibus publicis:

a - Academicorum nova nomina et dignitates renuntiantur;

b - exhibentur Dissertationes, Notae, Commentationes scripta typis edita;

c - concursuum exitus proclamantur et victa praemia destinantur.

Academici, qui loci intervallo aut impedimento quovis prohibentur, quominus Sessionibus publicis intersint possunt alium Academicum designare, qui pro se Dissertationes legat, deferat Notas vel Commentationes vel scripta typis mandata. Quodsi haec designatio facta non sit, consulat Praeses.

Academici possunt producere Dissertationes, Notas et Commentationes etiam eorum, qui Academiae extranei sunt, si haec memoratu digna esse videantur.

Academici Dissertationes, Notas, Commentationes possunt proprio sermone exarare, epitome tamen adiecta latine conficienda.

Art. XX

In Sessionibus secretis:

a - negotia expediuntur sueta et extraordinaria;

b - adprobantur ponendorum sumptuum reddituumque aestimatio eorumque redditae rationes necnon impensae;

c - examinatur et decernitur quidquid ad intimam Academiae vitam spectat;

d - tempora et argumenta harum sessionum a Praeside praefiniuntur.

Art. XXI

De rebus deliberandis suffragia feruntur in Sessionibus secretis postquam libera disceptatio habita est. Praeponderat sententia, quae maiorem suffragiorum partem assecuta est; quo autem victricia contingant suffragia, in primo scrutinio minus decem, et in secundo minus quinque esse non debent. Suffragiorum latio a Praeside proponitur; qui huiusmodi optatum respuere non potest in negotiis ordinariis, si tertia adstantium pars expostularit; differre ta-

men potest in rebus gravis momenti, de quibus opportunum censuerit Summae Auctoritatis exquiri sententiam.

In paribus utrimque suffragiis Praesidis sententia preponderat.

Suffragiorum latio secrete facienda, praescribitur, quoties deliberanda tangunt personas, dignitates, officiales, concursus aut id a tertia adstantium parte postulatur.

Art. XXII

Cum Academicis residentibus ordo argumentorum in Sessionibus pertractandorum tempestive communicandus est. Ii tenentur sessionibus interesse et nomen scribunt in pagella quadam, quae singulorum interventum ostendit.

Academici residentes, qui triennii spatio a sessionibus absint, si nullam excusationem attulerint, Academicorum dignitatem abnuere reputantur.

Art. XXIII

Ad novos Academicos nominandos, ita suffragia fiant:

Exactis duobus vacationis mensibus, eligendorum Academicorum praesentationes, quarum unaquaeque a duobus Academicis obsignatur, in epistola involucro clausa Praesidi afferuntur. Singulae habent expositionem, quae curriculum vitae et in disciplinis excolendis operositatem candidati demonstrat.

Praeses submittit eligendorum Academicorum praesentationes cum memoratis expositionibus antea censoribus ac deinde Consilio Academico. Consilium autem, iis perlectis, relationem conficit, quae cum omnibus Academicis communicari debet. Eligendorum Academicorum praesentationes quae a Consilio nec respuuntur, nec procrastinantur, Academiae in sessione itidem secreta non antea ineunda, quam mensis spatium defluxerit, suffragii tentamina sumunt.

Academici vero, qui longinquitatis causa interesse non valent, scripto suffragium mittere possunt.

Generatim pro quolibet Academicorum loco vacante tres viri suffragiis subeundis proponuntur, delecti ex eiusdem disciplinae cultoribus.

Quod si sententiae non convenerint, designatio committitur ad diem a Praeside statuendam.

Art. XXIV

Peculiares Ordinationes promulgabuntur ad interiorem Academiae vitam regendam.

§ 3 - *Scientificae investigationes, operositatis incitamenta, compensationes*

Art. XXV

Academia potest praemia ponere, concursus promovere, ex ipsis Academicis comitatus conventusque instituere ad peculiares scientificas investigationes.

Ea potest etiam labores et indagationes scientificas aggredi et fovere.

Art. XXVI

Academia potest conferre suis ipsis Academicis aut extraneis praemia, subsidia, honoraria, numismata.

Numerus, mensura, diuturnitas, modus harum tribuendarum rerum statuuntur ab Ordinationibus ad interiorem Academiae vitam regendam.

Academici nequeunt adire concursus, qui ab Academia indicuntur.

Art. XXVII

Academicis conferuntur honoraria pro praesentia et indemnitates, propterea quod Academiae vitam participant. Peculiares compensationes tribuuntur iis, qui singularia munera obierint.

Academicis Ab actis et Bibliothecario quotannis certa remuneratio tribuitur.

Qua ratione honoraria, compensationes, indemnitates solvenda sint, Ordinationes ad interiorem Academiae vitam regendam definiunt.

§ 4 - *Scripta typis edenda*

Art. XXVIII

Academia typis edit *Acta* et *Commentationes*.

Acta evulgantur per fasciculos. Quibus autem interstitiis ii quotannis prodire debeant, Ordinationes ad interiorem Academiae vitam regendam praefiniunt. Acta autem referunt in sessionibus publicis disceptata, Dissertationes, Notas, elenchum voluminum quae dono data sunt, ac nuntios de Academiae vita.

Commentationes non praefinitis intervallis typis mandandae, continent scripta ad disciplinas spectantia, gravis quidem momenti, quae Academia edenda suscepit, necnon opera praemio coronata.

Art. XXIX

Academia praeterea de sua operositate refert ope *Annuarii* et *Nuntii radiophonici*.

Art. XXX

Academia, rogantibus Academicis in sessione secreta, potest sibi adsumere scripta typis edenda aut opitulari, ut haec ab aliis evulgentur, sive periodica sunt sive non sunt, dummodo eius finibus haec consona et attemperata esse videantur.

Titulus IV

PRAESCRIPTA POSTREMA ET TRANSITORIA

Art. XXXI

Academiae est Cancellaria, ad quam pertinent Secretaria, ministeria dispensationis oeconomicae et arcae nummariae.

Cancellariae praeficitur Cancellarius, a quo pendent omnes in Academiae officiis cuiuslibet ordinis muneribus fungentes.

Condicio iuridica et retributio cuiuslibet ordinis muneribus fungentium et Cancellariae leges ab Ordinationibus ad interiorem Academiae vitam regendam definiuntur.

Art. XXXII

Si Statutorum commata immutanda videantur, Academia, in sessione secreta, potest de hac opportunitate disceptare et vota conficere a Summo Pontifice probanda; eademque suo arbitrio nihil his legibus immutet.

Art. XXXIII

Ordinationes ad interiorem Academiae vitam regendam praeter normas his Statutis relatas alias quoque continent adiciendas, ut Academiae compositio et agendi ratio particulatim decernantur.

Hae Ordinationes peculiares praescriptiones etiam continent, quae ad Bibliothecam spectant.

Eaedem manant a Praeside, audito Academico Consilio.

Art. XXXIV

Socii Pontificiae Academiae Novorum Lynceorum, honorarii, ordinarii aut correspondentes, nisi nominentur Pontificii Academici, eundem retinent honoris gradum, scilicet honorariorum, ordinariorum vel correspondentium. Iidem excipient *Acta* et *Commentationes*. Privilegiis de quibus sermo est in alineis III et IV, art. VI horum Statutorum fruentur. Academiae Dissertationes legere et ad eam Notas et Commentationes mittere poterunt. Pariter concursus ab Academia cum praemiis institutos participare iisdem licet.

Sequitur deinde versio Statutorum in linguam italicam; AAS, l. c., p. 437-446; *necnon elenchus membrorum Academiae Pontificiae, quem elenchum ita summatim reddimus*:

ELENCHUS ACADEMICORUM

I - Academici Pontificii Honorarii

E.mus et Rev.mus D. Cardinalis Caietanus Bisleti — E.mus et Rev.mus D. Cardinalis Eugenius Pacelli — E.mus et Rev.mus D. Cardinalis Franciscus Marchetti Selvaggiani — A. E.ma Princeps Chigi Albani della Rovere D. Ludovicus — Prof. Doct. Petrus De Sanctis.

II - Academici Pontificii

Aemilius Abderhalden (Halle a. Saale, Germania) — Hugo Amaldi (Roma, Italia) — Iosephus Armellini (Roma, Italia) — Carolus Barrois (Lille, Gallia) — Aemilius Bianchi (Milano, Italia) — Georgius D. Birkoff (Cambridge, Mass., S. F. A.) — V. E. K. Bjerknes (Oslo, Norvegia) — Niels Bohr (Dania) — Marcellus Boldrini (Milano, Italia) — Philippus Bottazzi (Napoli, Italia) — Eduardus Branly (Paris, Gallia) — F. I. J. Buytendijk (Groningen, Hollandia) — Constantinus Caratheodory (München, Germania) — Alessius Carrel (New York, S. F. A.) — Aldus Castellani (Roma, Italia) — Gustavus Colonnetti (Torino, Italia) — Caietanus Arthurus Crocco (Roma, Italia) — Lucianus Cuenot (Nancy, Gallia) — Georgius Dal Piaz (Padova, Italia) — Petrus Debye (Berlin-Dahlem, Germania) — Philippus De Filippi (Roma, Italia) — Carolus de la Vallée Poussin (Leuven, Belgio) — Petrus Fauvel (Angers, Gallia) — Augustinus Gemelli, O. F. M. (Milano, Italia) — Ernestus Gherzi, S. J. (Zi-ka-wei, Shanghai, Sinis) — Alexander Ghigi (Bologna, Italia) — Gustavus Gilson (Leuven, Belgio) — Franciscus Giordani (Napoli, Italia) — Ioannes Giorgi (Roma, Italia) — Aemilius Godlewski (Krakow, Polonia) — Iosephus Gola (Padova, Italia) — Victorius Gregoire (Leuven, Belgio) — Camillus Guidi (Torino, Italia) — Paulus Guthnick (Ber-

lin-Neubabelsberg, Germania) — Bernardus Houssay (Buenos Aires, Argentina) — Guilelmus H. Keesom (Leiden, Hollandia) — Georgius Lemaitre (Leuven, Belgio) — Iosephus Lepri (Roma, Italia) — Tullius Levi Civita (Roma, Italia) — Luigi Lombardi (Roma, Italia) — Paulus Luigioni (Roma, Italia) — Gulielmus Marconi (Roma, Italia) — Augustus Mendes Correa (Porto, Lusitania) — Albertus Michotte van den Berch (Leuven, Belgio) — Robertus Andreas Millikan (Pasadena, Calif., S. F. A.) — Thomas H. Morgan (Pasadena, Calif., S. F. A.) — Umbertus Nobile (Napoli, Italia) — A. K. M. Noyons (Utrecht, Hollandia) — Modestus Panetti (Torino, Italia) — Nicolaus Parravano (Roma, Italia) — Antonius Pensa (Pavia, Italia) — Ernestus Felix Petritsch (Wien, Austria) — Aemilius Picard (Paris, Gallia) — Henricus Pistolesi (Pisa, Italia) — Max Planck (Berlin, Germania) — Francus Rasetti (Roma, Italia) — Petrus Rondoni (Milano, Italia) — Lord E. Rutherford of Nelson (Cambridge, Britannia) — Erwin Schrödinger (Graz, Austria) — Carolus Sherrington (Oxford, Britannia) — Philippus Silvestri (Portici, Italia) — Georgius Speri Sperti (Cincinnati, Ohio, S. F. A.) — Hugh Stott Taylor (Princeton, N. J., S. F. A.) — Renatus Toniolo (Bologna, Italia) — Armin Tschermak-Seysenegg (Prag, Czecoslovachia) — Ioannes-Carolus Vallauri (Torino, Italia) — Franciscus Vercelli (Trieste, Italia) — Vitus Volterra (Roma, Italia) — Edmundus Whittaker (Edinburgh, Britannia) — Petrus Zeeman (Amsterdam, Hollandia).

III - Academici Pontificii supranumerarii

Anselmus Albareda, O. S. B. — Aloysius Gatterer, S. J. — Angelus Mercati — Gulielmus Schmidt, S. V. D. — Ioannes Stein, S. J.

CONSILIUM ACADEMICUM

Augustinus Gemelli, O. F. M., Praeses — Iosephus Armellini, Secretarius — Iosephus Lepri, Praepositus rei nummariae — Anselmus Albareda, O. S. B., Bibliothecarius — Aemilius Bianchi, Censor — Philippus Bottazzi, Censor.

Annotationes

Prima « Lynceorum philosophorum Academia » condita est Romae die 17 augusti anni 1603 a quatuor iuvenibus: Frederico Cesio, Ioanne Heckio, Francisco Stelluto, Anastasio de Filiis. Cesius, Marchio Montecelii, Frederici ducis Acquaspartensis filius, annos 18 natus, praeses fuit electus. Academiae insigne erat Lynx cum inscriptione: « Sagacius ista ». Scopus in « Lynceographo, quo norma studiosae vitae Lynceorum Philosophorum exponitur » his verbis exprimitur: « Lynceorum Philosophorum Ordo, seu consessus, vel Academia studiorum classis est seu collegium, quod, normis quibusdam aptis, commodisque sibi propositis, mutuis amiceque iunctis consiliis, scientiis minus excultis serio et diligenter dat operam. Finis eius est rerum cognitionem et sapientiam non solum acquirere recte pieque simul vivendo sed et hominibus voce et scriptis, absque ullius noxa, pacifice pandere ». Vix nata Academia renitente Cesiorum familia, per annos quatuor ad inertiam damnata fuit. Anno 1611 Galilaeus ille famosus nomen dedit Academiae, sub cuius auspiciis prelo data sunt eius epistolae circa maculas solares et opus cui titulus: « il Saggiatore ». Cesius propriis sumptibus editionem operum providebat. Bona fama floruit Academia usque ad mortem Cesii (1630); dein propter temporum nequitiam et rerum penuriam paulatim elanguit. Ad brevem vitam resurrexit anno 1744 in civitate Rimini auctore Ioanne Planco (Bian-

chi), qui datis novis legibus statuit ut praeter scientiarum, omnium etiam artium cultores in ea admitti possent.

Anno 1789 sacerdos nomine Scarpellini Romae in familiae Frangipani aedibus (ubi erat praeceptor) iuvenes aliquos collegit ad instar seminarii scientifici, quod a. 1795 in collegium Umbro-Fuccioli transtulit eique a. 1798 nomen legesque Academiae dedit. Clauso collegio a. 1799, Scarpellini, cum instrumentis Academiae in aedes Ducis Caetani se transtulit. Anno 1801, restituto regno pontificio, Caetani, auctoritate a Pio VII accepta, in domo sua Academiam « Caetani » instituit, quae a. 1802 nomen « Nuovi Lincei », a. 1804 « dei Lincei » assumpsit. Leo XII Academiae a. 1826 sedem in Capitolio attribuit, et Gregorius XVI ipsam titulo « Pontificia » insignivit. Mortuo Scarpellini (1840) qui fuerat ab actis ab a. 1801, nominatum est concilium ad exaranda nova statuta, quae cum a gubernio sancita non essent, Academia esse desiit.

Ut in « Motu Proprio » dicitur, Academia sub nomine « Pontificia dei Nuovi Lincei » auctoritate Pii IX a. 1847 instaurata est. In novis statutis finis dicitur esse studium, promotio, propagatio scientiarum exceptis theologica, morali, medica, politica. Ad eam etiam spectabat promovere disciplinas technicas, artes et industrias quae a scientiis dependent, itemque gubernium consiliis et opere iuvare quotiescumque fuisset requisitum. Quinque erant classes Academicorum: ordinariorum (summum 30), emeritorum (10), correspondentium (40), honorariorum, adiunctorum. Anno 1859 a Pio IX numerus sociorum correspondentium Italicorum usque ad 40, externorum usque ad 70 auctus est. Cum a. 1870 gubernium Pontificium finem accepisset, Fr. Brioschi consiliarius ministerii Instructionis Publicae, suadentibus ut videtur aliquibus sociis, viva voce Secretarium Academiae invitavit, ut nomen antiquum mutaret in « Accademia *Reale* dei Lincei ». At in tanta rerum vicissitudine Academia Pontificia superstes fuit per operam eorum sociorum, qui statutis a Pio IX datis fidem servarunt. In ses-

sione 5 martis 1871 habita in aedibus de Propaganda Fide, novo concilio Academico electo, socii isti aegre ferentes quod nonnulli collegae statuto Academico fidem fallentes, ad arbitrium et iniuste Academiae titulum mutassent, nolentes ingrati esse erga munificentissimum instauratorem Academiae, ac vindicantes sibi iura quibus legitime essent praediti ut socii ordinarii Academiae Pontificiae Novorum Lynceorum, unanimiter petebant Em.um Cardinalem Protectorem, ut suarum intentionum interpretem se faceret apud S. Pontificem. Floruit Academia sub patrocinio Pii IX eiusque Successorum.

A. 1883 immutatis statutis finis Academiae dicitur esse studium, promotio, propagatio scientiarum physicarum, mathematicarum et naturalium. Leo XIII a. 1887 decrevit ut sociorum ordinariorum numerus esset 40, utque nomine « Memorie » nova inchoaretur voluminum series, quae fusiores commentarios de rebus physicis contineret. Anno 1902 Academia nomen assumpsit: Pontificia « Accademia Romana dei Nuovi Lincei », quod a. 1923 annuente Pio XI mutatum est in « Pontificia Academia Scientiarum - Novi Lyncei ». Ab a. 1870 usque ad a. 1922 sessiones habebantur successive in aedibus de Propaganda Fide, in domo Sinibaldi (via Monteroni) et in aedibus Cancellariae Apostolicae. Postea Pius XI ipsi stabilem sedem donavit in « Casina » Pii IV in hortis Vaticanis.

Ut finem suum attingeret Academia variis mediis utebatur: 1 - notis sociorum in sessionibus ordinariis; 2 - dissertationum cyclis in iis quae vocantur « hebdomadis Academicis »; 3 - colloquiis academicis, ad quae etiam extranei invitabantur; 4 - actis et commentationibus aliisque scriptis scientificis in typum edendis; 5 - indicando concursus praestitutis praemiis.

Praecipuae immutationes, a Motu Proprio « In multis solaciis » inductae, hae sunt:

1 - Titulus Academiae iam est simpliciter: *Pontificia Academia Scientiarum,* omisso Lynceorum nomine.

2 - Sodalium, praeter academicos honorarios et 5 supranumerarios, est unica classis numero 70, omissa distinctione inter ordinarios et correspondentes.

3 - Egregie immutatus est modus eligendi novos academicos. Olim praesentato a duobus sociis ordinariis candidato, non raro ad suffragia ferenda procedebatur absque sufficienti eius operositatis scientificae cognitione.

Restaurandae Academiae indolem dare magis internationalem imprimis intendit Pius XI. Sicuti Ecclesia Catholica ex natura sua totum orbem amplectitur, sic voluit ut eius « scientificus senatus » ex omnibus terrarum partibus colligeretur.

Academicorum a Summo Pontifice nominatorum maior pars (37) non sunt oriundi ex Italia; quinta circiter pars catholicam fidem non profitentur, inter quos Hebraei tres. Quod tamen novum non est: neque enim in antiquis sociorum elenchis desunt illustria acatholicorum nomina, ut Airy, Faraday, Gauss, Kelvin, Mittag-Leffler, von Humboldt, aliorumque.

« Scientiarum Nuncius Radiophonicus », a Radio Vaticana emissus, est novum genus divulgationis scientificae, quod ab ipso Summo Pontifice feliciter regnante die 19 aprilis a. 1931 inauguratum est. De cuius institutione omnes per orbem scientiarum academiae certiores factae sunt atque invitatae, ut eorum quae in singulis suis sessionibus tractata essent, brevem conspectum ad Nuncii redactores mitterent. Cui tamen invitationi vix una alterave Academia obsecuta est: unde plerumque ea solum, quae in ipsa Lynceorum Academia disceptata fuerant, emittebantur additis notitiis scientificis aliunde quocumque modo acceptis. Facta emissione radio-phonica, nuncius prelo datur. Spes est fore ut novorum Academicorum opera Nuncius melius et efficacius finem suum attingat.

Ioannes Stein, S. J.
Director Speculae Vaticanae

21 - SS. D. N. Pius Papa XI
Nuntius radiophonicus 7 februarii 1937

AD URBEM MANILAM
AD EXITUM CONGRESSUS UNIVERSALIS XXXIII EUCHARISTICI
(*AAS* XXIX (1937) p. 18 s.)

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII

Quamquam vobis, tertium ac trigesimum ex omnibus Nationibus Eucharisticum Conventum celebrantibus, datis litteris ad Nostrum « a latere » Legatum, animum aperuimus Nostrum, libet tamen paterno eloquio ac quasi viva voce Nostra vos alloqui.

Ac primum quidem vobis gratulamur vehementer, quod, ingenti rerum apparatu incensaque pietate, Iesu Christo universorum Regi, Eucharisticis velis delitescenti, summum instruxistis triumphum; triumphum dicimus, qui cum ex animis proficiscatur, actuosa in divinum Redemptorem caritate flagrantibus, non aliquid fluxum ac caducum reputamus, sed eiusmodi potius, ut omnem vitam uniuscuiusque vestrum ad virtutem informet impensiusque excitet. Atque in uberibus salutis fructibus, quos e coetibus vestris ominamur et a Deo precamur, illud nominatim sperare licet, ad quod congressiones vestrae potissimum spectant; ut nimirum ex hoc Augusto altaris Sacramento, incensiore religione culto crebriusque ab omnibus participato, studia atque incepta sacris Missionibus provehendis etiam atque etiam in dies augeantur. Indidem enim lux mentibus oritur, ardor animis, ac superna laboribus operibusque fecunditas.

Ac dum nostra hac aetate, nimium multi, proh dolor, vel errorum fallaciis obcaecati, vel cupiditatum illecebris vitiorumque invitamentis deleniti, vel denique mutua invidia simultateque inter se digladiantes, a Iesu Christo,

via, veritate ac vita, abstracti atque avulsi in interitum miserrime rapiuntur, vos, venerabiles Fratres ac dilecti Filii, ad Eum arctius propiusque accedatis; ac debitam eidem honoris reparationem praestantes vestram, enixe contendite ut errantes fratres iique omnes, « qui in tenebris et in umbra mortis sedent » (Luc. I, 79), lucem per Eum, veritatem ac vitam quam citissime adipiscantur.

Eum omnes agnoscant, adorent ac sequantur, qui unus « verba vitae aeternae habet » (Io. VI, 69); ita quidem ut — publicis ubique sedatis rebus, compositisque ad iustitiam caritatemque animis — christiana pax fatigato humano generi tandem aliquando affulgeat.

Haec sunt, venerabiles Fratres ac dilecti Filii, omina ac vota, quae Nos, vobiscum quodammodo praesentes non modo per Legati Nostri personam, sed illa etiam paterna caritate, quae longinquitates omnes locorumque spatia transiliens exsuperat, Sacratissimo Iesu Christi Cordi supplici prece commendamus.

Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

22 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 9 ianuarii 1937

DAMNATUR OPUS CUI TITULUS « ETUDES SUR DESCARTES », AUCTORE L. LABERTHONNIÈRE

(*AAS* XXIX (1937) p. 13)

Feria IV, die 2 decembris 1936

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum postumum Luciani Laberthonnière, cui titulus:

Etudes sur Descartes, Paris, 1935, cura L. Canet editum.

Et Feria IV, die 6 Ianuarii 1937, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XI, in audientia Excmo ac Revmo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 9 Ianuarii 1937.

I. Venturi, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

23 - Suprema Congregatio S. Officii Rescriptum 28 ianuarii 1937

DE VALORE ORDINATIONIS SUBDIACONI ET SACERDOTIS, IN QUA CALIX NON CONSECRATUS PORRECTUS EST

(ex transsumpto exemplaris authentici)

Ludovicus Le Hunsec, Episcopus Europensis, Superior Generalis Congregationis Sancti Spiritus et Immaculati Cordis Mariae, Supremae Congregationi Sancti Officii sequens dubium exposuit:

Iacobus neosacerdos ad sacrum presbyteratum nuperrime ordinatus, magna anxietate premitur eo, quod recordatur calicem (et patenam) ab Episcopo in ordinatione sibi porrectum, ex oblivione non fuisse consecratum. Causa oblivionis autem est, quia donator dictum calicem et patenam inchoata iam Missa ordinationis obtulit.

Eadem fere anxietate premitur Ioannes, frater supradicti Iacobi, qui eadem die promotus est ad sacrum subdiaconatus ordinem, et quidem ob eandem rationem, scilicet non-consecrationem calicis et patenae.

Inde praefatus Orator Supremae Congregationi Sancti Officii dubium proponit:

1 - *Utrum ordinatio ad s. presbyteratum in casu sit*

valida, ita ut Iacobus possit continuare celebrationem Missae?

2 - *Utrum valida sit ordinatio Ioannis ad subdiaconatum?*

Ex aedibus S. Officii, die 28 ianuarii 1937.

Exc.me ac Rev.me Domine,

E.mi ac Rev.mi Patres huius Supremae Sacrae Congregationis, in consessu generali Feria IV die 20 ianuarii curr. habito, perpensis duobus dubiis ab Excellentia Tua Rev.ma ad S. Officium allatis circa ordinationes cuiusdam Iacobi ad presbyteratum et cuiusdam Ioannis ad subdiaconatum, respondendum mandarunt:

Oratores acquiescant.

Quae dum Tecum communico, impensos aestimationis meae sensus Tibi obtestor permanens

Excellentiae Tuae Rev.mae
addictissimus
† D. Card. SBARRETTI
Episc. Sabinensis et Mandelensis
Secretarius

Excmo ac Revmo Domino
Dno ALOYSIO LE HUNSEC
Episcopo tit. Europensi - Superiori Gen.
Congregationis S. Spiritus
Lutetiam Parisiorum.

ANNOTATIONES

Communiter auctores tenebant oportere, ut calix et patena in ordinatione ad subdiaconatum vel presbyteratum porrigenda sint consecrata (GASPARRI, *De sacra ordinatione*, n. 1034), quamvis expressum praeceptum desit (MANY, *De sacra ordinatione*, n. 263). Dissentiunt vero auctores, num valor ordinationis periclitetur, si calix et patena non

consecrata ordinandis porrecta sunt. Quod MANY, l. c. plane negat; nam haec instrumenta adhibentur in ordinatione « hac tantum ratione, quia nempe significant potestatem celebrandi; porro consecratio calicis et patenae nullo modo requiritur ad valorem celebrationis, ita ut calix et patena, etiam non consecrati, perfecte significent potestatem celebrandi ». Attamen, « alii obiciunt per traditionem rei non sacrae potestatem sacram non significari (sic S. ALFONSUS VI 747); alii reponunt significationem ex ipsa materiali forma iam haberi. Idque nobis *magis probabile* videtur » (VERMEERSCH, *Theologia moral.*, III[3] n. 624; GASPARRI, *De s. Ordinatione* n. 1034).

Ex hac auctorum haesitatione apparet peculiare momentum huius Rescripti, quod ideo in consessu generali decretum est. Amodo igitur cessat omne dubium de valore ordinationis, si calix et patena ordinandis porrecta carebant consecratione. Nam illa instrumentorum traditio, cum certo sit ecclesiasticae institutionis, *si* ad valorem pertinet, non requiritur tamen ultra voluntatem Ecclesiae. Si igitur S. Officium declaravit in casu acquiescendum esse, quamvis haec instrumenta consecrata non sint, id manifestat Ecclesiam nolle ad valorem ordinationis consecrationem instrumentorum requirere; cfr. LEHMKUHL, *Theologia moral.* II[12] n. 743.

FRANCISCUS XAVERIUS HECHT P.S.M.

24 - Sacra Congregatio Concilii
Disceptatio 13 aprilis 1935

DE IURE PRAECEDENTIAE INTER CONFRATERNITATES

(*AAS* XXIX (1937) p. 33 s.)

DIOECESIS *T.*

PRAECEDENTIAE

FACTI SPECIES. — In quodam oppido dioecesis *T.* duae extabant Confraternitates, quarum una anno 1831, altera

vero anno 1835 erecta fuit. Harum prima, quippe erectione prior, de iure habuit praecedentiam, quam etiam de facto exercuit super secundam.

Quum vero haec postrema per Breve apostolicum diei 6 septembris 1870 in Archiconfraternitatem evecta sit « cum « omnibus et singulis praerogativis, iuribus et honoribus « solitis et consuetis . . . , et cum iure aggregandi alias eius- « dem nominis atque instituti in dioecesi *T.* dumtaxat exi- « stentes », ex tunc sibi etiam competere praecedentiae ius contendit. At semper restitit prima Confraternitas, defendens suum ius antea pacifice possessum.

Quapropter ad ulteriores praecidendas concertationes inter easdem Sodalitates ab hac Sacra Congregatione quaesitum fuit, cuinam in casu ius praecedentiae competat.

Disceptatio. — Iuxta Codicem I. C. « inter pias laico- « rum Associationes ordo praecedentiae est qui sequitur: « 1° Tertii Ordines; 2° Archiconfraternitates; 3° Confra- « ternitates » (can. 701 § 1 nn. 1-3). Excipitur Confraternitas Ss.mi Sacramenti, quae in processionibus theophoricis praecedit ipsis Archiconfraternitatibus, non autem Tertiis Ordinibus. Quod principium non novum esse videtur, si cum iurisprudentia anteriori comparatur. Nam S. C. Rituum in una *Lucerina* diei 25 septembris 1875, n. 3381, statuit ut praecedentia agnosceretur, et quidem a die expeditionis litterarum apostolicarum evectionis ad gradum Archisodalitatis computanda, Sodalitati a S. Cruce auctae titulo B. M. Virginis Dolorosae, dein aggregatae Archisodalitati Ss.mae Trinitatis de Urbe, ac tandem ad gradum Archisodalitatis evectae. Et eadem S. C. Rituum in una *Abellinen.* diei 18 augusti 1877, n. 3432, Sodalitati B. V. de Monte Carmelo, anno 1876 ad gradum Archisodalitatis evectae, super ceteras Archisodalitates et super omnes Sodalitates ius praecedentiae agnovit.

Hae decisiones omnino concordant cum praescripto canonis 106 n. 3 Codicis I. C., ubi statuitur: « Inter diversas « personas ecclesiasticas, quarum nulla habeat in alias au-

« ctoritatem: qui ad gradum potiorem pertinent, praece-
« dunt eis qui sunt inferioris gradus ».

Pacifica vero possessio, de qua in n. 5 eiusdem canonis, tantum valet cum quaestio de praecedentia oritur inter personas ecclesiasticas « eiusdem speciei et gradus ». At posita evectione cuiusdam personae ad gradum potiorem, standum est n. 3 dicti canonis 106, eidem agnoscendo praecedentiae iure, quod a die obtentae evectionis ipsa acquirit.

In casu autem prima Confraternitas super secundam ideo merito fruita est praecedentia, quia erectionis prioritatem possidebat. At per Litteras apostolicas diei 6 septembris 1870 secunda Confraternitas in Archiconfraternitatis gradum evecta est « cum omnibus et singulis praerogativis, « iuribus et honoribus solitis et consuetis », inter quae profecto ius praecedentiae adnumerandum est.

Nec in contrarium valide invocari posse videtur praescriptio ex eo deprompta quod prima Confraternitas hucusque praecedentiam retinuit super secundam in Archiconfraternitatem evectam. Nam ad praescriptionem inducendam, ad normam canonis 1512 Codicis I. C., requiritur bona fides, seu possessio pacifica, quae in casu penitus desideratur, quum eadem Confraternitas in Archiconfraternitatem evecta semper obstitit, adeo ut inter Sodalitates saepe saepius contentiones et iurgia ex hoc capite exorta sint.

Cum quaestio proposita sit in Comitiis plenariis diei 13 aprilis 1935, E.mi Patres huius S. Concilii ad dubium: *Utrum ius praecedentiae competat Archiconfraternitati an Confraternitati in casu*, responderunt: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

Quam responsionem Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI in Audientia diei 15 eiusdem mensis dignatus est approbare et confirmare.

I. Bruno *Secretarius*

Annotationes

Responsio haec S. Congregationis Concilii claram dat expositionem canonis 701 § 1 quem ad casum particularem applicat.

Dispositio canonis minime est res nova, uti legenti fontes ad calcem canonis in Codice positos satis evidens erit. Iam ante Codicem Tertii Ordines praecedentia super omnes alias laicorum associationes gaudebant. Post Tertios Ordines deinde veniunt Archiconfraternitates secundum ordinem erectionis, cum unica exceptione in favorem Confraternitatis sanctissimi Sacramenti quae in processionibus in quibus defertur sanctissimum Sacramentum praecedit ipsis Archiconfraternitatibus, non vero Tertiis Ordinibus. Inter Confraternitates ipsas, praecedentia determinatur secundum prioritatem erectionis.

Statim autem ac Confraternitas ad gradum Archiconfraternitatis evehitur, cessat esse Confraternitas, et praecedentiam inter Archiconfraternitates sumit secundum diem evectionis. Nunc ut Archiconfraternitas praecedentia gaudet super omnes omnino Confraternitates, etiam super illas quae origine antiquiores erant Confraternitate nunc in Archiconfraternitatis gradum evecta.

Neque in casu potuit esse quaestio de iure per praescriptionem acquisito, nam deerat illa possessio pacifica quam bona fides ad normam canonis 1512 postulat. Archiconfraternitas enim in casu semper obstitit, ut ex frequentibus contentionibus satis evidens est.

Nulla igitur erat ratio in casu adeundi S. Congregationem Concilii, nisi ut finis auctoritative imponeretur praetensioni quae nullum in iure fundamentum habuit.

Adamus Ellis, S. I.

25 - Sacra Congregatio Rituum Rescriptum 25 novembris 1936

RESPONSA DE MISSA VOTIVA D. N. IESU CHRISTI SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS

(*AAS* XXIX (1937) p. 35)

Edito Decreto Urbis et Orbis diei 11 martii 1936, quo unica Missa votiva de Christo, summo et aeterno Sacerdote, singulis primis Feriis V cuiusque mensis celebranda concedebatur quibusdam sub condicionibus, R. P. PANCRATIUS PFEIFFER, Superior Generalis Societatis Divini Salvatoris, Sacrae Rituum Congregationi haec humillime subiecit dubia, pro opportuna declaratione:

I - *An in Missa hac votiva de Christo, Summo et Aeterno Sacerdote, concessa pro primis Feriis quintis cuiusque mensis, dicendum sit Gloria et Credo?*

II - *An quando haec Missa impediatur a Festo superioris ritus duplicis nempe primae vel secundae classis, loco Missae impeditae dici possit eiusdem commemoratio sub unica conclusione cum prima Oratione Festi?*

III - *Quo colore Missa votiva de Iesu Christo, Summo et Aeterno Sacerdote, sit celebranda?*

Sacra Rituum Congregatio, mature perpensis expositis, audito quoque Commissionis specialis suffragio, his precibus praelaudati Superioris Generalis respondendum censuit:

Ad I: *Affirmative ex gratia.*

Ad II: *Affirmative, dummodo non occurrat Festum D. N. Iesu Christi, aut eius Octava.*

Ad III: *Adhibeatur color albus.*

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro PIO Papae XI relatione per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, Sanctitas

Sua sententiam ipsius Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 25 novembris 1936.

C. Card. Laurenti, *S. R. C. Praefectus*
A. Carinci, *S. R. C. Secretarius*

Annotationes
Vide infra, p. 194 ss.

26 - Sacra Congregatio Rituum Rescriptum 2 ianuarii 1937

DE MENSTRUA MISSA VOTIVA D.N.I.C. SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS

(*ex transsumpto exemplaris authentici*)

SACRA CONGREGATIO RITUUM

ROMANA SEU RATISBONEN

Fridericus Pustet, Bibliopola Pontificius, Sacrae Rituum Congregationi haec, pro opportuna solutione, proposuit dubia, nimirum:

1 - Utrum Missa votiva Domini nostri Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis, per decretum diei 11 martii 1936 pro prima Feria quinta vel primo Sabbato mensis concessa, etsi occurrat Festum duplex vel duplex maius, consideranda sit tamquam Missa votiva privata iuxta Rubricas, ideoque dicenda sit absque Gloria et Credo cum omnibus Commemorationibus occurrentibus?

2 - Utrum praedicta Missa aequiperanda sit Missae votivae pro Fidei propagatione, quae iuxta decretum diei 17 novembris 1922 (*) similiter diebus duplicibus permittitur, ac proinde dicenda sit cum Gloria et Credo cum commemorationibus ritui duplici correspondentibus?

(*) Decreta auth., n. 4379.

Et Sacra Rituum Congregatio omnibus mature perpensis praepositis quaestionibus respondendum censuit:

Ad 1 - *Negative,* si agatur de *unica illa Missa votiva* per citatum decretum permissa; secus affirmative.

Ad 2 - *Negative,* sed *illa unica Missa* habeatur tamquam *votiva solemnis.*

Atque ita rescripsit atque declaravit.

Die 2 ianuarii 1937.

C. Card. Laurenti, *S. R. C. Praefectus*
Henricus Dante, *Subst.*

Annotationes
Vide infra, p. 194 ss.

27 - Sacra Congregatio Rituum Rescriptum 8 ianuarii 1937

DE MENSTRUA MISSA VOTIVA D.N.I.C. SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS

(*ex transsumpto exemplaris authentici*)

SACRA CONGREGATIO RITUUM
D. 1/937

Beatissime Pater,

Episcopi Germaniae, quotannis in urbe Fuldensi congregati, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, humiliter petunt, ut in omnibus dioecesibus Germaniae Missa votiva Domini nostri Iesu Christi, Summi et Aeterni Sacerdotis, per decretum S.R.C. diei 11 martii 1936 assignata primae Feriae V vel primo Sabbato, dici valeat *Sabbato post primam Feriam VI mensis.*

Rationes sunt:

a - Pium exercitium orandi pro cleri sanctificatione duobus abhinc annis in universa Germania Sabbato post primam Feriam VI mensis peragitur. Dies ille populo nunc

iam carus et familiaris factus est; ita permutatio diei operi tam salutifero detrimentum afferret.

b - Sabbatum post primam Feriam VI mensis tum sacerdotibus tum fidelibus magna affert commoda. Sacerdotes prima Feria V occasionem praebent fidelibus ad peccata confitenda, fideles dein Feria VI et Sabbato et regulariter etiam Dominica ad sacram communionem accedunt.

DIOECESIUM GERMANIAE

Sacra Rituum Congregatio, attentis supra expositis peculiaribus adiunctis, auctoritate sibi tributa a Ss.mo Domino nostro Pio Papa XI benigne annuit pro gratia iuxta preces, rubricis servatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 ianuarii 1937.

C. Card. Laurenti, *S. R. C. Praefectus*
A. Carinci, *S. R. C. Secretarius*

Annotationes
Vide infra, p. 194 ss.

28 - Sacra Congregatio Rituum Rescriptum 12 ianuarii 1937

DE INITIIS SCRIPTURAE OCCURRENTIS TRANSFERENDIS, NECNON DE MENSTRUA MISSA VOTIVA D.N.I.C. SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS

(*ex transsumpto exemplaris authentici*)

SACRA CONGREGATIO RITUUM
P. 62/936

PIAE SOCIETATIS MISSIONUM

Redactor Kalendarii liturgici Piae Societatis Missionum (Pallottinorum) Sacrae Rituum Congregationi haec pro opportuna explicatione humillime proposuit dubia:

I - Iuxta Rubricas generales Breviarii tit. xxvi num. 7 Initium alicuius Epistolae catholicae tempore paschali aut alicuius Prophetae minoris mense novembri infra hebdomadam illorum temporum impeditum, quoad commode fieri potest, ponendum est in alia Feria alio simili Initio libera. Quaeritur autem, num oporteat intra has hebdomadas alia Initia amovere a suis diebus, et anticipare si supersunt dies liberi, ut, servato librorum ordine, singula Initia suum sortiantur diem?

II - Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 11 martii 1936 Sedes Apostolica benigne concessit celebrationem Missae votivae D. N. Iesu Christi, Summi et Aeterni Sacerdotis, prima Feria V vel primo Sabbato cuiusque mensis. Cum vero dies exclusi iidem fere sint ac pro Missa votiva pro Fidei Propagatione, quaeritur, utrum praedictae concessiones in omnibus similes intelligendae sint?

Et Sacra Rituum Congregatio, praepositis dubiis, audito quoque Commissionis specialis suffragio, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I - *Negative* et serventur Rubricae.

Ad II - *Negative*, sed si sermo sit de unica Missa privilegiata, haec habeatur tamquam votiva solemnis; secus serventur Rubricae pro Missis votivis.

Atque ita rescripsit atque declaravit.

Die 12 ianuarii 1937.

A Carinci, *S. R. C. Secretarius*

L. ✠ S. Henricus Dante, *Substitutus*

Annotationes

Cum quattuor S. Rituum Congregationis Rescriptis, modo communicatis, atque Rescripto S. Paenitentiariae Apostolicae, infra, p. 205 vulgando, varia argumenta permisceantur de menstrua Missa votiva scil. D.N.I.C., Summi et Aeterni Sacerdotis, de colore adhibendo, atque de Indul-

gentiis cum eadem connexis, necnon de Initiis *Scripturae occurrentis transferendis,* Annotationes *nostras, quibus quinque illa Rescripta illustrantur, in unum contrahendas duximus.*

I - *De menstrua Missa votiva D. N. Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis, et de pio exercitio pro Cleri sanctificatione*

Decretum S. R. C., datum die 11 martii 1936 (*AAS* XXVIII (1936) p. 240 s.; *Periodica* XXV (1936) p. 138 s.) obscuritate laborabat, quia tam petitio quam concessio plura tacuit scitu necessaria. Interim vero pluribus responsis S. R. C. pleraque dubia explosit, ut sequitur.

I - Missa votiva D. N. Iesu Christi, Summi et Aeterni Sacerdotis, habet *colorem album,* uti S. R. C. declaravit die 10 iunii 1936 (*Periodica* XXV (1936) p. 141) ac 25 nov. 1936 ad 3, supra. Nonnullis quidem videbatur colore rubro utendum esse, at immerito; cum tamen res modo liqueat, opus non est ut hic immoremur.

II - *Menstrua Missa* votiva D. N. Iesu Christi Sacerdotis tamquam *votiva solemnis* habenda est (Decr. 2 ian. 1937 ad 2 ac 12 ian. 1937 ad 2). Hinc, sicut menstrua Missa votiva S. Cordis Iesu, privilegiis fruitur Missae votivae solemnis, etsi legatur; nullibi enim requiritur ut cantetur. Habet igitur ista Missa Gloria et Credo (*Addit. in rubr. Miss.* VII 1 et 3; S. R. C. 25 nov. 1936 ad 1 ac 2 ian. 1937 ad 1) atque eas tantum Commemorationes, quae respondent Missis votivis solemnibus iuxta *Addit. in rubr. Miss.* V 3. Oportet igitur in hac Missa commemorare Feriam maiorem, Dominicam anticipatam Sabbato ante Septuagesimam, Octavam particularem privilegiatam, velut Romae Octavam Ss. Petri et Pauli Apostolorum, denique Orationem imperatam pro re gravi. In fine autem licet preces a Leo-

ne XIII iussas omittere iuxta decr. 4271 ad 2, atque etiam, si functio immediate sequatur, iuxta decr. 4305.

Tenor concessionis diei 11 martii 1936 simillimus erat decreto n. 4379 de annua Missa votiva propagationis fidei. Unde haud paucis videbatur eodem modo utramque concessionem interpretandam esse, uti etiam apparet ex interrogatione II decretorum diei 2 ac 12 ian. 1937. Gaudemus autem, quod S. R. C., concessionem diei 11 martii 1936 ampliando, menstruam Missam Iesu Christi Sacerdotis ritu Missae votivae solemnis decoravit.

III - Permittitur singulis mensibus unica Missa privilegiata in ecclesiis et oratoriis, in quibus mane *peculiaria exercitia,* approbata a loci Ordinario, peraguntur pro cleri sanctificatione, velut preces indulgentiis ditatae ad implorandas vocationes sacerdotales vel religiosas, pro sacerdotibus et clericis, Litaniae Ss. Nominis Iesu, sacratissimi Cordis Iesu, similesque preces. Tales autem preces, iam alias approbatae pro usu publico, nulla indigent nova approbatione, ut in hoc exercitio adhibeantur. Aliae vero preces, in ecclesiis et oratoriis publice recitandae, indigent « revisione et expressa Ordinarii loci licentia » (can. 1259 § 1).

IV - *Prima Feria V vel Sabbato cuiusque mensis* pium exercitium cum Missa Iesu Christi Sacerdotis more votivo solemni haberi potest. Feria V in Coena Domini sacerdotium institutum est; ideo Feriae V annectitur Missa votiva Iesu Christi Sacerdotis loco Missae conventualis de Feria communi dicenda. Attamen in Germania, unde praefatum exercitium diffundebatur, Sabbatum post primam Feriam VI mensis huic exercitio dicatum est, uti in exordio decreti 11 martii 1936 memoratur; atque hoc Sabbatum ibidem ex recenti rescripto diei 8 ianuarii 1937 retineri potest propter rationes in petitione expositas. Alibi vero iuxta decretum diei 11 martii 1936 Episcopis committitur facultas

concedendi pro Feria V primum Sabbatum mensis, quod interdum praecedit primam Feriam VI mensis, quando nempe mensis incipit cum Sabbato, velut mensis maius 1937, ianuarius et october 1938, aprilis et iulius 1939. Cum igitur Sabbatum huic praxi dicatum sit ab initio, quemadmodum ipsum decretum enarrat, forte miraberis, quod Moderator generalis eiusdem Societatis, quae exercitium *Sabbatinum* provexit, « supplicavit, ut qualibet prima *Feria V* mensis in omnibus ecclesiis et oratoriis ... unica Missa votiva de summo et aeterno Sacerdote Iesu Christo litari valeat » (Decr. 11 martii 1936).

V - *Dies prohibiti.* Ex novissimis rubricis (*Addit. in rubr. Miss.* tit. II n. 3) deducitur Missam votivam tunc impediri, si « fiat Officium aut Commemoratio, vel occurrat Vigilia aut dies infra Octavam, quamvis simplicem, de *identico* Domini mysterio (vel de eadem Sancti persona) », de qua esset celebranda Missa votiva. Quae regula obtinet v. g. in Missa votiva Ss.mi Sacramenti celebranda in Oratione XL Horarum (S. R. C. 27 apr. 1927, *AAS* XIX (1927) p. 192). Attamen ad Missam votivam S. Cordis Iesu, concessam pro prima Feria VI singulorum mensium, regula applicata est, quae de Missis votivis Sanctorum valet; unde ea excluditur, quoties de *persona Christi* agitur, non solum quoties de identico eius mysterio fit. Immo verba in concessione menstruae Missae votivae S. Cordis Iesu adhibita, « dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini » (decr. 3712), videbantur hanc Missam excludere in quibusvis festis de Deo Uno vel Trino. Postea vero « ad mentem novarum rubricarum Breviarii Romani, tit. IV n. 7, tit. VI n. 4 et Notanda in Tabellas n. 8 » decretum est Missam votivam S. Cordis prima feria VI prohiberi « tantum in *festis Christi Domini* » (decr. 4337). Profecto igitur ad mentem earundem rubricarum par locutio, in decreto diei 11 martii 1936 de Missa menstrua Iesu Christi Sacerdotis occurrens, « dummodo non occurrat ... quod-

libet festum, vigilia aut octava Domini » accipienda est de festis, vigiliis octavisque *Christi Domini*, prout ex decreto 4337 liquet.

Quare in omnibus festis Christi Domini, etsi diversi mysterii, quibus aequiperatur festum Purificationis beatae Mariae Virginis, pariterque inter horum festorum Octavam, licet simplicem, et mense ianuario sumitur more votivo solemni (S. R. C. n. 4366) Missa aut Commemoratio de occurrenti festo vel octava Christi aut de vigilia Epiphaniae, die autem 2 vel 3 vel 4 ianuarii Missa *Puer natus* de die 30 decembris aut de octava Circumcisionis vel Ss. Nominis Iesu, sicubi habetur (S. R. C. n. 4386 ad 2); neque in his Missis substitutis additur Oratio Iesu Christi Sacerdotis (S. R. C. 25 nov. 1936 ad 2).

In Duplici autem I vel II classis, quod non sit Christi Domini, in vigilia et infra octavam Pentecostes, (atque in ecclesiis paroecialibus unicam Missam habentibus, in omnibus festis de praecepto, etiam suppressis), dicitur Missa diei, cui sub unica conclusione additur Oratio de Missa votiva Iesu Christi Sacerdotis impedita, et sub distincta conclusione Oratio Dominicae anticipatae, Feriae maioris vel octavae privilegiatae particularis forte occurrentis, iuxta addit. in rubr. Miss. tit. II n. 3 ac tit. V n. 3, atque, nisi iam occurrat Symbolum, Praefatio propria et evangelium Dominicae anticipatae vel feriae maioris in fine, additur Credo, Praefatio Crucis et evangelium Missae Jesu Sacerdotis. (add. in rubr. Miss. VII 3, VIII 1 ac IX 3).

Denique in hebdomada sancta et in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum prohibetur tam Missa quam Commemoratio Iesu Christi Sacerdotis.

Accuratius inquirere oportet, num Missa paroecialis excludat Missas votivas, quia nonnulli auctores, decepti novis rubr. Missalis tit. II n. 11, errant. Ex decreto 3887 Missa paroecialis, seu pro populo applicanda, officio diei conformis esse debet. Consequenter S. R. C. die 28 oct.

1913 § 1 n. 2 (*AAS* v (1913) p. 457) et die 16 iunii 1922 ad 8 (*AAS* XIV (1922) p. 468) statuit Missam de solemnitate externa in Dominicam translata pro populo applicari non posse. S. R. C. ita respondit, quamvis interim additiones in rubr. Miss. tit. II n. 11, editae anno 1920, Missas votivas *ibidem* in tit. II et IV recensitas excluserunt tantummodo « in ecclesiis, ubi cuiuslibet Missae *conventualis* onus urgeat, cui per alios sacerdotes satisfieri nequeat; et in ecclesiis unam tantum Missam habentibus... etiam die 2 februarii, si fiat benedictio candelarum, et in Litaniis maioribus, si fiat processio ». Unde eo ipso *praefatae Missae votivae* admittebantur pro Missa paroeciali. At haec regula neque erat neque est generalis, ut vel ipsa verba rubricae « Missae omnes superius indicatae » etc. luculenter ostendunt. Id ostendit etiam responsum diei 16 iunii 1922 ad 8 supra citatum, quod post hanc rubricam editum est. Anno 1927. quidem praefata duo decreta, nempe n. 4308 I 2 et 4372 ad 8, reformata et citatae rubricae Missalis conformatae sunt: id est licet nunc etiam Missas de solemnitate externa in Dominicam translata pro populo applicare. Praeterea etiam decreto 4379 sancitum est, ut Missa votiva de propagatione fidei semel in anno statuto die celebrari possit etiam pro grege seu applicari pro populo. At hucusque nulla regula generalis permittit, ut quaevis alia Missa votiva praeter recensitas possit pro populo applicari.

Nihilominus citati loci, nempe additiones in rubr. Miss. tit. II n. 11, et decreta 4308 I 2, 4372 ad 8 ac 4379 decreto 3887 adeo derogaverunt, ut contra dicendum sit, hodie Missas votivas posse pro populo applicari, *nisi* aliud expresse cautum sit. Iamvero expresse excluditur Missa votiva S. Cordis Iesu prima feria VI mensis (Decr. 4093 ad 2), sicut recte docent *Ephemerides Liturgicae* 1923 p. 327; CROEGAERT, *Tractatus de rubricis Missalis Romani,* Mechl. 1935, p. 151; *Caeremoniale Romano-Seraphicum* [2], 1927, n. 412; P. PAULINUS a Gemert, *Manuale Liturgicum* [2], 1927, p. 138 atque eiusdem *Praxis quotidiana,* 1930, n. 88, 6;

Soláns-Vendrell, *Manual Litúrgico,* 1928, II[12] p. 67; Martinez de Antonana, *Manual de Liturgia Sagrada,* 1930, II[4] n. 264, 1.

Nullo decreto vel rubrica hucusque ista Missa votiva S. Cordis admittitur pro Missa paroeciali. Plures tamen auctores, erronee interpretantes novam rubricam Miss., tit. II n. 11, docent contrarium. Quam interpretationem falsam esse ostendit citatum responsum diei 16 iunii 1922 ad 8, quod negavit vi huius rubricae Missam de solemnitate externa in Dominicam translata pro populo applicari posse, nisi agatur de Missis in ista rubrica comprehensis. Ne autem ordinarie in ecclesiis paroecialibus unicam Missam habentibus ista solemnitas externa excluderetur, postea responsum negativum reformatum est.

Agedum decretum 11 martii 1936 iterum Missam votivam Iesu Christi Sacerdotis excludit, si urget Missa *paroecialis,* sicut de Missa votiva S. Cordis Iesu dictum est. Quod ab hodierno stilo alienum quidem, at non sine exemplo est, uti modo ostendimus. Verumtamen haec dispositio in casu nihil efficit, saltem in Ecclesia universali. Nam haec Missa votiva iam prohibetur in quolibet Duplici II classis; iamvero omnes dies, extra Dominicas, quibus in universali Ecclesia Missa paroecialis urget, sunt Duplicia I vel II classis, quemadmodum ex catalogo S. R. C., die 28 decembris 1919 edito (*AAS* xii (1920) p. 42; *Periodica* x p. 189) patet. Unicum festum S. Silvestri (31 dec.) est quidem duplex minus, at non afficit casum nostrum, ubi de initio mensium agitur. Quare verba decreti, quod Missa paroecialis excludit menstruam Missam votivam Iesu Christi Sacerdotis, locum habent tantummodo, sicubi habeantur festa de praecepto inferioris ritus quam duplicis II classis. Talia autem festa alicubi haberi inverosimile prorsus est. Unde clausula de Missa paroeciali inefficax est et deleri potest sine sensus mutatione. Videtur inadvertenter desum-

pta esse ex simili decreto 3712; in quo effectum sortitur, quia festa duplicia II classis ibi exclusa non sunt.

II - *De Indulgentiis, pio exercitio pro Cleri sanctificatione annexis*

VI - *De indulgentiis annexis* menstruo exercitio orandi pro cleri sanctificatione, haec valent.

1 - In concessione indulgentiarum pium exercitium aliter describitur ac in concessione menstruae Missae votivae. Etenim ad celebrandam menstruam Missam votivam requiruntur « peculiaria exercitia pietatis pro cleri sanctificatione mane » peragenda (S. R. C., 11 martii 1936), pro lucrandis vero indulgentiis oportet offerre « Missam et communionem necnon omnes eiusdem diei orationes et quaecumque bona opera pro Ecclesiae catholicae sacerdotibus et levitis » (S. Paenit., 15 dec. 1936). Quae praestanda sunt etiam pro indulgentia 7 annorum, qualibet die acquirenda.

Offerre Missam et communionem in casu significat Deo exhibere fructus impetratorios, quos per assistentiam Missae et receptionem S. Synaxis acquirunt fideles; si vero de sacerdote Missam celebrante sermo est, intellegitur fructus specialissimus ipsi obveniens, quo, quatenus est impetrationis, « pro aliis uti non prohibetur » (Vermeersch, *Theol. Moral.* III[3] n. 258 d).

Recurrit in hac concessione etiam terminus parum usitatus « levitae », qui accipiendus est pro clericis nondum presbyteris.

2 - Porro indulgentiae die 15 dec. 1936 concessae, non dependent a celebratione Missae votivae, sed mere supponunt pium exercitium ut supra orandi pro cleri sanctificatione « sive privatim sive communiter in aliqua ecclesia vel oratorio » peractum. Quantum orandum sit, non est determinatum. Praestat aliquas preces vel Litanias et si-

milia recitare; ceterum vero condiciones consuetae attendendae sunt.

3 - *Indulgentia plenaria,* suetis condicionibus (confessio, communio, visitatio ecclesiae vel publici oratorii et oratio ad mentem Summi Pontificis: *Collectio Precum piorumque Operum,* Praenotanda n. 4) acquiritur die sacerdotali seu prima Feria V vel primo Sabbato cuiuslibet mensis (in Germania Sabbato post primam Feriam VI mensis), deinde in Coena Domini, die festo beatae Mariae Virginis, Reginae Apostolorum (Sabbato infra Octavam Ascensionis) et diebus natalibus Ss. Apostolorum, nempe: 24 (25) febr., 1 maii, 29 iunii, 25 iulii, 24 augusti, 21 sept., 28 oct., 30 nov., 21 ac 27 dec. (cfr. can. 921 § 2).

4 - Acquiritur *indulgentia partialis* septem annorum *quolibet* alio die anni, quo peculiare exercitium pro cleri sanctificatione sive privatim sive communiter fit, ut supra num. 1.

5 - Denique toties (can. 928 § 2) acquiritur indulgentia *trecentorum dierum* pro invocatione « Iesu, Salvator mundi, sanctifica sacerdotes et levitas tuos ».

Sicubi festum beatae Mariae V., Reginae Apostolorum, vel eius solemnitas externa alio die peragitur, etiam indulgentia plenaria huic diei annexa est (can. 922).

Conclusio. Pia praxis orandi pro cleri sanctificatione anno 1934 coepta, interim largissime diffusa atque optatissimis favoribus ditata est. Utinam in dies increscat uberesque fructus pariat.

III - *De* Initiis *Scripturae occurrentis transferendis*

Iuxta Decr. S. R. C. n. 4289 ad VII, 2 ac Rubricas speciales in Dominica III Adventus necnon in Feria II infra hebdomadam Quinquagesimae et hebdomadae III Septembris positas, Lectiones impeditae istarum hebdomadarum, servato suo ordine, ita transferendae sunt, ut omnes, si fieri queat, aliis diebus liberis adhibeantur. Porro iuxta

rubricas generales Brev. tit. XXVI num. 7 Initium alicuius Epistolae catholicae tempore paschali aut alicuius Prophetae minoris infra hebdomadam IV ac V novembris impeditum ponatur in alia Feria, *alio simili Initio libera.* Unde explicatur dubium, num ad mentem praefatarum dispositionum alia quoque Initia talis hebdomadae in dies liberos transferenda sint, ut Initium impeditum transferri possit in diem alio Initio liberam. En exemplum: Die 18 nov. 1938 seu Feria VI impeditur Initium Abdiae, pridie vero occurrit Initium Amos, postridie autem Initium Jonae. Agedum si initium Amos anticipatur Feria IV libera, initium Abdiae impeditum anticipari poterit Feria V nunc libera alio initio. Quaerebatur igitur, utrum oporteat ita agere an Sabbato duo initia legere, nempe ex Feria VI ac Sabbato. Et S. R. C. respondit cetera initia eiusdem hebdomadae non impedita non esse transferenda, ideoque Sabbato duo initia in casu esse legenda. Ratio huius responsi potissimum quaerenda est in his verbis rubricae: Initium impeditum « quoad *commode fieri* poterit, ponatur in sequenti Feria, alio simili initio Scripturae ponendo vel Festo non impedita » (tit. XXVI n. 7). Talis vero transpositio Initiorum, ut in exemplo indicatur, parum commoda dicenda est neque innuitur in hodiernis rubricis generalibus. Unde igitur cetera initia non impedita retinent diem suam atque initium vel initia impedita transferuntur in diem alio initio liberam, si sine transpositione Lectionum talis praesto sit.

Franciscus Xav. Hecht, P.S.M.

29 - Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Decretum 12 martii 1936

DE MAGISTERIO A PONTIFICIO INSTITUTO MUSICAE SACRAE CONFERENDO

(*AAS* XXVIII (1936) p. 417)

Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, cum Pontificii Instituti Musicae Sacrae de Urbe naturam, finem ac studiorum rationem penitus perspecta habeat, auctoritate sibi a Ss.mo D. N. Pio XI commissa, eidem Instituto potestatem tribuit *Magisterium* sive in cantu gregoriano sive in compositione sacrorum concentuum sive in pulsandis organis conferendi, in munere docendi Doctoratui aequiparatum.

Quod Magisterium iis tantum conferri potest alumnis, qui Licentiam iam sint assequuti atque, — ceteris omnibus absolutis, quae tum a Constitutione Apostolica « Deus scientiarum Dominus » et ab adnexis eidem ordinationibus, cum a Statutis Pontificii Instituti praescribuntur, excepta doctorali dissertatione, — peculiare dederint experimentum, ex quo de eorum idoneitate ac peritia theorico-practica vel in cantu gregoriano vel in compositione sacrorum concentuum vel in pulsandis organis rite constet.

Datum Romae, ex Aedibus S. Callisti, die XII Martii, in festo S. Gregorii M., anno MCMXXXVI.

C. Card. BISLETI, *Praefectus*

L. ✠ S.

E. RUFFINI, *Secretarius*

ANNOTATIONES

In Pontificio Instituto Musicae Sacrae de Urbe, praeter gradus Baccalaureatus, Licentiae et Laureae iam a Constitutione « Deus Scientiarum Dominus » institutos, novus

gradus scilicet *Magisterii* praesenti Decreto instauratur. Ad quod Magisterium obtinendum omnia requiruntur quae ad Lauream necessaria sunt, excepta thesi doctorali.

Ratio decreti desumitur ex natura, fine ac studiorum ratione huius Instituti, quae S. Congregatio perspecta habet. Etenim finis Instituti praedicti in eo maxime est ut ipsam artem Musicae promoveat potius quam considerationem speculativam et historicam Musicae. Unde sequitur dissertationem doctoralem, quae indolem speculativam et historicam prae se fert, non esse necessariam ut quis essentialem finem Instituti assequatur.

Convenit igitur ut sine ea dissertatione, dummodo cetera omnia a Statutis Instituti praescripta praestentur, et peritia candidatus in arte musicali ex idoneo experimento constet, gradus conferatur, qui in munere docendi iisdem iuribus atque Doctoratus donet. Hic est gradus Magisterii sive in cantu gregoriano, sive in compositione sacrorum concentuum sive in pulsandis organis.

CAROLUS BOYER, S. J.
In Pont. Un. Greg. Praefectus Studiorum.

30 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

OFFICIUM DE INDULGENTIIS

Rescriptum 15 decembris 1936

DE INDULGENTIIS ADNECTENDIS PIO EXERCITIO ORANDI PRO SANCTIFICATIONE CLERI

(*ex transsumpto exemplaris authentici*)

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA
Officium de Indulgentiis
6698/936

Beatissime Pater,

Superior Generalis Societatis Divini Salvatoris, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter quae sequun-

tur exponit. Societas praedicta promovere coepit pium exercitium pro Cleri sanctificatione orandi, scilicet piam consuetudinem Deo offerendi, stato die singulis mensibus, Missam et Communionem necnon omnes eiusdem diei orationes et quaecumque bona opera pro Ecclesiae catholicae sacerdotibus et levitis. Ad uberiores fructus spirituales ex pia hac consuetudine assequendos, orator enixe petit, in favorem christifidelium, qui praefatum pium exercitium sive privatim sive communiter in aliqua ecclesia vel oratorio peregerint, Indulgentias, quae sequuntur, suetis condicionibus lucrandas:

I - *Plenariam* prima Feria quinta vel primo Sabbato cuiuslibet mensis, in Coena Domini, die festo B. V. Mariae, Reginae Apostolorum, et diebus natalibus Ss. Apostolorum;

II - *Partialem septem annorum* aliis anni diebus, quibus idem pium exercitium peregerint.

III - Petit insuper *partialem trecentorum dierum* indulgentiam acquirendam a christifidelibus, qui invocationem « Iesu, Salvator mundi, sanctifica sacerdotes et levitas tuos », saltem corde contrito ac devote recitaverint.

Et Deus, etc.

DIE 15 DECEMBRIS 1936

Sacra Paenitentiaria Apostolica, vigore facultatum a Ss.mo D. N. Pio Pp. XI sibi tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces in perpetuum absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevis expeditione. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

De mandato E.mi

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens*

I. Rossi, *Secretarius*

ANNOTATIONES

Vide supra, p. 194 ss.; speciatim vero p. 201 s.

ACTA SUMMATIM RELATA

31 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Bulla *Ad Catholicum nomen,* 7 iul. 1936, ex Vicariatu Ap.co de *Ichang* in Sinis civiles districtus integri distrahuntur de *Kien-lin, Shichow, Kung-An, Sung-Tze,* nec non pars districtus de *Kiang-lin,* ad orientem sita lineae, quae a Turre (Pao-ta) de *Shasi* usque ad *Pontem Pe-Lin-K'Iao* ducatur, inde autem ad Plateam *Tsao-Shi,* quae ad Vicariatum de *Ichang* pertinebit, ac denique secus ad Canalem versus Lacum *Chang-Hou.* Quod quidem territorium ita definitum in novam erigitur Praefecturam Apostolicam « *de Sha-Si* », ab huius urbe nominis appellandam ac Fratrum Minorum Ordinis curis committendam (*AAS* XXIX (1936) p. 21 s.).

B — Bulla *Ad maiorem,* 7 iul. 1936, a Vicariatus Ap.ci de *Weihweifu* territorio civiles subpraefecturae de *Tsinyang, Tsiyüan, Menghsien, Wenhsien, Poai, Wuchih, Siuwu, Hwokia, Sinsiang, Yangwu, Yüanwu* et *Fengkiu* separantur et nova exinde Praefectura Apostolica erigitur et constituitur atque *de Siansiang,* ab urbe eiusdem nominis, nuncupatur et Societati Verbi Divini concreditur (*AAS* XXIX (1936) p. 23 s.).

C — Epistola *Biennio ante,* 8 nov. 1936, ad Em.um P. D. Gulielmum Tit. S. Clementis S. R. E. Presb. Card. O'Connell, Archiep. Bostoniensem, quinque abhinc lustra ab Purpuratorum Patrum ordinem adlectum, SS. D. benevolentiam laetitiamque Suam ei patefaciens, proximam faustitatis opportunitatem iucunde nanciscitur, ut de gravissimo ab eo naviter peracto munere gratuletur et felicissima quaeque ei cunctoque eius gregi a divina liberalitate adprecetur (*AAS* XXIX (1937) p. 10).

D — Epistola *Peragenti tibi,* 18 nov. 1936, ad Em.um P. D. Ianuarium Episcopum Ostiensem et Albanensem S. R. E. Card. Granito Pignatelli Di Belmonte, Sacri Col-

legii Decanum eundemque S. Congr. Caeremonialis Praefectum, quinque et viginti ante annos in supremum Ecclesiae senatum feliciter relatum, SS. D. cum eo vehementer collaetatur et paterna animi Sui vota atque omina profitetur (*AAS* XXIX (1937) p. 11).

E — Epistola *Iucunda alia,* 18 nov. 1936, ad Em.um P. D. CAIETANUM Tit. S. Agathae S. R. E. Presb. Card. BISLETI, eundemque S. Congr. de Seminariis Studiorumque Universitatibus Praefectum, vigesimo quinto appetente anno a Romana purpura suscepta, SS. D. praesentem faustitatis opportunitatem studiose amplectitur, ut ei paterne, de sedulitate eius atque industria in omnibus et singulis oneribus, gratuletur et iucundi eventus celebrationem Suis votis ominibusque adaugeat (AAS XXIX (1937) p. 12).

F — Epistola *Intima animi commotione,* 30 dec. 1936, ad Em.um P. D. DOMINICUM Tit. S. Caesarei in Palatino, Diaconum Card. MARIANI, administrationi bonorum Ap.cae Sedis praepositum, dena lustra sacerdotii explentem, SS. D. eius erga Ecclesiam promerita enumerans, opportunitatem nactus, de emensis laboribus ei libenter gratulatur et felicissima quaeque a Deo etiam atque etiam ominatur (*AAS* XXIX (1937) p. 28).

G — Litterae de Ecclesiis:

1 - Brevi *Allatum ad Nos,* 29 aug. 1936, templum ad honorem Beatae Mariae Virginis in « Ceignac » Deo dicatum intra fines dioecesis Ruthenensis, titulo ac dignitate Basilicae Minoris, omnibus adiectis iuribus privilegiisque rite competentibus, condecoratur (*AAS* XXIX (1937) p. 25).

2 - Brevi *Inter praeclara,* 24 sept. 1936, Ecclesia Collegiata sub titulo Beatae Mariae Virginis de « Klosterneuburg » prope Vindobonam exsistens, artis operibus celeberrima ac praesertim Sancti Leopoldi reliquiis quae ipso in loco pie devoteque servantur, titulo ac dignitate Basilicae Minoris augetur (*AAS* XXIX (1937) p. 26 s.).

32 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 6 iun. 1936, districtus *Langanam, Zimigui, Cayapa* et districtus ab aquis fluminis *Malig* irrigatus, cum clero et fidelibus ibi legitime exsistentibus, a dioecesi Novae Segobiae dismembrantur et dioecesi Tuguegaraoanae per-

petuo incorporantur; mutatis hac ratione finibus utriusque dioecesis (*AAS* XXIX (1937) p. 29).

2 - Decreto 24 oct. 1936, insula, cui nomen « Pasqua », in Oceano Pacifico sita et ab oris Reipublicae Chilenae duorum millium et amplius chilometrorum spatio distans, ab Archidioecesi S. Iacobi de Chile dismembratur et Vicariatui Ap.co de Araucania incorporatur (*AAS* XXIX (1937) p. 30).

3 - Decreto 28 nov. 1936, pagi *Ispina* et *Krzykowka* a paroecia *Niepołomice* et ab archidioecesi Cracoviensi separantur atque paroeciae *Grobla* et dioecesi Tarnoviensi perpetuo tribuuntur (*AAS* XXIX (1937) p. 31).

33 - Provisio Ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

30 dec. 1936, R. D. Bartholomaeus Mangino, cathedrali ecclesiae Muranae.

30 dec. 1936, R. D. Nicolaus Canino, cathedrali ecclesiae Oppidonensi.

30 dec. 1936, R. D. Iosephus McCormack, cathedrali ecclesiae Hagulstadensi-Novocastrensi.

23 ian. 1937, R. D. Fridericus Pezzullo, cathedrali ecclesiae Policastrensi.

1 febr. 1937, Exc. P. D. Petrus Durieux, metropolitanae ecclesiae Chamberiensi.

1 febr. 1937, R. D. Iosephus Evrard, cathedrali ecclesiae Meldensi.

34 - Necrologium

20 ian. 1937, D. Michael Gallagher, episcopus Detroitensis.

21 ian. 1937, D. Petrus Aziz Hoh, episcopus Zachuensis Caldaeorum.

25 ian. 1937, D. Patritius Finegan, episcopus Kilmorensis.

28 ian. 1937, D. Raymundus Pérez y Rodríguez, Patriarcha Indiarum Occidentalium atque episcopus Gadicensis et Septensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex Libris

John Carroll Glynn, J. C. L., *The Promoter of Justice.* His Rights and Duties. A Dissertation. (The Catholic University of America Canon Law Studies, N. 101), Washington, D.C. (The Cath. Univ. of America) 1936, 15,5×23 cm., xx-337 p.

Foreword - Multiplicity of Names - The Office of the Promoter of Justice - Historical Conspectus (The Earliest Beginnings of the Office of the Promoter - The Procedural Developments Which Gave Rise to the Office - The Historical Vestiges of the Office in the Ecclesiastical Judicature) - Commentary on the Legislation of the Code (Some General Notions in Connection with the Office of the Promoter of Justice - The Promoter of Justice in the Criminal Proceedings - The Promoter of Justice and Matrimonial Proceedings - The Promoter of Justice in Other Contentious Proceedings - The Rights and Duties of the Promoter of Justice in the Prosecution of Those Causes Which Pertain to the Public Good) - Bibliography - Alphabetical Index.

Louis Lajoie, C. J. M., *Au seuil de l'Éternité.* Exercices de préparation à bien mourir (A l'école de St. Jean Eudes. I), Paris (Téqui) 1936, 12×19 cm., viii-85 p.

De la Préparation à la mort - Soumission et abandon à la divine volonté - De l'action de grâces - De la confession et de la satisfaction des péchés - De la Sainte Communion - De l'Extrême-Onction - Du Testament de Jésus et du nôtre - Du dernier jour, de l'agonie et de l'instant de la mort - Du Jugement particulier - La Mort et la Sépulture - Notre entrée dans le ciel.

Abbé Lusseau et Abbé Collomb, *Manuel d'Études Bibliques,* rédigé conformément aux directives données par S. S. Pie X aux professeurs d'Écriture Sainte, Lettre apostolique « Quoniam in re biblica » (27 mars 1906). *Tome troisième* (Ie partie): Les livres didactiques. Paris (Téqui) 1936, 14×22,5 cm., 360 p., pretium: fr. 25.

Introduction générale aux livres didactiques (Le Livre de Job - Le Livre des Psaumes - Le Livre des Proverbes - Le Livre de l'Ecclésiaste - Le Cantique des cantiques - Le livre de la Sagesse - Le Livre de l'Ecclésiastique - Aperçu général sur la doctrine des cinq livres dits de Salomon).

Jacques Maritain, *La Philosophie de la Nature.* Essai Critique sur ses frontières et son objet (Cours et Documents de Philosophie), Paris (Téqui) s. d., 14×22,5 cm., 146 p.

Préface - La conception des anciens et ses difficultés - La conception positiviste de la science et ses difficultés - Positions thomistes sur la philosophie de la nature.

E. Peillaube, *Caractère et Personnalité.* Publié par Ch. Eyselé. (Cours et Documents de Philosophie), Paris (Téqui) 1935, 14×22,5 cm., VIII-222 p.

Le Caractère (Tempérament, caractère, personnalité - Les bases physiques du caractère - Les forces qui concourent à la formation du caractère: l'hérédité; l'habitude; imitation; attraction psychique; profession; imagination - La plasticité du caractère) - La Personnalité (La personnalité - La volonté libre - Comment on apprend a vouloir - Souveraineté de la volonté par l'image et l'idée).

M. T.-L. Penido, *La Conscience Religieuse.* Essai systématique suivi d'illustrations (Cours et Documents de Philosophie), Paris (Téqui) 1935, 14×22,5 cm., VI-251 p.

Avant-propos - De la Psychologie religieuse (Les trois categories de psychologie religieuse - L'étude empirique de la conscience religieuse) - Contribution à la typologie générale de la conversion religieuse chrétienne (Typologie génétique - Typologie structurale - Notion analogique de la conversion) - Théories pathologiques de l'ascétisme (L'ascétime sain - L'ascétisme morbide - Les paralogismes de P. Janet - Recours à la psychanalyse) - Sur l'intuition « naturelle » de Dieu (Le problème - Essai de solution) - Autour de Marie de l'Incarnation (Indications biographiques - Sur la santé morale de Marie de l'Incarnation - Sur l'itinéraire mystique de Marie de l'Incarnation) - Index onomastique.

Fritz Vogt, *Das Ehegesetz Jesu.* Eine exegetisch-kanonische Untersuchung von Mt 19,3-12; 5,27-32, Mk 10,1-12 und Lk 16, 18, Freiburg im Breisgau (Herder und Co. G.m.b.H.) 1936, 14,5×23 cm., VIII-186 p.

Der exegetische Befund in Mt 19,3-12 (Das Problem des Anschlusses von V. 11-12 - Die im Zusatze von V. 9 vorliegende Schwierigkeit und die Lösungsversuche der Exegese - Der Anschluss von V. 11-12 an V. 9) - Der exegetische Befund in Mt 5,27-32 (Der Sinn von V. 27-30 - Die exklusive Auffassung des Zusatzes von V. 32, der Sinn der beiden Halbverse des letzteren und ihr Verhältnis zueinander - Der inklusive Sinn des Zusatzes - Mein Lösungsversuch) - Der exegetische Befund in Mk 10,2-12 (Der Mk-Text 10,2-9 im Vergleich mit dem Mt-Text 19,3-9 - Die zweite Besprechung Jesu mit den Jüngern in Mk 10,10-12 im Vergleich mit der ersten Besprechung in Mt 19,10-12) - Der exegetische Befund in Lk 16,18 und die Parallelität des Verses zu Mt 5,32 - Zusammenfassung.

Francesco Saverio Calcagno, S. J., *Ascetica Ignaziana*, parte prima: « *Documenta* » ossia principi di Teologia Ascetica contenuti negli Esercizi Spirituali di S. Ignazio di Loyola, Torino-Roma (Marietti) 1936, 12,5×20 cm., 478 p., pretium: L. it. 12.

Prefazione. - Notizie e questioni generali intorno agli Esercizi Spirituali di S. Ignazio (Testo e Versioni degli Esercizi - Fonti degli Esercizi spirituali - Direttorio e Commentari degli Esercizi - Analisi degli Esercizi - Giudizio dei Sommi Pontefici intorno agli Esercizi di S. Ignazio - Giudizio dei Santi intorno agli Esercizi - Accuse contro gli Esercizi - Falsificazioni degli Esercizi - Giusti adattamenti degli Esercizi - Come prepararsi a dar bene gli Esercizi - Documenti o principi di Teologia Ascetica contenuti negli Esercizi di S. Ignazio) - Testo delle Annotazioni - Spiegazioni delle Annotazioni - Annotazioni generali - Annotazioni per il Direttore degli Esercizi - Annotazioni per colûi che fa gli Esercizi - Il « Praesupponendum » - Testo delle « Addizioni » - Spiegazione delle Addizioni - Dell'orazione mentale e dei vari metodi di farla - Dei tre modi d'orare - Dell'esame di coscienza - Della confessione sacramentale - Della santa Comunione - Regole per la discrezione degli spiriti (*Testo del Santo*) - Spiegazione della prima serie di regole per la discrezione degli spiriti - Spiegazione della seconda serie - Regole dell'elezione - Regole intorno agli scrupoli - Regole per ordinarsi nel vitto - Regole per sentire con la Chiesa (*Testo del Santo*) - Amore verso la Chiesa - Docilità di mente alle decisioni della Chiesa - Docilità di volontà ai comandi della Chiesa - Cooperare al magistero della Chiesa - Conclusione - Appendice: Lettera Enciclica del S. Padre Pio XI intorno agli Esercizi spirituali.

Idem, *eiusdem operis* Parte seconda: « *Exercitia* » ossia Meditazioni secondo i principi ascetici di S. Ignazio di Loyola, Vol. I: *Prima e seconda settimana degli Esercizi*, VIII-648 p., pretium: L. it. 25.

Introduzione - Disposizioni per far bene gli Esercizi - Prima settimana (Il Fondamento - Esercizi sui tre peccati - Esercizi sui peccati proprii - Esercizi sull'Inferno - Altri Esercizi) - Seconda Settimana (Introduzione - Regno di Christo - Meditazioni sulla vita di Gesù Cristo - Due stendardi - Tre classi di uomini - Tre gradi di umiltà - Elezione o riforma - Seguito delle meditazioni).

Idem, *eiusdem operis eiusdemque partis* Vol. II: *Terza e quarta settimana degli Esercizi*, 390 p., pretium: L. it. 25.

Terza settimana (Introduzione - Meditazioni) - Quarta settimana (Introduzione - Meditazioni - Dell'Amor di Dio) - Conclusione di tutti gli Esercizi Spirituali.

P. Francesco Neumayr, S. J., *Le Vie dello Spirito*. Traduzione del Dott. D. Giovanni Penco, Milano (Istituto di Propaganda Libraria) 1936, 11,5×16,5 cm., 148 p., pretium: L. it. 3.

Introduzione - Fine dell'uomo - Ostacoli al fine - Mezzi per servire bene il Signore - Via purgativa - Come si estirpano le radici del peccato - Come purgarci dall'attaccamento alla materia dei peccati - Come ci si purifica dai peccati veniali - Mezzi per ottenere la costanza - Regole generali - Regole particolari - Regole per ben lavorare (Azioni che riguardano il bene dell'anima - Azioni che riguardano il bene del corpo - Azioni riguardanti il nostro posto - Regole per le visite e le conversazioni - Regole di cristiana assistenza) - Regole generali per imparare a ben patire - Regole per le singole virtù - Inizio della vita unitiva - Progresso nella vita unitiva - Termine della vita unitiva.

Constantin Noppel, S. J., *Aedificatio Corporis Christi.* Aufriss der Pastoral, Freiburg im Breisgau (Herder und Co. G. m. b. H.) 1937, 15×23 cm., xii-210 p.

Einleitung (Name und Gegenstand - Abgrenzung - Einteilung) - Gemeinschaftsseelsorge (Räumliche und rechtliche Voraussetzungen - Die Grundelemente des Aufbaues der Kirche als corpus Christi: Die persönlichen Kräfte; Die baulichen Mittel des Hirtenamtes; Mittel zur Herstellung lebensvoller Verbindung von Hirt und Herde - Aufbau und Wachstum der Kirche: Im Rahmen der Pfarrgemeinde; Von der Pfarrei zur Weltkirche) - Die Einzelseelsorge (Ziel und Aufgabe, Geist und Träger - Eingliederung des einzelnen Gläubigen in die Kirche und seine Festigung als Glied Christi durch die heiligen Sakramente - Die pastorelle Anleitung der einzelnen zum Streben nach Vollkommenheit - Die Führung der an Leib oder Seele Schwachen und Kranken - Die Unerreichbaren, im Glauben Getrennten) - Auswahl der einschlägigen Literatur - Register.

Pitman B. Potter, *Doctrines Américaines de Droit International.* Bulletin N. 1-2 - 1937, Publications de la Conciliation Internationale, Paris (Centre Européen de la Dotation Carnegie) 1937, 12,8×20 cm., 138 p.

Doctrines américaines de droit international (Analyse et histoire - Bases et Accueil - L'Isolement de l'Amérique: un mythe - La Politique américaine de 1896 à 1936 - Les Dix dernières Années (1926-1936) - La légende de l'Isolement Américain (Notre politique nationale de collaboration internationale. La légende et les faits) - Lutte contre les obstacles qui s'opposent à des relations plus nombreuses et plus libres - Au travail pour la réalisation d'une collaboration internationale - La légende de l'Isolement démentie par l'activité diplomatique de l'Amérique - Fausse idée de la politique de neutralité - Fausse interprétation de la politique de non-alliance - La Doctrine de Monroë faussement interprétée - La théorie et la pratique de la diplomatie américaine 1825-1900 - Récapitulation.

Dr. Paul Schaeper, *Neues Leben.* Gedanken zur religiösen

Erneuerung im Lichte der Katholischen Aktion, Paderborn (Ferdinand Schöningh) 1937, 15,5×23 cm., 88 p.

Vorwort - Einführung: «... dass sie das Leben haben!» - Drei allgemeine Aufgaben (Weckung und Vertiefung apostolischer Gesinnung - Eucharistische Erneuerung - Vertiefung des religiösen Wissens) - Drei besondere Aufgaben (Durchführung der rechtzeitigen Erstkommunion - Vorbereitung auf das heilige Sakrament der Ehe - Erziehung in der Familie) - Schlusswort - Anhang.

II - Ex Periodicis

APOLLINARIS IX (1936), fasc. 4 — Dr. IOHANNES HARING, *Vis ac momentum Instructionis S. C. de Sacramentis diei 15 augusti 1936*, p. 593-4. — IOHANNES CAVIGIOLI, *De origine paroeciarum ruralium*, p. 595-9. — PIUS CIPROTTI, *De querela partis laesae in iure canonico*, p. 600-14. — IOSEPHUS JOHNSON, *Ius vigens de processibus matrimonialibus exceptis*, p. 615-39.

LA CITE CHRETIENNE XI (1937), fasc. 243 (5 Ian.). — Abbé JACQUES LECLERCQ, *Le double plan de la morale humaine*, p. 130-3. — Abbé J. DE KEULENAER, *Réflexions sur la valeur et la lecture de la Bible*, p. 133-4.

ID. XI (1937), fasc. 245 (5 Mart.). — EMILE ARNOULD, *Pour la moralité au travail: Jeunesse nouvelle*, p. 267-9.

THE CLERGY REVIEW XIII (1937), fasc. 2 (Febr.) - EDWARD QUINN, *Peace and the Clergy*, p. 43-52.

COLLATIONES GANDAVENSES XXXI (1937), fasc. 1 (Ian.) — L. DE KESEL, *De praeparatione et oblatione calicis in Missa*, p. 38-43.

COLLATIONES NAMURCENSES XXXI (1937), fasc. 1 (Ian.) — G. KOERPERICH, *De requisitis a ministro sacramentorum*, p. 1-10. — E. RANWEZ, *«Non obligat cum tanto incommodo»*, p. 11-5.

COLLATIONES TORNACENSES LXXXI (1937), fasc. 4 (Mart.) — A. PASTURE, *Les dîmes paroissiales: X. La compétence pastorale*, p. 236-58.

COLLECTANEA COMMISSIONIS SYNODALIS X (1937), fasc. 2 (Febr.) — J. RUTTEN, *C.I.C.M., Union Catholique Internationale du Service Social*, p. 123-36.

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS XVIII (1937), fasc. 1 (Ian.-Febr.) — ARCADIUS LARRAONA, C. M. F., *De impedimentis ad*

Novitiatum, pag. 10-15. — PHILIPPUS MAROTO, C. M. F., *De proprietatibus regulae*, p. 26-36. — AUGUSTINUS PUGLIESE, *De Missione* sui iuris *eiusque Praelato* (contin.) p. 37-44. — ANTONIUS PEINADOR, C. M. F., *De transgressione ex contemptu obligationum religiosarum* (contin.), p. 45-53.

JUS PONTIFICIUM XVI (1936), fasc. 3-4 — A. TOSO, *De hodierna disciplinae canonicae conditione*, p. 131-7. — A. VAN HOVE, *Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii (can. 63)*, p. 138-51. — A. VILLIEN, *De consuetudine praeter legem*, p. 152-6. — F. CLAEYS BOUUAERT, *De conceptu erroris communis in can. 209*, p. 157-64. — Doct. A. A LANGASCO, *De natura iuridica et regimine scholarum internarum religiosorum*, p. 165-81. — A. CRNICA, O. F. M., *De lacunis legis supplendis ad normam Codicis i. c.*, (contin.), p. 182-98. — S. ROMANI, *De beneficiis paroecialibus conferendis*, p. 210-6. — A. BREMS, *De interpretatione authentica Codicis i. c.*, p. 217-56.

BENEDIKTINISCHE MONATSCHRIFT XIX (1937), fasc. 1-2 — P. DAMASUS ZÄHRINGER, *Die Liturgie als lebendige Wirkform des mystischen Leibes*, p. 3-27.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXII (1937), fasc. 1 (Ian.) — M. PISTOCCHI, *De superiore potestatem coactivam habente* (contin.), p. 11-6. — SILVIO ROMANI, *A proposito di Diritto Concordatario e di Diritto Ecclesiastico e di altre cose ancora...*, p. 22-7. — *r., Note pratiche sull'amministrazione del patrimonio ecclesiastico*, p. 27-9.

ID. LXII (1937), fasc. 2 (Febr.) — M. PISTOCCHI, *De superiore potestatem coactivam habente* (contin.), p. 35-41. — *r. s., La custodia della SS. Eucaristia (can. 1265)*, p. 41-2. — Mons. Dott. ALESSANDRO ADAMI, *Vicario cooperatore e matrimonio*, p. 61-2.

PERFICE MUNUS XII (1937), (25 Ian.) — * * * *Ricominciamo da capo*, p. 5-6. — * * * *La distribuzione della Comunione nei giorni festivi*, p. 6-7.

PALESTRA DEL CLERO XVI (1937), vol. 1, fasc. 2 (10 Ian.) — Mons. G. BUTTIGNONI, *De absolutione complicis*, p. 34-6.

ID. XVI (1937), vol. I, fasc. 7 (1 Mart.) — Sac. A. MANCINI, S. S., *In re matrimoniali*, p. 151-2.

PASTOR BONUS XLVII (1937), fasc. 11-12 (Febr.-Mart.) — Prof. Dr. KETTER, *Urchristliches Frauenapostolat*, p. 338-44. — Dr. WOLFRAM GAMBER, *Das Fest der Erscheinung des Herrn*, p. 353-8.

THEOLOGISCH-PRAKTISCHE QUARTALSCHRIFT XC (1937), fasc. 1 — D. Dr. A. EBERLE, *Die letzten Grundlagen der Sittlichkeit*, p. 19-32. — Dr. MYRON KORNYKEWITSCH, *Die Russenehen und der can 1098, C. J. C.*, p. 32-54. — Prof. Dr. P. PETER SCHMITZ, S. V. D., *Die seelsorgliche Situation der Familie in der Gegenwart*, p. 54-72. — Prof. Dr. FRANZ TRIEBS, *Lose Blätter zum kanonischen Prozess*, p. 72-84. — Dr. SCHINKE, *Anzeigen und Beschwerden über Geistliche und ihre Erledigung auf dem einfachen kirchlichen Verwaltungswege*, p. 98-104. — P. J. B. RAUS, C. Ss. R., *Mindestpreis und Höchstpreis mit Verdrängung der Konkurrenten*, p. 104-8. — P. Dr. PAX LEITNER, O. F. M., *Gültigkeit der Taufe*, p. 108-10. — Stadtpfarrer Dr. SCHINKE, *Zum dispensgesuch bei Mischehen*, p. 113-8. — P .GERARD OESTERLE, O. S. B., *Konversion und Kautelenleistung*, p. 118-22. — RUD. FATTINGER, *Die Beschaffung der liturgisch vorgeschriebenen Wachskerzen*, p. 122-6. — P. BEDA DANZER, O. S. B., *Reliquienverehrung*, p. 127-30. — Prof. Dr. JOH. HARING, *Der Promotor iustitiae als Ankläger in Eheprozessen*, p. 133-5. — Prof. Dr. JOH. HARING, *Kann ein Eheprozess durch ein anderes kirchliches Gericht weitergeführt werden?*, p. 135-6.

REVUE ECCLESIASTIQUE DE LIEGE XXVIII (1937), fasc. 4 (Ian.) — E. MOUREAU, *La liturgie et notre peuple*, p. 209-19.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN XXXVII (1937), fasc. 1 (Ian.) — Dr. SEB. TROMP, S. J., *Het wezen der Katholieke Aktie*, p. 3-16. — P. ALEXANDER, O. M. Cap., *Katholieke Actie en Priester*, p. 17-24. — Dr. W. KOENRAADT, *Katholieke Actie en Sociale Vereenigingen*, p. 25-31. — Dr. L. BUYS, C. ss. R., *Katholieke Actie en Godsdienstige Vereenigingen*, p. 32-40. — Dr. W. MULDER, *Katholieke Actie en Politiek*, p. 41-6.

ID. XXXVII (1937), fasc. 2 (Febr.) — F. FRENCKEN, *De Katholieke Actie en de Jeugd*, p. 50-7. — Dr. SEB. TROMP, S. J., *Opbouw eener Nationale Katholieke Actie*, p. 58-72. — Dr. P.H.M. DE JONG, *Lectuur over de Katholieke Actie*, p. 72-81. — Dr. H. BEIJERSBERGEN, S. J., *Een casus over de Gelofte van Armoede*, p. 83-9.

MONUMENTA

35 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Litterae Apostolicae 6 augusti 1936

PEREGRINATIONIBUS AD SANCTAM LAURETANAM DOMUM QUAEDAM PRIVILEGIA INDULGENTIAEQUE TRIBUUNTUR, PRAETER EA QUAE PEREGRINATIONIBUS IN PALAESTINAM ET AD SANCTUARIUM LOURDENSE PER LITTERAS APOSTOLICAS DIE XVII M. IANUARII AN. MCMV DATAS CONCESSA FUERUNT

(*AAS* XXIX (1937) p. 50 ss.)

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Romani Pontifices Decessores Nostri pias christifidelium ad potiora Christiani Ordis Sanctuaria peregrinationes singulari studio iugiter prosequuti sunt, easque peculiaribus gratiis et privilegiis praecipue spiritualibus auxerunt. Quapropter, cum nationalis italici pro Palaestina ac Lourdensi Sanctuario Comitatus Praeses hodiernus Nos enixe rogaverit ut piis etiam peregrinationibus ad Sanctam Lauretanam Domum privilegia indulgentiasque tribuere dignemur, quae iam Apostolicis sub Anulo Piscatoris Litteris, die XVII mensis ianuarii anno MCMV datis, pro peregrinationibus in Palaestinam et ad Sanctuarium Lourdense concessa sunt, Nos, auditis Sacris tum de Sacramentis tum Concilii Con-

gregationibus, nec non Sacra Apostolica Poenitentiaria, postulationibus huiusmodi annuendum ultro libenterque censemus. Itaque hisce Litteris Apostolicis atque auctoritate Nostra favore peregrinationum, quas memoravimus, ad Sanctam Domum Lauretanam concedimus ut quoties, propter nimiam peregrinorum frequentiam, multitudo fidelium in ecclesiis recipi nequeat, Sanctum Missae Sacrificium sub divo peragi possit, dummodo ad praecavendam fragmentorum dispersionem, altare, in quo Missa litanda erit, tribus a lateribus tegatur tabulis, vel super idem altare, quo ipsum a ventis protegatur, tentorium adsit obductum ad tria eiusdem altaris latera iuxta aediculae formam descendens, vel alia quoque ratione id fiat, quae cum reverentia tanto Mysterio debita consentanea sit. Praeterea, Commissionis Pontificiae ad Codicis Canones authentice interpretandos responsioni circa can. 883 die xx m. maii an. MCMXXIII datae derogantes, omnibus et singulis presbyteris peregrinis, a die primo discessus ad diem domum reditus inclusive, nec non pro toto tempore, quo navis in portibus consistat, absque inducíarum huius stationis limite, facultatem facimus excipiendi sacramentales confessiones sociorum e quavis dioecesi peregrinorum, dummodo ipsi sint ad confessiones excipiendas canonice probati, et quod ad mulierum confessiones debitae cautelae adhibeantur; presbyteris vero confessariis, ad hoc ab ipso peregrinationis Moderatore designatis, confessiones etiam nautarum navi addictorum, aliorumque, qui forte velint sese admissorum sacramentali confessione expiare, recipiendi facultatem largimur, pro parte quae Canonis memorati C. I. C. 883 ambitum excedit. Pari autem Nostra auctoritate veniam facimus ex qua, maritimo itinere durante, dummodo adhiberi queant debitae, quae ad securitatem et dignitatem spectent, cautelae, plures, moderatoris arbitrio, Missae celebrentur, atque intra Sacrificii actionem, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum a presbytero ibidem Sacris operante liceat,

ex universo Ecclesiae indulto, adstantibus diriberi. Insuper omnibus ad quos spectat largimur, ex prudenti moderatoris peregrinationis arbitrio, facultatem Sacramentum augustum adservandi, benedictionem cum Eodem impertiendi, Illudque in sacris pompis circumferendi, servatis iugiter debitis quoad conveniens decus et securitatem cautelis. Praeterea cum nihil Nobis antiquius sit quam ut Opus tam frugiferum uberiora capiat incrementa, spiritualibus quoque Indulgentiarum muneribus illud locupletandum censemus. Ideoque ex omnipotentis Dei misericordia et beatorum eius Apostolorum Petri ac Pauli auctoritate confisi, die discessus ac die reditus cuiusque peregrinationis ad Sanctuarium Lauretanum, et uno alio die a peregrinationis Moderatore, ipsa durante, designando, omnibus christifidelibus ex utroque sexu, qui vel peregre iter faciant, vel precibus aut alio pio opere peregrinantibus sese spiritu socient, dummodo Eucharisticis dapibus se reficiant, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, *Plenariam Indulgentiam* misericorditer in Domino concedimus. Veniam quoque facimus lucrandi indulgentias Sanctuarii Lauretani proprias, etiamsi propter nimiam peregrinorum frequentiam vel ex alia rationabili causa Missa inibi fiat sub divo; et, servatis servandis, expressam ad hoc facultatem Apostolica Nostra auctoritate tribuimus. Indulgentias insuper Viae Crucis seu Calvariae, vel in maritimo vel in terrestri itinere concedimus, dummodo pia exercitatio fiat turmatim, praecedente tantum lignea Cruce rite benedicta. Commoditatibus autem christifidelium peregrinorum prospicientes, dispensationem a ieiunio atque ab obligatione ciborum quadragesimalium toto itinere, remoto scandalo, largimur hisce in peregrinationibus, dummodo peregrini iisdem diebus vel adsint Missae, vel per horae quadrantem piae meditationi vacent, aut tertiam Rosarii partem recitent. De-

nique in huiusmodi etiam peregrinationibus Lauretanis a die primo discessus ad novissimum reditus diem inclusive Sacerdotibus peregrinantibus Breviarii recitationem in illam solidi Rosarii benigne commutamus. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec concedimus, largimur ut Peregrinationes Lauretanae in animorum salutem bene vertant, atque amor cultusque christifidelium erga Sanctissimam Virginem Dei Genitricem Mariam potissimum in Sacra Lauretana Domo, tot tantisque fidei documentis celeberrima, magis magisque in dies succrescant; decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Castri Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die VI m. augusti, an. MCMXXXVI, Pontificatus Nostri decimo quinto.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIONES

Privilegia his Litteris Apostolicis peregrinationibus ad Sanctam Lauretanam domum concessa sunt quaedam amplificatio privilegiorum peregrinationibus in Palaestinam et ad Sanctuarium Lourdense iam concessorum. Porro, ad sequentia capita reduci possunt:

A - *Privilegia circa Missam et Asservationem Ss.ae Eucharistiae*

1 - Conceditur facultas celebrandi Missam *sub divo*, quotiens propter nimiam frequentiam peregrinorum multi-

tudo fidelium in ecclesiis recipi nequit. Iuxta can. 822 § 1, missa celebranda est super altare consecratum in *ecclesia*, vel *oratorio;* et loci Ordinarius licentiam celebrandi extra ecclesiam vel oratorium concedere potest tantum iusta ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus (can. 822 § 4). Die autem 26 iul. 1924, Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum ab Ordinariis Italiae interrogata quamnam regulam sequi debeant in concedenda facultate celebrandi sub divo, responsum dedit sat severum, asserens facultates Ordinariorum in hac re esse satis angustas, cum non possint eas exercere nisi in aliquo casu extraordinario nec sine iusta et rationabili causa, et vult ut disciplinares istae normae cum debito rigore inculcentur et serventur ut religiosus populi sensus sublimior fiat ac purior; et pro amplioribus facultatibus recurrendum ad Congr. de Disciplina Sacramentorum, cui soli competit dispensationes hac in re concedere (1).

In concedenda hac facultate quaedam tamen apponitur condicio, nempe omnino curandum est ut altare efficaciter a ventis protegatur, vel illud tribus a lateribus tegendo, vel super illud tentorium obducendo ad tria eiusdem altaris latera iuxta aediculae formam descendens, vel alia quavis ratione cum reverentia tanto mysterio debita consentanea ad praecavendam scilicet fragmentorum dispersionem. Item, curandum ut semper ardeant cerei numero praescripto. Et, cum ipsa reverentia huic mysterio debita tales exigat cautiones, patet illas numquam negligi posse, quacumque ex causa Missa sub divo sit celebranda.

2 - Datur facultas celebrandi *in mari*. Regulariter ut Missa celebrari possit in mari requiritur Indultum Apostolicum, nec sufficit privilegium altaris portatilis quo facultas fit celebrandi utique in loco honesto (c. 822 § 1). De iure tamen Cardinales (can. 239 § 1, 8°) et Episcopi (can. 349 § 1, 1°) id facere possunt, debitis cautelis adhibitis. Idem privilegium ergo conceditur sacerdotibus peregri-

(1) *AAS*, 1 sept. 1924, 16, 370. - *Periodica*, 13 (1923) p. 158.

nantibus ita ut durante toto itinere arbitrio moderatoris, cuius est curare ut debitae adsint cautelae, singulis diebus sacerdotes plures, immo omnes, cum nulla habeatur restrictio, Missae sacrificium in mari offerre possint; ac proin, ex generali lege (can. 869) intra Sacrificii actionem a presbytero litante adstantibus SS. Communio deriberi potest.

3 - Contra praescriptum can. 1265 quod prohibet servare SS. Eucharistiam extra ecclesias, illamque apud se retinere aut secum in itinere deferre, conceditur facultas SS. Sacramentum in navi *asservandi,* benedictionem cum eodem impertiendi, illudque in sacris pompis circumferendi, servatis debitis cautelis quod ad conveniens decus et securitatem; nempe SS. Sacramentum servari debet in tabernaculo bene clauso, super altare posito et decenter ornato, nec umquam ante illud lumen deficere poterit.

B - *Privilegia circa Confessionem*

Ex iure communi omnes sacerdotes, dummodo facultatem acceperint audiendi confessiones sive a proprio Ordinario loci (2), sive ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, sive ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, possunt rite absolvere omnes secum navigantes, non solum in ipso itinere, sed etiam quando navis consistit in portu, immo omnes qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant. Hoc tamen ex Responso Pontificiae Commissionis de Codice interpretando, non ultra triduum, si Ordinarius loci facile adiri possit (3).

Hoc privilegio duplex tollitur restrictio:

a - Singuli presbyteri peregrini, dummodo ad confessiones excipiendas canonice sint probati, possunt con-

(2) Resp. Pont. Comm. de Codice interpretando 30 iul. 1934. - *AAS*, 1 aug. 1934 XXVI, p. 494; *Periodica* XXIII, n. 51, p. 142.

(3) Resp. 20 maii 1923. *AAS*, 1 mart. 1924, XVI, p. 114; *Periodica* XIII, n. 13, p. 78.

fessiones sociorum peregrinorum audire a primo die discessus usque ad diem reditus inclusive non solum in mari, sed etiam toto tempore quo navis in portibus consistat *absque induciarum huius stationis limite.*

b - Presbyteri confessarii, ab ipso peregrinationis moderatore designati, possunt confessiones audire nautarum et aliorum qui forsan velint ipsis confiteri *etiam si ab Ordinario non fuerint approbati.*

Attendas autem ad clausulam de cautelis adhibendis in confessione mulierum, pro quibus ergo standum est can. 910.

C - *Privilegium circa recitationem Breviarii*

A die primo discessus usque ad novissimum diem reditus inclusive sacerdotes peregrinantes (et idem dicendum videtur de aliis qui ad Breviarium tenentur) pro Breviario recitare possunt solidum, hoc est integrum Rosarium, seu quindecim decades.

D - *Privilegium circa abstinentiam et ieiunium*

Peregrini omnes, toto peregrinationis tempore, dispensantur a ieiunio et obligatione ciborum quadragesimalium, dummodo id fieri possit sine scandalo, et ille, qui hac facultate utitur, hac die vel Missae assistat, vel per horae quadrantem piae meditationi vacet, vel tandem tertiam Rosarii partem recitet; non requiritur meditatio mysteriorum, sed sufficit recitatio quindecim decadum.

E - *Privilegia quod ad Indulgentias*

1 - Indulgentia plenaria conceditur lucranda ab omnibus Christifidelibus ex utroque sexu qui vel ipsi peregre iter faciunt, vel precibus aut alio pio opere peregrinationibus spiritu se sociant: tum die discessus, tum die reditus uniuscuiusque peregrinationis ad Sanctuarium Lauretanum, tum tandem alio die a peregrinationis moderatore,

ipsa durante, designando. Condiciones sunt Sacra Communio, quae ex can. 931 § 1 peragi etiam potest vel in pervigilio, vel infra subsequentem totam octavam, et Oratio ad intentionem Summi Pontificis, hoc est: pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione. Ex decreto Sacrae Paenitentiariae 20 sept. 1933 (4) sufficit recitatio unius *Pater, Ave, Gloria,* etsi ad normam can. 934 § 1 unicuique liberum sit quamcumque aliam orationem recitare iuxta uniuscuiusque pietatem et devotionem erga Romanum Pontificem. Non requiritur Confessio (nisi evidenter in quantum haec necessaria sit ad rite communicandum), nec visitatio ecclesiae.

2 - Indulgentias Sanctuarii Lauretani proprias omnes lucrari possunt, etiam extra Sanctuarium, quotiens propter nimiam peregrinorum frequentiam vel ex alia rationabili causa Missae celebrentur sub divo.

3 - Ad lucrandas indulgentias Viae crucis, tam in itinere maritimo quam in terrestri, sufficit ut pia exercitatio fiat turmatim praecedente lignea Cruce rite benedicta.

Ios. Pauwels, S. I.

36 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Motu Proprio 20 februarii 1937

QUAEDAM CAUSAE CIVILES, QUAE PERSONAS AULAE PONTIFICIAE RESPICIUNT, COMPETENTIAE SUBICIUNTUR COMMISSIONIS DIE XXI MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MCMXXXII INSTITUTAE

(*AAS* XXIX (1937) p. 49)

PIUS PP. XI

A parziale scioglimento della riserva della pienezza dei poteri, da Noi fatta con l'articolo 2 della Nostra Legge

(4) *AAS*, 2 oct. 1933, XXV, 44. - *Periodica*, XXII, n. 58. p. 196.

fondamentale della Città del Vaticano, 7 giugno 1929, n. 1, Noi di certa scienza e Motu-proprio disponiamo e stabiliamo che le cause civili di natura patrimoniale ed economica, concernenti la Nostra Corte, comprese le Guardie Nobile, Svizzera e Palatina, siano giudicate dalla Commissione per le cause civili di competenza del Foro Ecclesiastico, istituita con il Nostro Motu-proprio del 21 settembre 1932.

E ciò abbiamo stabilito e stabiliamo, nonostante qualunque cosa in contrario, anche se degna di speciale menzione.

Dato a Roma, presso San Pietro in Vaticano, addì venti del mese di febbraio, l'anno millenovecentotrentasette, sedicesimo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

Lege fundamentali Status Civitatis Vaticanae, edita ipso die quo Tractatus et Concordatum rata sunt habita, sc. 7 iunii 1929 PIUS XI, postquam in art. 1 edixerat: « Summus Pontifex, Suprema Auctoritas (Sovrano) Status Civitatis Vaticanae plenitudinem habet potestatis legiferae, exsecutivae et iudicialis », in art. 2 haec disponit: « Reservata manet Summo Pontifici plenitudo potestatis quae ei pertinet, tum relate ad organa et ad tribunalia Sedis Apostolicae, secundum canones 7, 230 ad 270, 1597 ad 1607 *Codicis Iuris Canonici*, firmo manente quoad tribunalia praedicta quod disponitur art. 14 praesentis legis, tum relate ad ea omnia quae Aulam suam regiam respiciunt; etiam quoad Custodiam suam Nobilem, Palatinam et Helveticam, excepto, quoad hanc ultimam, quod art. 7 huius legis praescribitur ». (Hoc autem art. dicitur corpus militum arma-

torum [*gendarmeria*] et quadamtenus helveticorum, subesse Gubernatori Status).

Nunc vero, brevi hoc Motu Proprio Summus Pontifex derogat plenae illi reservationi art. 2 statutae atque ordinat et statuit « causas civiles natura sua patrimoniales et oeconomicas Aulam suam concernentes, inclusis iis quae respiciunt Custodiam Nobilem, Helveticam et Palatinam, iudicari debere a Commissione pro causis civilibus Fori Ecclesiastici, Motu Proprio 21 sept. 1932 instituta.

Hoc Motu Proprio (*AAS*, XXIV (1932) p. 332) art. 1 instituitur Commissio ad iudicia ordinanda et modum in eis procedendi in Statu Civitatis Vaticanae.

Art. II praescribitur modus quo interea causae civiles patrimoniales diiudicandae erunt, scilicet: per Commissionem quae constat Decano S. R. Rotae, Praeside Tribunalis primae instantiae et tertio iudice pro singulis causis nominando ab aliis duobus, aut, iis non convenientibus, ab ipso S. Pontifice. Similiter causae civiles fori laicalis Status Civitatis Vaticanae iudicabuntur a Commissione trium iudicum, quorum primus est Praeses Tribunalis primae instantiae, alter Iudex senior, tertius ut supra nominandus. Promotor iustitiae, Notarius et Cursor idem erunt atque Tribunalis primae Instantiae S. C. V.

Art. III haec inter alia habentur: « Commissiones art. II indicatae, amplam potestatem habebunt, etiam quoad modum procedendi, salvis semper debitis cautionibus pro legitima partium contendentium defensione. Omnes actus fient intra territorium Status Civitatis Vaticanae.

I. M. Restrepo R., S. I.

37 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Litterae Encyclicae *Divini Redemptoris*, 19 martii 1937

DE COMMUNISMO ATHEO

(*AAS* XXIX (1937) p. 65 ss.)

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

[1] Divini Redemptoris (*) promissio humani generis primordia illuminat; atque adeo praefidens meliorum temporum spes, quemadmodum dolorem mulsit ob amissum « paradisum voluptatis » (1), ita per afflictum trepidumque iter homines prosecuta est, usque dum, « ubi venit plenitudo temporis » (2), Servator noster adveniens, diuturni desiderii exspectationem explevit; ac novam universis gentibus cultioremque aetatem auspicatus est, quae a christiano nomine dicitur, quaeque illam in immensum propemodum evincit ac superat, quam nonnullae praestantiores nationes magna opera magnoque labore attigerant.

[2] Post miserum Adae casum, asperum virtutis certamen adversus vitiorum incitamenta ex hereditaria eiusmodi labe consecutum est; ac numquam destitit antiquus ille insidiator vaferrimus pollicitationum fallaciis mortales decipere. Quapropter per aetatis decursum alia aliam

(*) Numeri marginales, tituli et subtituli desumpti sunt, atque in latinam linguam versi, ex Encyclicae textu italico apud *AAS*, *l. c.*, p. 107 ss., vulgato.

(1) Cf. *Gen.*, III, 23.

(2) *Galat.*, IV, 4.

excepit perturbatio, donec ad praesentem rerum conversionem ventum est, quae, fere ubique terrarum, vel iam saevit, vel formidolose minitatur; quaeque insectationes omnes, quas Ecclesia perpessa est, vi magnitudineque excedere videtur. Ita quidem ut populi in id discriminis agantur, ut in barbariem recidant, deteriorem utique quam eam, in qua longe maxima pars gentium ante Divini Redemptoris adventum versarentur.

[3] Vos procul dubio, Venerabiles Fratres, iam perceptum habetis de quo minaci periculo loquamur; de *communismo* scilicet *bolscevico*, quem vocant, eodemque atheo, cuius peculiare propositum eo contendit, ut societatis ordinationem radicitus commisceat, ipsaque christianae urbanitatis fundamenta subvertat.

I

Ecclesia in Communismum quid gesserit

Praecedentes damnationes

[4] At, contra haec minacia tentamina posita, neque silere poterat, neque siluit catholica Ecclesia. Non siluit haec Apostolica Sedes, quae probe novit suum esse peculiare munus veritatem, iustitiam omniaque immortalia bona tueri, quae *communistarum* secta spernit atque impugnat. Iam inde a temporibus, cum eruditorum hominum ordines sibi sumpsere civilem cultum humanitatemque exsolvere religionis moralisque disciplinae vinculis, Decessores Nostri sui officii partes esse duxerunt conceptis verbis commonere omnes, quo haec contenderet humanae consortionis a christianis praeceptis abalienatio. Et ad *communistarum* errores quod attinet, iam anno MDCCCXLVI Decessor Noster f. r. Pius IX eos sollemniter reprobavit, reprobationemque suam subinde per Syllabum confirmavit. Hisce videlicet verbis utitur in Encyclicis Litteris *Qui pluribus*: « ... Huc [spectat] infanda ac vel ipsi naturali iuri ma-

xime adversa de *Communismo*, uti vocant, doctrina, qua semel admissa, omnium iura, res, proprietates, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur ». (3) Ac posteriore tempore alius Decessor Noster im. rec. Leo xiii hos eosdem errores per Encyclicas Litteras *Quod Apostolici muneris* (4) ita definite significanterque descripsit: « ... lethiferam pestem, quae per artus intimos humanae societatis serpit, eamque in extremum discrimen adducit »; itemque sagacis suae mentis acie demonstravit concitatam multitudinum ad atheismi placita contentionem, dum technica disciplinarum ratio tantopere efferretur, e philosophicis illis commentis originem duxisse, quae iam diu scientiam a fide vitaeque actionem ab Ecclesia segregare eniterentur.

Praesentis Pontificatus acta

[5] Nos itidem non semel per Pontificatus Nostri decursum, increscentes huius impietatis fluctus, minaciterque aestuantes instanti sollicitudine denuntiavimus. Siquidem, cum anno mdccccxxiv e Russiarum regionibus ii rediere, quos Nos ad suppetias ferendas miseramus, peculiari ad universum catholicum orbem allocutione habita (5), *communistarum* errores rationesque improbavimus. Ac per Encyclicas Litteras *Miserentissimus Redemptor* (6), *Quadragesimo anno* (7), *Caritate Christi* (8), *Acerba animi* (9), *Dilectissima Nobis* (10), christiani nominis insectationes, cum in Russia, tum in Foederatis Mexici Civitatibus, tum denique in Hispania saevientes, sollemniter expostulando conquesti sumus. Atque ea adhuc recenti memoria vigent, quae superiore anno verba fecimus, sive cum catholicarum scri-

(3) Litt. Encycl. *Qui pluribus*, d. 9 nov. 1846 (*Acta Pii IX*, vol. i, p. 13). Cf. *Syll.*, § iv (*ASS*, vol. iii, p. 170).
(4) 28 dec. 1878 (*Acta Leonis XIII*, vol. i, pp. 170-183).
(5) Alloc. 18 dec. 1924: *AAS*, vol. xvi, pp. 494, 495.
(6) 8 maii, 1928: *AAS*, vol. xx, pp. 165-178.
(7) 15 maii, 1931: *AAS*, vol. xxiii, pp. 177-228.
(8) 3 maii, 1932: *AAS*, vol. xxiv, pp. 177-194.
(9) 29 sept. 1932: *AAS*, vol. xxiv, pp. 321-332.
(10) 3 iun. 1933: *AAS*, vol. xxv, pp. 261-274.

ptionum ex universo terrarum orbe Expositionem auspicati sumus, sive cum ex Hispania profugos coram admisimus, sive etiam cum, Nataliciis adventantibus Sollemnibus, radiophonicum dedimus nuntium. Vel acerrimi ipsi Ecclesiae osores, qui Mosquâ, ex eorum urbe capite, huic adversus christianum humanitatis cultum certamini praesunt, haud intermissis eorum conatibus, non tam verbis quam reapse testantur, Summum Pontificatum, nostris quoque temporibus, non modo christianae religionis sacra tutari integra fide non destitisse, sed crebrius etiam maioreque suadendi vi, quam terrenam quamlibet publicam aliam auctoritatem, ingens *communistarum* periculum monendo denuntiasse.

Novi sollemnisque documenti necessitas

[6] Nihilo secius, quamquam Nos geminata eiusmodi paternaque hortamenta edidimus, quae vos, Venerabiles Fratres, per tot pastorales litteras, vel communiter datas, diligenter explanando, cum christifidelibus communicastis, hoc tamen discrimen, seditiosorum hominum calliditate conflatum, cotidie magis magisque ingravescit. Quamobrem officio duximus Nostram iterum efferre vocem; idque facimus per hoc maioris gravitatis documentum, quemadmodum huic Apostolicae Sedi, veritatis magistrae, moris est; eoque libentius, quod id in omnium votis per catholicum terrarum orbem esse novimus. Futurum vero confidimus ut huius vocis Nostrae sonum ii omnes volentes excipiant, qui, mente a praeiudicatis opinionibus libera, sincero animo humanae communitatis bonum expetant. Quam quidem fiduciam illud quodammodo auget, quod haec monita Nostra iis deterrimis fructibus confirmata videmus, quos Nos a subversorum opinationibus orituros denuntiando prospeximus, quique vel reapse in regionibus, ubi iidem dominantur, formidolose increbrescunt, vel ceteris gentibus minaciter impendent.

[7] Volumus igitur denuo *communistarum* inventa atque praecepta, ut praesertim per *bolscevistarum* instituta rationesque proponuntur, summatim breviterque attingere atque explanare; iisdemque inventis praeceptisque, quae fallaciam redolent, perspicuam Ecclesiae doctrinam opponere; atque iterum instanter adhortari omnes ad illa suscipienda praesidia, quibus fas sit christiani nominis culturam, in qua unâ Civitas vere humana consistere potest, a teterrimo eiusmodi flagitio non modo liberam servare ac sospitem, sed eam etiam ad germanum assequendum civilis societatis profectum, citatiore cotidie gradu provehere.

II

Communismi doctrina et consectaria

Doctrina

Consiliorum somnia

[8] Quae nostris hisce diebus *communistarum* doctrina praedicatur, potiore quodam modo, quam id genus placita superioribus temporibus invecta, fucata tenuiorum redemptionis specie profertur. Ac falsa quaedam forma iustitiae, aequabilitatis ac fraternae omnium in operando necessitudinis eorum praescripta eorumque molimina simulato mystico sensu ita pervadit, ut illectas pollicitationum fallaciâ multitudines, quasi acerrima contagione incitatas, vehementer inflammet; quod profecto facilius hac nostra aetate contingit, quandoquidem non aequam bonorum assignationem insueta non paucorum consequitur indigentia. Iactant, quin immo, atque efferunt falsam eiusmodi formam, quasi ex ea orta fuerit in oeconomicis rebus progressio: qua quidem sicubi revera frui licet, id procul dubio aliis de causis evenit; ut ex impensiore efficiendarum rerum industria in eas regiones inducta, quae eiusdem expertes fuerint; ut ex ingentibus, quas natura gignit, opibus,

nullo ad humanitatem respectu habito, quaestuosissime excultis; ut ex eo denique, quod operarii parva mercede ad gravissimos exantlandos labores dure crudeliterque adigantur.

Materiae perpetuo sese evolventis Marxismus

[9] Iamvero, quae *communistae* hodie impertiunt praecepta, captiosâ interdum allicientique specie proposita, iis reapse innituntur principiis quae de *materialismo*, ut aiunt, dialectico atque historico C. Marxius prodidit; cuius quidem disciplinae ii, qui de *bolscevismo* philosophantur, nativam gloriantur se habere unos interpretationem. Haec praescripta docent unam tantummodo esse universamque rem; materiam nempe caecis occultisque viribus conflatam, quae naturae suae decursu fiat arbor, animal, homo. Humanam etiam societatem nihil aliud esse, nisi materiae speciem vel formam, quae memorato modo evolvatur, quaeque ineluctabili quadam necessitate perpetuoque virium conflictu ad supremum exitum contendat: ad societatem nempe civium ordinibus vacuam. Patet igitur ex istiusmodi commentis ipsam aeterni Numinis notionem aboleri; patet inter spiritum rerumque concretionem, interque animum et corpus interesse nihil; neque animam esse post mortalem obitum superstitem, neque ullam esse alterius vitae exspectationem. Ac praeterea *communistae* dialecticam, quam affingunt, *materialismi* viam insistentes, conflictum, de quo diximus, quique rerum naturam ad supremum exitum adducet, ab hominibus maturari posse opinantur. Quapropter id enituntur, ut discrimina, quae inter varias Civitatis classes intercedunt, acriores reddant; utque ordinum inter se conflictio, invidiarum proh dolor ruinarumque plena, progredientis aetatis sacra veluti contentio videatur: atque adeo repagula omnia, quaecumque vehementibus illis ex proposito susceptis conatibus obsistant, utpote humano generi infensa, penitus perfringantur.

Quo tandem homo et familia deveniant

[10] Huc accedit, quod hominem libertate sua spoliant, in qua spiritualis ducendae vitae norma consistit; itemque humanam personam dignitate sua exuunt omnique in ordine morum moderatione, qua gliscentibus ex occulto vitiorum motibus repugnari possit. Quae quidem humana persona, cum ex eorum placitis nihil aliud sit, quam quaedam, ut ita dicamus, rotula universae insertata machinationi, idcirco naturalia, quae inde oriuntur, iura singulis hominibus denegantur, communitatique attribuuntur. Ad necessitudines vero inter cives quod attinet, cum absolutam profiteantur aequalitatem, omnem, quae a Deo proficiscatur, vel parentum, auctoritatem ac hierarchiam renuunt; quoniam, ut asseverant, quidquid potestatis obtemperationisque intercedit, id, veluti e primo unoque fonte, ab societate dimanat. Neque singulis hominibus ullum ius datur possidendi vel bona vel rerum efficiendarum opes; quandoquidem, cum eadem alia bona gignant, eorum possessio aliorum in alios dominium necessario inducit. Qua profecto de causa affirmant privatum quodlibet ius mancipii, quippe praecipuum oeconomicae servitutis caput, esse omnino delendum.

[11] Haec praeterea doctrina, cum sacra omnia humanae vitae munia detrectet atque repudiet, consequens est ut matrimonium ac domesticum convictum ita habeat, ut civile solummodo ac ficticium institutum, quod e certis oriatur oeconomicis rationibus: quapropter quemadmodum illa maritalia connubia recusat, iuridicis moralibusque nexibus composita, quae vel e singulorum, vel e communitatis nutu non pendeant, ita indissolubilem eorum perpetuitatem explodit. Ac peculiari modo, ex *communistarum* sententia, mulier cum familia domoque sua nullo vinculo coniungitur. Iidem enim, cum feminam a viri tutela prorsus liberam praedicent, eam et a domestica vita et a libe-

rorum cura ita abstrahunt, ut in publicae agitationem vitae communisque industriae, aeque ac virum, eam trudant; atque adeo eius focum ac prolem civili societati curanda committant (11). Ac parentibus denique patria educandae subolis potestas eripitur, utpote quae unice sit communitati propria, quaeque idcirco huius tantummodo nomine ac mandato exerceri possit.

Quo, secundum haec principia, societas humana rueret

[12] Quorsum igitur hominum consortio evaderet, talibus, ex *materialismo* sumptis, fundamentis innixa? Consociatio profecto exsisteret, nulla alia auctoritate coalescens, nisi eâ quae ex oeconomicis rationibus derivaretur. Atque hoc unum eidem munus esset, communi nempe opera res gignere; unumque esset propositum, terrae nimirum frui bonis in amoenissima voluptatis sede, in qua quisque « pro suis viribus laborem impertiret suum, pro suisque necessitatibus opes reciperet ».

Animadvertendum quoque est, *communistas* societati ius etiam tribuere, vel potius arbitrium paene infinitum, communi labori singulos cives addicendi, nullo habito respectu ad proprium cuiusque bonum; quin immo, vi adhibita, vel invitos cogendi. Atque in hac eorum societate cum morum disciplinam, tum iuris temperationem nullo ex alio profitentur scatere fonte, quam ex oeconomicis temporum rationibus; ideoque eas suapte natura terrenas esse, fluxas mutabilesque. Ad summam, ut rem breviter perstringamus, novum rerum ordinem inducere contendunt, ac novam cultioremque aetatem, quae quidem ex occulto solummodo naturae cursu profluant: « hominum nempe consortionem, quae e terris exegerit Deum ».

[13] Cum vero animorum dotes atque habitus, quae ad id genus communitatem efficiendam requiruntur, ita

(11) Cf. Litt. Encycl. *Casti connubii*, 31 dec. 1930 (*AAS*, vol. XXII, p. 567).

omnes assecuti fuerint, ut commenticia illa societatis forma tandem aliquando emerserit, civium ordinibus vacua, quam cogitatione effingunt, tum politica Civitas, quae in praesens ea tantum ratione conflatur, ut locupletes in proletariam plebem dominentur, rerum necessitate excidet atque « evanescet »; attamen, usque dum haec beatae vitae condicio non habeatur, publica gubernatione ac potestate *communistae* utuntur, ut potiore in omnes partes instrumento, quo propositum sibi finem contingant.

[14] Habetis ante mentis oculos propositam, Venerabiles Fratres, doctrinam illam, quam *communistae bolscevici* atque athei, quasi novum evangelium, ac quasi salutarem redemptionis nuntium, humano generi praedicant! Inventum videlicet, errorum ac praestigiarum plenum, quod veritatibus divinitus patefactis aeque ac humanae rationi adversatur; quod cum civilis consortii fundamenta destruat, socialem ordinem subvertit; quod veram Civitatis originem ac naturam verumque finem non agnoscit; quod denique humanae personae iura, dignitatem, libertatem detrectat ac denegat.

Propagatio

Promissorum fascinatio

[15] At undenam evenit, ut eadem doctrina, quam et optima studia iam diu exsuperarunt, et cotidianae res omnino refutant, tam celeriter per universum terrarum orbem propagari queat? Id intellegere fas erit, si animo reputaverimus nimium sane paucos, quid velint et quo reapse tendant *communistae*, inspicere potuisse funditus; cum, contra, bene multi callidis eorum sollicitationibus, quas miris pollicitationibus confirmant, facile concedant. Ii enim, qui eiusmodi causam provehunt, fucata hac veritatis specie utuntur, se nimirum velle solummodo operariae plebis sortem ad meliorem fortunam reducere; itemque velle

et quidquid non rectum in rem administrandam *Liberales*, quos vocant, invexerint, opportune sanare, et ad aequabiliorem bonorum partitionem devenire: quae omnia procul dubio legitimis rationibus attingi posse nemo est qui non videat. Attamen iidem, hoc agendi more, praesertim oeconomicarum rerum discriminis occasionem nacti, quod ubique urget, eos etiam ad suas ipsorum partes allicere possunt qui, pro ea, quam amplectuntur, sententia, a *materialismi* placitis abhorrent, et a scelestis illis facinoribus, quae non raro perpetrantur. Ac quandoquidem in quolibet errore aliqua inest veritatis lux, quemadmodum supra hac etiam in re contingere vidimus, hanc veritatis speciem eo consilio versutissime proferunt, ut, pro opportunitate, odiosam illam atque inhumanam deformitatem dissimulando occulant, quam *communismi* praecepta rationesque redolent; atque adeo, homines etiam non vulgari virtute praeditos decipere possunt, qui quidem saepenumero ita inflammantur, ut et ipsi veluti apostoli evadant, qui iuvenes praesertim, facile obnoxios fallaciis, hisce erroribus imbuant. Praeterea *communismi* praecones utilitatem quoque capere non ignorant, cum ex variarum gentium simultatibus, tum ex dissensionibus contentionibusque, quibus diversa rei publicae gubernandae genera sibi invicem adversantur, tum etiam ex perturbatione illa, quae in studiorum campum serpit, ubi vel ipsa divini Numinis notio silet, ut in Athenaea irrepant ac doctrinae suae principia fallacis scientiae argumentis corroborent.

Liberalismus quomodo viam straverit

[16] Ut vero facilius intellegatur, quibus rationibus id assequi potuerint, ut tot opifices commenticia eorum placita, nulla inquisitione facta, amplexi sint, meminisse iuvabit opifices eosdem, ob oeconomicam *Liberalium* disciplinam eorumque agendi modum, ad religionis rectorumque morum neglegentiam miserrime reductos esse. Saepius

enim, alternae operarum vices id etiam praepedierunt, ut iidem diei festi religionem colerent; non curae fuit sacras aedes prope officinas excitare, neque sacerdotis munera faciliora reddere; quin immo, *laicismi*, ut aiunt, instituta, nedum intermitterentur, magis cotidie magisque provecta sunt. En igitur deterrimos errorum fructus, quos et Decessores Nostri et Nosmet ipsi non semel praenuntiavimus. Quapropter, cur miremur, si gentes tam plurimas, ab christianis praeceptis abalienatas, *communismi* fluctus formidolose iam alluant ac paene submergant?

Astutissima quaquaversus propagatio

[17] At id etiam in causa est, cur *communismi* fallaciae tam celeriter pervulgentur, ut in regiones omnes, sive angustiores sive ampliores, sive excultas sive minus ad humanitatem provectas, ac vel in remotiores terrarum partes, furtim irrepant: nefandum illud nimirum propagationis studium, quod fortasse numquam, post hominum memoriam, tam acerrimum exstitit. Quae quidem propagatio, ab uno fonte profluens, ad peculiares populorum condiciones callide accommodatur; profusis sumptibus, innumeris consociationibus, frequentissimis ex omni natione conventibus ac confertis aptisque copiis utitur; itemque, per ephemerides, per volitantes paginas, per cinematographica spectacula, per theatrorum scaenas, per radiophonicum inventum, ac denique per litterarios ludos studiorumque Universitates quoslibet pedetemptim pervadit, vel praestabiliores civium ordines, qui forte virus non animadverterint, quod miserius usque mentes animosque inficit.

Perfida silentii coniuratio

[18] Aliud validumque adiumentum, quo *communismi* doctrina provehitur, ex eo procul dubio oritur, quod magna diariorum pars, quae ubique terrarum typis eduntur, quaeque ad catholica praecepta non conformantur, rem ex con-

dicto silentio premunt. Ex condicto dicimus; secus enim haud facile intellegitur, cur id genus scriptores, qui minoris etiam momenti casus tam avide captant ac proferunt, immania tamen facinora, quae in Russiarum regionibus, quae in Foederatis Mexici Civitatibus, quae in magna denique Hispaniae parte perpetrantur, tam diu reticuerint; ac de *communistarum* secta, quae Mosquae dominatur, quaeque latissime per terrarum orbem in consociationes coalescit, tam pauca, pro rei gravitate, verba faciant. At omnes norunt idcirco magnam partem hoc evenire, quod politicae rationes, quae civilem prudentiam non omnino redoleant, id postulare dicantur; ac non minus variis occultisque viribus id foveri ac suaderi, quae iam diu christianam Civitatum ordinationem evertere conentur.

Deploranda consectaria

Russia et Mexicum

[19] Interea vero luctuosi mentis oculis obversantur studiosae huius propagationis fructus. Ubicumque enim *communistae* invalescere suumque exercere dominium potuere, — atque heic peculiari paterna caritate Russiarum ac Mexicanae Reipublicae populos recogitamus — inibi, quemadmodum iidem aperte praedicant, quoquo modo enisi sunt christianae religionis humanitatisque fundamenta radicitus diruere, atque in hominum animis, iuvenum praesertim, eius prorsus memoriam restinguere. Episcopi ac sacerdotes fuere extorres facti, ad metalla damnati, igneis globulis transfossi, vel inhumano more necati; e laicorum vero ordine homines, idcirco in suspicionem vocati, quod sacra tuiti essent, vexati fuere, hostiliter habiti, atque in iudicium et in custodias deducti.

Communismi in Hispania strages

[20] In regionibus etiam, in quibus — quemadmodum in dilectissima Nobis Hispania contingit — *communismi*

pestis atque flagitium nondum omnes potuit suorum errorum calamitates parere, vesanum tamen, proh dolor, concitavit furorem, inque scelera erupit funestissima. Non una est vel altera sacra aedes diruta, non unum vel alterum labefactatum coenobium; sed, ubicumque facultas fuit, templa omnia, religiosa claustra, ac vel quaelibet christianae religionis vestigia, etiamsi arte humanitatisque studio insignia, funditus eversa! Ac non modo furens *communistarum* vecordia Episcopos ac sacerdotes, religiosos viros ac mulieres ad milia bene multa trucidavit, eos easque peculiari modo insectata, quibus de opificibus ac de indigentibus cura esset; sed complures etiam laicos homines e quovis ordine interemit, qui adhuc usque idcirco catervatim necantur, quod christianam profiteantur fidem, vel saltem quod atheorum *communistarum* doctrinam aversentur. Atque eiusmodi horrifica caedes tali perpetratur odio, tantaque efferatae barbariae immanitate, ut nostris hisce temporibus incredibile prorsus videatur. Nemo unus, qui prudenter sapiat, vel ex privatis hominibus, vel ex iis, qui rei gravitatis conscii Civitatis gubernacula moderantur, nemo unus, inquimus, horrore summo non teneatur, si mente recogitet posse in posterum ea, quae hodie in Hispania contingunt, in ceteris etiam excultis gentibus evenire.

Systematis naturales fructus

[21] Neque asseverari licet id genus atrocitates necessitate quadam maximas omnes rerum conversiones consequi, quasi singulares sint immoderatique exacerbatorum animorum motus, quos quaelibet perduelliones pariant; minime prorsus, at naturaliter potius ex huius disciplinae rationibus oriuntur, cuius compagem nulla omnino frena continent. Frena siquidem cum hominibus singulis, tum iure consociatis necessaria sunt; atque adeo vel barbarae gentes naturalis legis vinculum agnoverunt, Dei operâ in mortalium animis insculptae. Ubi hanc observare legem

sollemne omnibus fuit, veteres vidimus nationes talem amplitudinis splendorem attigisse, qui eos, aequo nimius, admiratione adhuc percellat, qui accurate parum humanae historiae codices evolverint. Quando vero ipsa divini Numinis notio e civium mentibus evellitur, necessario iidem ad agrestem immanitatem ferosque mores compelluntur.

Pugna contra « omne quod dicitur Deus »

[22] Id equidem in praesentia summo dolore cernimus: primum scilicet, post hominum memoriam, rebellionem videmus, diligenter inita subductaque ratione instructam, adversus « omne, quod dicitur Deus » (12). Etenim *communismi* doctrina, suapte natura, cuilibet religioni adversatur, eamque quasi « soporiferum proletariae plebis opium » idcirco reputat, quod eius institutiones atque praecepta, cum vitam sempiternam post mortalis vitae obitum edoceant, a futurae illius beatitatis ordine homines abstrahunt, quem in terris assequi teneantur.

Incutiendi terroris artes

[23] Attamen naturalis lex eiusque auctor Deus non impune spernuntur; consequens igitur est ut *communistarum* nisus, quemadmodum ne in rebus quidem oeconomicis propositum suum ad effectum deducere potuere, ita neque in posterum umquam deducere possint. Non diffitemur utique eosdem nisus in Russiarum dicione non parum contulisse ad excitandos homines eorumque instituta ex illa, quae insederat, diuturna desidia; ac potuisse omni ope omnique, etsi saepe non recta, ratione contendendo aliquid efficere ad huius vitae utilitatem provehendam: at in comperto Nobis est, ex recentissimis etiam testibus, nulli suspicioni obnoxiis, revera, ne hac quidem in parte, ea persoluta esse, quae multa spondebantur. Huc accedit, quod

(12) *II Thessal.*, II, 4.

saeva illa terrorisque plena dominatio servitutis iugum civibus innumeris imposuit. Animadvertendum sane est, etiam in rebus administrandis aliquam necessariam esse probitatis disciplinam, ad quam suscepti muneris procuratio ex officii conscientia conformetur; quod quidem *communistarum* placita, ex commenticiis *materialismi* rationibus orta, procul dubio dare non possunt. Quapropter nihil aliud restat, nisi formidolosa illa scelerum coniuratio, quam in Russia cernere est, ubi veteres conspirationis contentionisque sodales mutuam sibi necem conflant; quae tamen terrifica scelerum coniuratio socialis compagis dissolutionem prohibere non valet, nedum profligatos mores compescere queat.

Paterna erga oppressos populos Russicos benevolentia

[24] Verum, mens Nobis non est foederatos illius Reipublicae populos in universum improbare, quos immo potius paterna vehementique caritate complectimur. Novimus enim ex eis non paucos iniquo servilique hominum dominio premi, qui sunt maximam partem a veris illius gentis utilitatibus alieni; aliosque plurimos fuisse fallacis spei pollicitationibus deceptos. Initas potius rerum rationes earumque auctores fautoresque reprobamus, qui nationem illam quasi aptissimum habuere campum, in quo suae disciplinae semina iam diu comparata sererent, atque inde per universum terrarum partes disseminarent.

III

Luminosa Ecclesiae doctrina opponitur

[25] Postquam atheorum *bolscevistarum* errores eorumque instituta, fallaciae violentiaeque plena, in sua luce posuimus, tempus iam est, Venerabiles Fratres, ut iisdem veram Civitatis humanae notionem, breviter edisserendo,

opponamus; quae quidem huiusmodi est, ut probe nostis, qualem ratio mentis ac divina revelatio per Ecclesiam, Magistram gentium, nos docent.

Summa veritas: Deus!

[26] Ac principio animadvertendum est, supra ceteras res omnes summum esse, unicum ac supremum ens, divinum nempe Numen, quod omnipotens universae concretionis creator est, idemque omnium hominum sapientissimus ac iustissimus iudex. Per supremum hoc ens, quod Deus est, insolentes ac mendaces *communistarum* vanitates absolutissime reiciuntur. Ac verum enimvero, non quod homines ei fidem adhibeant, idcirco Deus est; sed quod ipse revera est, fidem eidem praestant eique supplicant omnes, quotquot pertinaciter contra veritatis lucem mentis oculos non claudunt.

Quid secundum rationem et fidem homo, quid familia sit

[27] Atque ad hominem quod attinet, quid catholica fides nostraeque mentis ratio doceant, Nos praecipua doctrinae huius capita explanando, per Encyclicas Litteras (13) de christiana iuvenum educatione proposuimus. Eidem siquidem spiritualis atque immortalis animus inest; idemque, quemadmodum persona est mirandis prorsus corporis mentisque dotibus a summo Creatore praedita, ita reapse « microcosmos » ex veterum scriptorum sententia ea de causa vocari potest, quod inanimarum immensitatem rerum longissime evincit ac superat. Non modo in hac mortali vita, sed in perpetuo etiam mansura supremus ei finis est unice Deus; et cum per sanctitatis effectricem gratiam ad filii Dei dignitatem evectus sit, in mystico Iesu Christi corpore cum divino Regno coniungitur. Quod con-

(13) Litt. Encycl. *Divini illius Magistri*, 31 dec. 1929 (*AAS*, vol. XXII, 1930, pp. 4986).

sequens est, multiplicia ei impertiit caeleste Numen ac varia munera: ut vitae corporisque integritatis iura; ut iura itidem cum res adipiscendi necessarias, tum ad finem ultimum via rationeque contendendi, sibi a Deo propositum; ut denique iura et ineundae societatis, et privata bona possidendi, et eorum fruendi usu.

[28] Praeterea, ut maritale coniugium, ita eius naturalis usus ex divina ordinatione oriuntur; itemque domestici convictus constitutio eiusque praecipua munera non ex humano arbitrio, neque ex oeconomicis rationibus, sed a summo ipso omnium Creatore proficiscuntur. Quod quidem per Encyclicas Litteras (14) de casti connubii sanctitate, et per illas etiam, quas supra memoravimus, de christiana iuvenum educatione copiose satis explicando enucleavimus.

Quid sit humana societas

Mutua inter hominem et societatem iura et officia

[29] At Deus pari modo hominem ad civilem consortionem natum conformatumque voluit, quam profecto sua ipsius natura postulat. Societas enim ex divini Creatoris consilio naturale praesidium est, quo quilibet civis possit ac debeat ad propositam sibi metam assequendam uti; quandoquidem Civitas homini, non homo Civitati exsistit. Id tamen non ita intellegendum est, quemadmodum ob suam *individualismi* doctrinam *Liberales*, quos vocant, asseverant; qui quidem communitatem immoderatis singulorum commodis inservire iubent: sed ita potius ut omnes, ex eo quod cum societate composito ordine copulantur, terrenam possint, per mutuam navitatis conspirationem, veri nominis prosperitatem attingere; utque per humanum consortium privatae illae publicaeque animi dotes, homini-

(14) Litt. Encycl. *Casti connubii*, 31 dec. 1930 (*AAS*, vol. XXII, pp. 539-592).

bus naturâ insitae floreant ac vigeant, quae temporarias peculiaresque utilitates exsuperant, divinamque praeferunt in civili ordinatione perfectionem; quod quidem in singulis hominibus contingere ullo modo nequit. Quod idcirco etiam homini inservit, ut hanc divinae perfectionis imaginem agnoscat, acceptamque Creatori referat, laudibus eum adorationeque colens. Homines siquidem tantummodo, non vero quaevis eorum consociatio, mente voluntateque, ad morum normas liberâ, praediti sunt.

[30] Iamvero, quemadmodum homo officia illa repudiare non potest, quibus Dei iussu civili societati obstringitur, atque adeo publicae rei moderatores iure pollent, si idem obtemperationi huic non legitime obsistit, eum ad officium persolvendum coërcendi; ita pari modo societas iis iuribus civem spoliare non potest a Creatore Deo eidem impertitis, quorum praestantiora supra breviter attigimus, neque eorumdem usum ex arbitrio impossibilem reddere. Quapropter e mentis nostrae ratione oritur, eidemque consentaneum est, ut terrenae res omnes homini usui utilitatique sint, ideoque per eum ad Creatorem referantur. Quam ad rem id profecto quadrat, quod Gentium Apostolus de christiana salute procuranda ad Corinthios scribit: « Omnia ... vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (15). Dum igitur *communistarum* effata personam humanam ita extenuant, ut civium cum societate necessitudines praepostere subvertant, humana mens, contra, ac divina revelatio eam tam sublime extollunt.

Oeconomicus et socialis ordo

[31] Decessor Noster f. r. Leo XIII de oeconomicis socialibusque rationibus deque operariorum causa, per Encyclicas Litteras (16), effectrices normas edidit; quas Nos

(15) *I Cor.*, III, 22, 23.

(16) Litt. Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891 (*Acta Leonis XIII*, vol. XI, pp. 97-144).

quidem, per Encyclicas item Litteras (17) de christiana socialis ordinis renovatione, nostrorum temporum condicionibus necessitatibusque accommodavimus. In quibus Litteris, etiam atque etiam antiquissimam Ecclesiae doctrinam instanter persequentes de peculiari privatarum possessionum natura, ad singulos et ad societatem quod attinet, distincte definiteque et humani laboris iura dignitatemque designavimus, et mutuas eorum auxilii adiumentique necessitudines, qui vel rem impertiunt, vel dant operam, et mercedem denique, quae opificibus ex districta iustitia debetur, sibi suaeque familiae necessaria.

[32] Ac praeterea in comperto posuimus, tum solummodo hominum consortionem posse e teterrima ruina servari sospitem, ad quam per *Liberalismi* placita compellitur, in quibus recta morum disciplina silet, cum scilicet socialis iustitiae christianaeque caritatis praecepta oeconomicam civilemque temperationem imbuant atque pervadant; quod procul dubio neque civium ordinum inter se contentio terrorisque facinora, neque immodicus atque tyrannicus publicae potestatis usus praestare possunt. Monuimus etiam veram populi prosperitatem per rectam collegiorum consociationem procurandam esse, quae varios socialis auctoritatis gradus agnoscat ac vereatur; itemque necessarium esse omnia artificum sodalicia inter se cohaerere amicique conspirare, ut ad commune Civitatis bonum contendere possint; atque adeo germanum peculiareque publicae potestatis munus in eo consistere, ut mutuam eiusmodi civium omnium conspirationem consensionemque pro facultate promoveat.

Hierarchia socialis et praerogativa Status

[33] Ad quem quidem assequendum per adiutricem omnium operam tranquillitatis ordinem, catholicae doctri-

(17) Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*, 15 maii 1931 (*AAS*, vol. XXIII, pp. 177-228).

nae praecepta tantam dignitatem auctoritatemque tribuunt publicae rei moderatoribus, quanta necessaria est, ut divina humanaque iura, quae tantopere Sacrae Litterae Ecclesiaeque Patres inculcant, vigili providaque cura iidem tueantur. Atque heic animadvertendum est turpiter eos errare, qui effutiant quibuslibet civibus aequalia esse in civili societate iura, neque legitimos in eadem exsistere potestatis ordines. Satis esto, hac in re, Encyclicas Decessoris Nostri f. m. Leonis XIII, quas supra attigimus, commemorare; atque eas nominatim, quae vel de civilis principatus auctoritate (18), vel de christiana Civitatum constitutione (19) agunt. In quibus profecto catholici viri luculenter proposita humanae rationis fideique praescripta cernere possunt, quae eos a fallacibus periculosisque *communistarum* opinationibus liberos reddere poterunt. Iura esse, cuiusque propria, erepta, ideoque cives in servitutem redigi; primariam ac supremam Civitatis eiusque potestatis originem detrectari; ac nefande prorsus publicam potestatem sceleribus inservire, communi conspiratione perpetrandis; haec omnia, dicimus, naturali morum disciplinae divinique Creatoris voluntati vehementissime repugnant. Quemadmodum civis, ita communitatis institutum ab sempiterno Numine originem repetunt, ab eoque mutua inter se ratione conformantur: non civis igitur, non humana societas potest officia illa renuere, quibus invicem obstringuntur; neque alterius iura reicere vel minuere queunt. Quas quidem praecipuas civium communitatisque inter se rationes Deus ipsemet instituit temperavitque; quapropter quod sibi *communistae* insolenter arrogant, in locum scilicet divinae legis, quae veritatis caritatisque praeceptis innititur, politica sufficere factionum consilia atque proposita, quae simultatis plena, ex humano arbitrio pro-

(18) Litt. Encycl. *Diuturnum illud*, 29 iun. 1881 (*Acta Leonis XIII*, vol. II, pp. 269-287).

(19) Litt. Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885 (*Acta Leonis XIII*, vol. V, pp. 118-150).

fluunt, id procul dubio iniqua omnino atque iniusta iuris usurpatio est.

Huius doctrinae quanta sit pulchritudo

[34] Catholica Ecclesia, cum praeclarae id genus disciplinae praecepta impertit, non alio utique spectat, nisi ut faustum nuntium, quem angeli, supra Bethleemiticum specum cecinere, gloriam Deo pacemque hominibus (20) nuntiantes, ad rem deducere contendat; ut veri nominis videlicet pacem verique nominis felicitatem, quantaecumque eaedem ad aeternam assequendam beatitatem, vel in hac mortali vita attingi possint, comparare queat; at probe dumtaxat volentibus hominibus. Haec doctrina aequo itinere abhorret, cum ab errorum exitiis, tum ab immodicis politicarum partium, quae eosdem amplectuntur, conatibus earumdemque rationibus atque propositis; quandoquidem ut nullo non tempore rectam veritatis et iustitiae aequilibritatem profitetur, ita eamdem et argumentis fulcit et in vitae actione efficit ac provehit. Idque Ecclesia consequitur, mutua inter se officia iuraque concilians atque componens; ut nimirum cum libertate auctoritatem, ut cum singulorum dignitate Civitatis dignitatem, ut denique humanam subiecti civis personam, atque adeo debitam iis, qui praesunt, obedientiam, cum eorum munere, qui divinae vices gerunt potestatis; itemque ordinatum sui ipsius, familiae patriaeque amorem cum ceterarum familiarum ceterarumque gentium caritate illa coniunctum, quae in Dei amore nititur, quorumvis patris, ex quo omnia oriuntur et ad quem omnes, ut ad finem ultimum, contendant oportet. Eadem doctrina iustam non abiungit terrenarum rerum curam ab actuosa aeternorum bonorum sollicitudine. Quodsi mortalia immortalibus bonis subiicit, ex sui ipsius Magistri sententia: « Quaerite... primum regnum Dei et iusti-

(20) Cf. Luc., II, 14.

tiam eius et haec omnia adiicientur vobis » (21); at longe abest ut humanas res neglegat, utque civili progressioni temporariisque commodis obsistat; cum, contra, recta ratione maioreque, qua fieri potest, efficacitate, eadem foveat atque promoveat. Ecclesia enim, quamvis, vel in oeconomicae socialisque actionis campo, definitam technicarum rerum temperationem ordinationemque nunquam protulerit, quod quidem sui muneris non est, praecipua tamen lineamenta atque praecepta edidit, quae, etsi ad effectum adduci, pro variis temporum, locorum populorumque condicionibus, aliter aliterque possunt, tutum tamen iter demonstrant, quo Civitas ad cultiorem felicioremque aetatem gradiatur.

[35] Summam huius doctrinae sapientiam summamque utilitatem ii omnes fatentur, quibus eadem reapse in comperto est. Ac iure meritoque insignes viri, publicae rei administrandae periti, asseverarunt, nihil se sapientius cernere potuisse, cum diversa oeconomicarum rationum genera perpendissent, quam illa huius disciplinae principia, quae per Encyclicas Litteras *Rerum Novarum* ac *Quadragesimo anno* proponuntur. Atque in regionibus etiam, quas vel non catholici, vel ne christiani quidem homines incolunt, non pauci agnoscunt quantopere Ecclesiae in re sociali praecepta humanae prosint societati. Itaque, vix mensis exiit cum praeclarus vir ex extremis orientis partibus, qui, politicarum rerum studiosus, christianam religionem non profitetur, affirmare non dubitavit Ecclesiam, per suam pacis fraternaeque necessitudinis doctrinam ad operosam in nationibus pacem constabiliendam fovendamque summopere conferre. Ac vel ipsi *communistae*, — quod ex certis comperimus nuntiis, qui ad hoc catholici orbis veluti centrum undecumque confluunt — si modo ad corruptos mores nondum omnino prolapsi sunt, cum socialem Ecclesiae disciplinam propositam sibi habeant, eam profitentur suorum magistrorum ac capitum praecepta

(21) Matth., vi, 33.

longe prorsus excedere. Ii solummodo, qui obcaecatum cupidinibus simultateque animum gerunt, veritatis luminibus oculos claudunt, eamdemque pertinaciter impugnant.

Num Ecclesia hanc doctrinam professa quidem sit, nec moribus tenuerit

[36] At Ecclesiae osores, tametsi impertitas ab ea normas sapientia praestare agnoscunt, eam tamen insimulant, quasi ad datas institutiones vitae actionem non conformaverit; atque adeo ad alias vias rationesque contendunt. Verumtamen criminationem eiusmodi falsam iniustamque esse, omnes christiani nominis annales demonstrant. Etenim, ut aliquod dumtaxat peculiare eventum breviter attingamus, vera fraternaque universorum hominum cuiusvis stirpis condicionisque inter se necessitudo, superioribus aetatibus hac firmitate perfectioneque penitus ignota, primum ab evangelicis praeconibus praedicata fuit; quod procul dubio ad servitutem abolendam summa efficacitate contulit: idque, non cruentis seditionibus, sed per insitam huius doctrinae virtutem, qua quidem permota nobilis romana femina ancillam suam quasi sororem complectebatur.

Itemque per christiana dogmata, quibus edocemur Dei Filium, hominem factum amore hominum, eumdemque fabri filium ipsumque opificem (22) adorare, humanus labor ad veri nominis dignitatem provectus est; qui quidem humanus labor ita tunc temporis spernebatur, ut vel ipse M. T. Cicero, ceteroquin prudens satisque aequus, suorum temporum opinionem referens, hanc sententiam edere non veritus sit, qua profecto quilibet, nostra hac aetate, socialis disciplinae peritus verecundaretur: « Opifices omnes in sordida arte versantur; nec enim quidquam ingenuum potest habere officina » (23).

(22) Cf. Matth., xiii, 55; Marc., vi, 3.
(23) M. T. Cic., *De officiis*, l. i, c. 42.

[37] His innixa principiis Ecclesia humanam societatem renovavit; siquidem, suae impulsione virtutis, miranda prorsus orta sunt caritatis instituta, itemque potentissima illa artificum omne genus collegia, quae utique superiore saeculo *Liberalismi* sectatores contemptui habuere, quasi Mediae Aetatis inventa; quaeque tamen, in praesens, admirationem commovent, et quorum forma in pluribus nationibus, multorum experimento tentata, reviviscit. Et cum aliorum nisus salutarem eius praepedirent operam, eiusque virtuti officerent, Ecclesia adhuc usque non desiit errantes commonere. Reminisci ac recordari satis esto quanta animi firmitudine atque constantia Decessor Noster f. rec. Leo XIII iura sodalitates ineundi operariae plebi vindicaret; quae quidem iura *Liberales* in potentioribus nationibus invalescentes eidem eripere eniterentur. Atque eiusmodi christianae doctrinae virtus, nostris etiam temporibus, maior profecto est, quam quibusdam videatur; quandoquidem in rerum eventus mentis cogitata dominantur, quamvis non facile omnes id aestimare ac metiri queant.

[38] Procul dubio asseverari potest Ecclesiam, aeque ac divinum eius auctorem, « bene faciendo » aetatem suam traducere. Neque *socialistarum,* neque *communistarum* errores usquequaque serperent, si Ecclesiae praecepta maternaque eius adhortamenta populorum moderatores non detrectassent; qui quidem, cum *Liberalismi* ac *Laicismi,* ut aiunt, principia ac normas complexi essent, ad istiusmodi placita atque fallacias, publicae rei ordinationem temperationemque ita instruxere, ut, quamvis primo oculorum obtutu aliquid magnum se effecisse viderentur, evanescere tamen pedetemptim inita ab se consilia ac proposita cernerent; quemadmodum quidquid in uno illo non consistit primario lapide, qui Christus est, necessario oportet miserrime collabi.

IV

Remedia et subsidia indicantur

Summo discrimini medendi necessitas

[39] Haec est, Venerabiles Fratres, Ecclesiae doctrina, quae una, ut in ceteris rebus omnibus, sic etiam in re sociali, veram lucem afferre, et *communistarum* cogitandi ratione immunes nos reddere potest. At opus omnino est ut eadem doctrina in ipsum vitae usum deducatur, secundum illud S. Iacobi Apostoli hortamentum: « Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos » (24); quapropter illud in praesentia pernecesse est ut omni ope contendendo, opportuna remedia adhibeantur, quibus ingruenti rerum dissolutioni efficacitate summa obsistatur. Ac spem fovemus bonam fore ut ardor ille, quo tenebrarum filii ad suas athei *materialismi* fallacias propagandas die noctuque allaborant, stimulos filiis lucis admoveat, quibus ad non dissimile studium, immo etiam vehementius, divini honoris causa impellantur.

[40] Quid igitur facere, quibus remediis uti oportet, ut Christum et christianum vitae cultum contra perniciosum illum hostem defendamus? Quemadmodum pater familias cum liberis suis intra domesticos parietes, sic Nos vobiscum intima quadam cum fiducia agere exoptamus, dum illa ante oculos officia exhibemus, quae magnum nostrorum temporum discrimen ab omnibus Ecclesiae filiis postulat; quae quidem Nostra paterna monita ad eos etiam filios impertire cupimus, qui paternam deseruere domum.

Vitae christianae renovatio

Remedium fundamentale

[41] Ut iam procellosis quibusvis Ecclesiae tempestatibus, sic nunc etiam, remedium, aliorum fundamentum et

(24) Iac., I, 22.

caput illud est, ut privata vita ac publica eorum omnium ad Evangelii normas sincere renovetur, qui ad Ovile Christi se pertinere glorientur; ita ut sal terrae, universam hominum societatem corruptis moribus immunem servans, reapse fiant.

[42] Immortales igitur grates Patri luminum ex animo referimus, a quo profluit « omne datum optimum et omne donum perfectum » (25), quod magno cum solacio fausta ubique spiritualis huius renovationis auspicia videmus, non solum per lectissimos illos viros lectissimasque feminas orta, qui proximis hisce annis ad excelsae sanctitatis fastigium ascenderunt, ac per alios item cotidie frequentiores, qui ad praeclaram eamdem metam generose progrediuntur; sed ex eo etiam quod sincera pietas revirescit totamque vitam imbuit, in omnibus quoque vel cultissimorum hominum ordinibus; quod quidem in Apostolicis Litteris *In multis solaciis,* die XXVIII mensis octobris superiore anno motu proprio datis, attigimus, cum Pontificiam Scientiarum Academiam renovaremus (26).

[43] Asseverandum tamen Nobis est multa adhuc ad hoc spiritualis renovationis iter urgendum praestanda esse. Etenim vel in ipsis catholicorum regionibus nimium multi habentur, qui tales fere nomine tenus dici possint; nimium multi qui, quamvis huius religionis, quam se profiteri gloriantur, opera maxime omnium necessaria plus minusve fideliter expleant, eam tamen altius in dies intellegere non curent, neque intimam sinceramque eius persuasionem assequi nitantur: eoque minus efficiant, ut externae religionis speciei internus rectae intemerataeque conscientiae splendor respondeat; illius inquimus conscientiae quae officia omnia sub divino obtutu reputet atque persolvat. Ac novimus quantopere vanam et fallacem eiusmodi speciem detestaretur divinus ille Servator noster, cuius iussu, omnes Patrem « in spiritu et verita-

(25) IAC., I, 17.
(26) *AAS*, vol. XXVIII, 1936, pp. 421-424.

te » (27) adorare debeant. Qui ad praecepta fidei, quam amplectitur, vitam non conformaverit suam, non diu se servare sospitem poterit, cum tanto impetu insectationis procella saeviat; sed in hanc minacem malorum illuvionem rapietur, ideoque, cum sibimet ipsi ruinam praeparaverit, christianum quoque nomen ludibrio haberi iubebit.

A rebus terrenis abstractio

[44] Atque heic, Venerabiles Fratres, duo nominatim Domini praescripta commendare cupimus, quae praesenti humani generis condicioni potissimum respondent: abalienandum nempe esse terrenis rebus animum ac praecepto caritatis obtemperandum. « Beati pauperes spiritu »; haec prima fuere verba, quae ex ore Divini Magistri prodierunt, cum discipulos in monte alloqueretur (28). Quod quidem doctrinae caput nostris vel maxime temporibus necessarium est, cum *materialismus* huius vitae bona voluptatesque ardentissime sitiat. Christiani omnes, sive divites, sive pauperes, oculos semper in caelum intentos habeant, illius sententiae memores « non habere nos hic manentem civitatem, sed futuram inquirere » (29). Qui divitiis affluant, non ex iis suam sibi quaerant felicitatem, neque in easdem assequendas potiore quoquo modo contendant; sed cum noverint se solummodo esse earum administratores, earumque rationem sibi esse summo Domino reddendam, iisdem utantur, tamquam validis adiumentis, a Deo acceptis, quibus virtutis fructus edant; neque praetermittant ea pauperibus distribuere, quae sibi supersint, secundum Evangelii praescripta (30). Quod, nisi ita egerint, in eos in eorumque divitias revera illa S. Iacobi Apostoli sententia cadet: « Agite nunc, divites, plo-

(27) Io., IV, 23.
(28) MATTH., V, 3.
(29) Cf. *Hebr.*, XIII, 14.
(30) Cf. LUC., XI, 41.

rate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium vobis erit et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus... » (31).

[45] Verumtamen ii etiam, qui tenuiore fortuna utuntur, dum, ex iustitiae caritatisque legibus res sibi necessarias acquirere, suamque conantur meliorem reddere sortem, esse tamen et ipsi debent « pauperes spiritu » (32), pluris superna bona facientes, quam terrena gaudia. Ac praeterea in animis defixum habeant, id nunquam homines consecuturos esse, ut miseriae nempe, dolores aegritudinesque ex mortali hac vita discedant, quibus illi quoque obnoxii sunt, qui secundum rerum speciem fortunatiores videantur. Patientia igitur omnibus necessaria est; christianam illam dicimus patientiam, quae animum erectum tenet, divinaque felicitatis aeternae promissione confisum: « Patientes igitur estote, fratres, — sententiam iterum ab Apostolo Iacobo mutuamur — usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit » (33). Ita solummodo illa, solacii plena, Iesu Christi promissio adimplebitur dicentis: « Beati pauperes ». Neque eiusmodi pollicitationes, quemadmodum illae, quas *communistae* iactant, vana afferunt solacia, sed verba vitae aeternae sunt, quae summam rerum veritatem continent, quaeque, ut nunc in hac terra patent, ita postea, in sempiterna potissimum beatitate, patebunt. Quot enim pauperes hisce verbis caelorumque regni exspectatione confisi — quod eorum esse veluti hereditatem evangelica

(31) Iac., v, 1-3.
(32) Matth., v, 3.
(33) Iac., v, 7-8.

sententia docet: « beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei » (34), — ea felicitate perfruuntur, quam divites tam multi, suis fatigati divitiis, easdemque augendi cupidine semper incensi, assequi non possunt.

Christiana caritas

[46] Maioris etiam momenti est, malis, de quibus agimus, medendis, praeceptum caritatis, quod quidem nominatim eo spectat ut hoc propositum efficiatur. Quae cum dicimus, illam mente recogitamus christianam caritatem, « patientem et benignam » (35), quae gloriationem omnem omnemque speciem tutelae, quae proximos deprimat, abs se arcet; caritatem illam, quae, inde ab inito christiano nomine, homines pauperrimos omnium, Christo lucrata est, servitute scilicet oppressos. Qua de re maximas iis omnibus grates agimus, qui beneficentiae operibus dediti, cum per Vincentianos coetus, tum per instituta illa, quae nova invexerit aetas, quaeque communibus necessitatibus opitulantur, corporibus animisque misericordes se praestant. Quanto magis operariorum plebs atque indigentium in semet ipsa experietur quidnam caritatis studium, Iesu Christi virtute incensum, in sua ipsius commoda conferat, tanto magis praeiudicatas deponet opinationes, Ecclesiam nempe efficacitatem suam amisisse, iisque favere, qui eius labore abutantur.

[47] Iamvero, cum hic innumeram egentium turbam cernimus, qui variis de causis, quae non ex iisdem pendeant, summa egestate opprimuntur, illic vero tot videmus homines, qui, nulla moderatione adhibita, et voluptatibus indulgent, et in res prorsus inutiles ingentes sumptus impendunt, tum facere non possumus quin magno cum animi dolore fateamur, neque probe omnes observare iustitiam, nec funditus intellegere quid christianae ca-

(34) Luc., VI, 20.
(35) *I Cor.*, XIII, 4.

ritatis praeceptum postulet, ut in cotidianae vitae usum inducatur.

Cupimus igitur, Venerabiles Fratres, hoc divinum mandatum, qua sermonibus, qua scriptis, magis magisque illustretur, quod veluti insignita tessera exstat, idcirco a Iesu Christo data, ut sui a ceteris omnibus veri discipuli dignoscantur; hoc mandatum dicimus, quod nos docet aerumnosos omne genus quasi divinum ipsum Redemptorem inspicere, quodque nos iubet omnes homines eo amore, tamquam fratres, adamare, quo nos Servator noster prosecutus est; ac vel ad nostrarum usque rerum ipsiusque, si opus fuerit, vitae iacturam. Atque illa saepe numero in omnium animis sententia versetur, ut solacii ita terroris plena, quam supremus Iudex extremo die edet: « Venite, benedicti Patris mei... esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere... Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (36). Itemque alia ex adversa parte: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum...: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum... Amen dico vobis: quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis » (37).

[48] Ut tuta igitur aeterna vita reddatur, utque efficienter succurratur indigentibus, necesse omnino est et ad modestiorem vitam reverti, et voluptatibus renuntiare, quae tam copiose ac vel vitiorum flagitiorumque plena afferuntur; et sui ipsius denique, amore proximorum, oblivisci. Divina virtus, quae homines renovandi vim habet, hoc christianae caritatis « praecepto novo » (38) continetur; fidelisque eidem obtemperatio, ut intimam pacem animis indet, terrenae huic vitae ignotam, ita malis, quae humanum genus cruciant, efficaci modo medebitur.

(36) Matth., xxv, 34-40.
(37) Matth., xxv, 41-45.
(38) Io., xiii, 34.

Strictae iustitiae officia

[49] At vero caritas hoc nomine gloriari non potest, nisi iustitiae rationibus innitatur, ex Apostoli sententia: « Qui diligit proximum, legem implevit ». Quam quidem rem ita idem Apostolus interpretando explanat: « Nam: non adulterabis; non occides; *non furaberis;* ... et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* » (39). Si igitur, secundum Apostolum, officia omnia, ac vel ea, quibus districto iure iubemur, ut neque occidamus, neque furemur, ad unum verae caritatis praeceptum reducuntur; caritas, quae operarium debita mercede privat, non caritas est, sed vanum nomen et ficta species caritatis. Neque sane aequum est ut artifex veluti eleemosynam id accipiat, quod sibi iustitiae titulo debeatur; nec eo cuilibet contendere licet, ut se iustitiae debitis eximat, parva misericordiae dona subrogando. Tum caritas tum iustitia sua imponunt officia, quae saepe, quamvis non iisdem rationibus, ad unam tamen eamdemque rem pertinent; opifices vero, ita sua ipsorum dignitate postulante, ad haec officia omnibus dignoscenda, quibus ceteri erga eos teneantur, acerrimo quodam animi sensu, iure meritoque feruntur.

[50] Quapropter vos peculiari modo compellamus, christiani heri officinarumque domini, quibus proprium est saepenumero tam difficile munus, quandoquidem illam errorum quasi hereditatem ab iniusto oeconomicarum rerum regimine excepistis, quod in tot hominum aetates ruinose influxit: officiorum memores estote, quibus respondere debetis. Dolendum equidem est, sed tamen verum, quorumdam catholicorum agendi morem non parum contulisse ad operariae plebis fiduciam ab Iesu Christi religione abalienandam. Ii siquidem noluerunt mente animoque complecti

(39) *Rom.*, XIII, 8, 9.

certa quaedam iura esse christianae caritatis vi agnoscenda, quae artificibus debeantur, quaeque Ecclesia aperte luculenterque declaraverit iisdem esse tribuenda. Ecquid de eorum agendi ratione censendum est, qui alicubi id consecuti sunt, ut in sacris suis patronalibus aedibus Encyclicae Litterae *Quadragesimo anno* ne legerentur? Quid de catholicis illis officinarum dominis, qui ordinandis operariorum causae rationibus usque adhuc adversati sunt, quas Nosmet ipsi commendavimus? Nonne deplorandum est, ius mancipii, ab Ecclesia sancitum, idcirco usurpatum esse ut opifices mercede sua suoque sociali iure defraudarentur?

Iustitia socialis

[51] Verum enim vero, praeter iustitiam, quam commutativam vocant, socialis etiam iustitia colenda est, quae quidem ipsa officia postulat, quibus neque artifices neque heri se subducere possunt. Atqui socialis iustitiae est id omne ab singulis exigere, quod ad commune bonum necessarium sit. Ut autem, ad quamlibet viventis corporis compagem quod attinet, in universum consultum non est, nisi singulis membris ea omnia tribuantur, quibus eadem indigeant ad suas partes explendas; ita, ad communitatis constitutionem temperationemque quod pertinet, totius societatis bono prospici non potest, nisi singulis membris, hominibus videlicet personae dignitate ornatis, illud omne impertiatur, quod iisdem opus sit, ad sociale munus cuiusque suum exercendum. Si igitur iustitiae sociali provisum fuerit, ex oeconomicis rebus uberes enascentur actuosae navitatis fructus, qui in tranquillitatis ordine maturescent, Civitatisque vim firmitudinemque ostendent; quemadmodum humani corporis valetudo ex imperturbata, plena fructuosaque eius opera dignoscitur.

[52] Neque satis sociali iustitiae factum erit, nisi opifices et sibimet ipsis et familiae cuiusque suae victum tuta ratione ex accepta, rei consentanea, mercede praebere pot-

erunt; nisi iisdem facultas dabitur modicam quamdam fortunam sibi comparandi, ad illud communis paupertatis ulcus vitandum, quod tam late diffunditur; nisi denique opportuna erunt in eorum commodum inita consilia, quibus iidem, per publica vel privata cautionis instituta, suae ipsorum senectuti, infirmitati operisque vacationi consulere queant. Qua in causa haec repetere iuvat, quae in Encyclicis Litteris *Quadragesimo anno* diximus: « Etenim tum demum res oeconomico-socialis et vere constabit et suos fines obtinebit, si omnibus et singulis bona omnia suppeditata fuerint, quae opibus et subsidiis naturae, arte technica, sociali rei oeconomicae constitutione praestari possunt; quae quidem bona tot esse debent, quot necessaria sunt et ad necessitatibus honestisque commodis satisfaciendum, et ad homines provehendos ad feliciorem illum vitae cultum, qui, modo prudenter res geratur, virtuti non solum non obest, sed magnopere prodest » (40).

[53] Quodsi, ut saepius cotidie accidit, in salario rependendo, iustitiae singuli obtemperare ea tantummodo condicione possunt, ut de eadem obtemperatione secum omnes conveniant, earum nimirum consociationum ope, quae heros — ad vitandam rerum pretii contentionem, operariorum iuribus perniciosam — inter se devinciant, tum dominorum operumque conductorum erit necessarias eas consociationes fovere atque provehere, quae ordinariae rationes exstent, quibus iustitiae officia expleri possint. Sed artifices etiam suos ante oculos habeant caritatis ac iustitiae officia, sibique persuadeant, hoc modo, satius procul dubio suis utilitatibus provisum fore.

[54] Totam igitur oeconomicarum rerum compaginem intuentibus videre licet — quod iam in Encyclicis Litteris *Quadragesimo anno* notavimus — mutuam iustitiae caritatisque operam in oeconomicas ac sociales necessitudines influere non posse, nisi foederatae illae sodalitates, quas

(40) Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*, 15 maii 1931 (*AAS*, vol. XXIII, 1931, p. 202).

professionales et *interprofessionales* vocant, solido christianae doctrinae fundamento innixae, ea constituant, pro diversis locorum temporumque adiunctis, quae corporatorum hominum collegia dicebantur.

Doctrinae socialis ediscendae studium, eiusque propagatio

[55] Quo autem maior sociali eiusmodi actioni tribuatur efficacitas pernecessarium est harum rerum studium, praelucentibus Ecclesiae praeceptis, foveri quam maxime; eiusque praescripta ac monita, potestate auspice a Deo in ipsa Ecclesia constituta, quam latissime pervulgari. Nam si quorumdam catholicorum agendi ratio, in oeconomicarum ac socialium rerum campo, aliquid habuit minus laude dignum, hoc saepenumero idcirco accidit, quod iidem haud satis ea meditati essent, quae Summi Pontifices hac super causa docuissent. Quamobrem itidem necesse est, ut omnes ex quolibet societatis ordine, pro varia sua cuiusque cultura, socialibus disciplinis cotidie impensius instituantur; utque Ecclesiae id genus doctrina in operariam quoque plebem etiam atque etiam propagetur. Catholicae Ecclesiae praecepta hominum mentes tuta luce sua collustrent, eorumque voluntates ita flectant, ut rectam indidem homines sumant vivendi normam, qua societatis officia sancte diligenterque impleantur. Ita enim omnes christianorum morum discrepantiae atque inconstantiae obstare enitentur, quas Nos non semel conquesti sumus; e quibusque fit ut nonnulli suis utique religionis officiis satisfacere videantur, qui tamen in laboris, industriae suique officii provincia, vel in commercio publicove munere exercendo, geminam quodammodo conscientiae speciem induentes, eiusmodi vitam, proh dolor, traducant, quae nimium quantum a luculentis iustitiae christianaeque caritatis praescriptionibus abhorreat. Qua profecto agendi ratione et gravem nutantibus animis offensionem praebent, et causam improbis suppeditant, cur Ecclesiam ipsam detrectent.

[56] Admodum sane ad hanc christianorum morum instaurationem conferre potest catholicarum scriptionum propagatio, quibus illuc contendatur, ut primo, varie leniterque hominum mentibus illectis, socialis ab Ecclesia tradita disciplina planius innotescat in dies; ut post, accurate aeque ac fuse adversariorum coeptis patefactis, arma pariter indicentur, quae plurium locorum usus ad repugnandum aptiora repererit; ut postremo consilia proponantur opportuna *communistarum* machinationibus atque fallaciis praevertendis, quibus hi, ut nitebantur, sincerae fidei homines non paucos inescaverint.

Contra insidias Communismi praemunitio

[57] Etsi haec, Allocutione a Nobis habita die XII maii superiore anno, iam maximopere ursimus, tamen nihilominus, Venerabiles Fratres, in eadem animos vestros iterum convertere necessarium esse ducimus. *Communismus* initio, ut re erat verâ, scelestiorem, quam quod scelestissimum, se praebuit; at cum subinde sensisset ab se populos passim abalienari, ratione belli gerendi mutata, multitudines per eiusmodi varii generis fallacias captare nisus est, quae, quid ipsae intendant, doctrinis occultant in se rectis atque illecebrosis.

Ita, ut exemplis utamur, cum animadverterint *communismi* capita incensis votis ad pacem anniti omnes, se fautores communium id genus nisuum pro pace inter gentes universas constabilienda unos omnium studiosissimos assimulant; at contra, ex altera parte populos ad contentionem de civitatis ordinibus tollendis pariter commovent, unde acerbissimae proficiscuntur caedes; ex altera vero, pacem se non habere tutam experti, arma quantacumque possunt ingentia parant. Item nominibus, quae *communismum* ne significant quidem, confictis, vel consociationes condunt, vel commentarios certis diebus edunt, quae illuc unice spectant, ut errores suos mediis iis hominum consortioni-

bus interserant, ad quas, si secus agerent, irrepere neutiquam possent; quin etiam in catholicas religiosasve sodalitates perfidiose omnibusque viribus serpere compluries student. Item fit alicubi ut, de doctrina sua nullo modo desistentes, catholicis hominibus auctores iidem sint mutuae sibimetipsis operae, nunc in humanitatis, nunc in caritatis provincia ultro ferendae; quam ad rem coepta interdum proferunt, omnino cum christiano sensu cumque Ecclesiae doctrina congruentia. Aliis vero locis, eo simulationis iidem procedunt, ut gentibus non nunquam suadeant, in regionibus ubi aut christiana fides aut humanitatis cultus altius insederit, *communismum* esse procul dubio lenius se gesturum, facta singulis libertate, sive Summi Dei colendi, sive quae quisque maluerit de religione iudicandi. Sunt immo nonnulli qui, ex aliquantula inducta recens in *bolscevistarum* leges mutatione efficiant, in eo esse *communismum* ut a consilio cum Deo decertandi tandem aliquando absistat.

[58] Agitedum, Venerabiles Fratres, date impensissime operam, ut fideles ab insidiis caveant. *Communismus* cum intrinsecus sit pravus, eidem nulla in re est adiutrix opera ab eo commodanda, cui sit propositum ab excidio christianum civilemque cultum vindicare. Si qui vero, in errorem inducti, opem *communismo* in regionibus suis constabiliendo tulerint, erroris ipsi sui poenas primi luent; ac quanto in antiquiore ac clariore humanitate, a cristiano utique nomine invecta, gloriatur civitas ad quam perlabatur *communismus*, tanto perniciosior in eadem atheorum ira exardescet.

Oratio et poenitentia

[59] Attamen « ... nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam » (41). Vos igitur, Venerabiles Fratres, vehementer cohortamur in vestra cuiusque

(41) *Ps.* CXXVI, 1.

dicione elaborare, cura quanta poteritis maxima, ut constans precandi studium suique castigandi reviviscat, atque cotidie magis incalescat.

Cum enim e Christo Iesu olim scisciitarentur Apostoli quare a lymphato homine daemonem ipsi deicere nequivissent, Is respondit: « Hoc genus non eicitur nisi per orationem et ieiunium » (42). Rati ergo malis, quibus aetate hac nostra humanum genus excruciatur, remedium afferri nulla alia posse ratione, nisi omnes per orationem et poenitentiam in communem veluti hostem strenue sancteque quasi compugnaverint, apud universos, at prae primis apud religiosos utriusque sexus ordines divinis contemplandis rebus devotos, instamus enixe, ut supplicationibus suique ipsorum castigationibus multiplicatis, a Deo validam Ecclesiae suae opem in tam difficili temporum cursu impetrent, deprecatrice apud Deum utentes Deipara Immaculata, quae, ut olim antiqui serpentis caput contrivit, ita semper tutissimum praesidium est invictumque *Auxilium christianorum.*

V

Ministri auxiliaque huius Ecclesiae operae socialis

Sacerdotes

[60] Sicut ad salutare huiuscemodi ubique terrarum perficiendum opus, quod dicendo hactenus persecuti sumus, ita ad remedia, quae praecise docuimus, morbis adhibenda, effectores ac ministros Christus Iesus sacerdotes suos in primis elegit atque constituit. His namque munus, peculiari Dei numine, mandatum quidem est, ut, sacris Pastoribus usi ducibus ac Christi in terris Vicario modestissime studioseque obsecuti, ardentem fidei facem universo hominum generi nullo non tempore praeferant, simulque

(42) Matth., xvii, 20.

illam catholicis viris supernam spem perpetuo iniiciant, quâ Ecclesia nisa semper, tot retulit victorias quot praelia Christi causâ commisit: « Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra » (43).

[61] Qua in re illud nominatim in sacerdotum memoriam revocantes quod f. r. Decessor Noster Leo XIII in iis cohortandis pronuntiavit, ad opifices nempe iisdem adeundum esse, idipsum Nostrum faciendum hoc additamento putamus: « Ad opifices egenos potissimum prodite; immo, in universum, ad indigentes prodite »; quemadmodum Christi eiusque Ecclesiae doctrina iubet. Turbulenti enim homines eos, qui in egestate versantur, insidiis prae ceteris petunt; quandoquidem e miseris, quibus hi conflictantur rebus, facilem confingunt causam, qua eosdem in divitum invidiam rapiant vehementerque commoveant, ut in omnia violenter involent, quae sibi inique recusata a fortuna arbitrentur. Quodsi sacerdos opificibus atque egenis non occurrat, ut a qualibet eos, tum praeiudicata opinione, cum doctrina commenticia aut prohibeat aut liberet, nullo negotio iidem sunt *communismi* praeconibus in arbitrium cessuri.

[62] Enimvero non diffitemur in huiusmodi provinciam, post datas praesertim Encyclicas Litteras *Rerum novarum* et *Quadragesimo anno*, multum operis collatum ad hoc tempus fuisse; ac propterea paterno studio eorum Episcoporum ac Sacerdotum sollertes curas hoc loco prosequimur, qui, cautiones, quas res habeat, opportune adhibentes, novas vias novosque aditus ad nostram hanc aetatem accommodata, in hoc genere explorant atque experiuntur. Attamen quae in istiusmodi rem adhuc usque gesta sunt, nostrorum temporum usibus nimiopere imparia esse constat. Quemadmodum, cum publica res periclitatur, cetera posthabentur omnia, quae vel ad vitam necessaria minime sint, vel directo ad civitatis propugnationem non

(43) *I* Io., V, 4.

spectent, eodem fere modo, in re de qua loquimur, alia cuiusvis generis coepta, quamvis utilissima atque pulcherrima, postferri oportet necessitati ipsa christianae fidei christianaeque humanitatis communiendi fundamenta. Quam ob causam qui in singulis quibusque paroeciis versantur sacerdotes, cum primum, ut par est, in communem curationem et administrationem fidelium incubuerint, mox optimam maximamque diligentiae suae vim illuc intendant necesse est, ut simul operariorum multitudines Christo recipiant et Ecclesiae, simul hominum consociationes atque communitates, quae magis desipuerint, christiano spiritu ab integro imbuant. Quod porro si praestiterint qui e sacro ordine sunt, ne addubitent quin aliquando e sollicitudine sua sint necopinatorum fructuum affatim percepturi, qui loco eis mercedis equidem futuri sunt, ob datam primum laboriose operam animis funditus novandis. Hoc, ut exemplis utamur, revera contigisse Romae aliisque in frequentissimis urbibus animadvertimus, ubi, ad sacras aedes in extremis vicis recens exaedificatas, paroeciales fidelium coetus studiose coalescunt, ac mirifice eorum mores civium commutantur, qui religionem hac una de causa aversati fuerint, quod eam omnino ignoraverint.

[63] Verumtamen vis una omnium validissima egenorum tenuiorumque turbis christiane excolendis, exemplo equidem continetur sacerdotis, qui earum choro virtutum circumfundatur, quarum in Litteris Encyclicis a Nobis datis *Ad catholici sacerdotii* (44) seriem adhortando recensuimus; sed hac in causa Dei administros nominatim opus est vitae modestia, tenuitate, abstinentia eo usque eminere ut sese apud fideles ad absolutissimam referant formam Divini Magistri, qui de seipso fidenter loquebatur: « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet » (45). Quotidianis enim experimentis cognitum est tenuioris vitae sa-

(44) Die 20 dec. anno 1935 (*AAS*, vol. XXVIII, 1936, pp. 5-53).
(45) MATTH., VIII, 20.

cerdotes, qui ex evangelica doctrina suis reipsa utilitatibus nullo modo inserviant, mirifica semper conferre in christianam plebem beneficia: uti exemplis S. Vincentii a Paulo, S. Ioannis B. Vianney, S. Iosephi B. Cottolengo, S. Ioannis Bosco, innumerabilium aliorum confirmatur; dum, contra, avari sacerdotes, qui omnia emolumentis suis et commodis metiantur, ut in eisdem Encyclicis Litteris Nostris ostendimus, quamvis eo impietatis non processerint, quo Iudas Christi proditor, nihilominus vanum « aes sonans » atque inane « cymbalum tinniens » (46) exsistent; ac saepenumero tantum aberit ut iidem in fideles divinam defundant gratiam, ut potius ab iisdem prohibeant. Quodsi utriusque cleri sacerdotes e suo cuiusque muneris officio opes convenit administrare, meminerint tamen, non modo caritatis iustitiaeque leges sibi esse diligentissime observandas, verum etiam singulariter enitendum ut sese pauperum reipsa patres exhibeant.

Actio Catholica

[64] Post Clerum, carissimos e laicorum ordine filios Nostros paterne compellamus in Catholica Actione militantes, quam tantopere et in amore habemus et, pro opportunitate, « adiumentum peculiari Dei providentia » in tam difficili rerum cursu Ecclesiae datum professi sumus. Actio nimirum Catholica, cum in hoc demum certet, ut Iesus Christus, tum in singulos, cum in domesticum civilemque convictum feliciter dominetur, sociali, ut aiunt, apostolatu defungi dicenda est. Ea igitur prae primis constanter elaboret necesse est, ut sodalium suorum animos, quam diligentissime potest, excolat, atque ad certamina Dei causa certando exerceat. Sodalium huiusmodi institutioni, si qua alia, nostra hac aetate praesentissimae ac pernecessariae, quae omnem vitae actionem, fundamenti instar, praecedat

(46) *I Cor.*, XIII, 1.

oportet, mirum in modum conducent, primum coetus studii causa instituti, deinde habitae identidem per hebdomadam de socialibus rebus congressiones, tum acroases ex ordine factae, ac postremo omnia varii generis coepta, quae id maxime spectent, ut ostendant qua ratione qualive via oeconomicae quaestiones christiane expediantur.

[65] Tam apte conformati Actionis Catholicae milites non est dubium quin apud eos, quos habeant operis participes, primi exsistant apostoli, atque adiutricem sacerdotibus suam commodantes operam, assidue contendant sive veritatis lumen latius propagare, sive tot tantasque tum corporis tum animi miserias in mediis societatibus levare, quae Dei administrorum ideo obnituntur compluries navitati, quod vel temere concepta de clero opinione laborant, vel religionem ipsam miserandum in modum neglegunt. Hac iidem ratione, presbyteros usu atque exercitatione praeditos in ducatum adhibentes, viriliter animoque magno conspirabunt ad operariorum multitudini in religiosis rebus assidendum; quod summae Nobis est curae utpote quod instrumentum ex omnibus aptissimum habeamus, quo artifices, dilecti filii Nostri, a *communistarum* fallaciis defendantur.

[66] Praeter hanc vim, quae in singulos saepe privatim at salubriter semper efficienterque influit, sodalium Actionis Catholicae est, modo verbis modo scriptis, eam late disseminare doctrinam, quae in publicis Summorum Pontificum documentis inest, quaeque ad rem publicam christiane administrandam conducit.

Organizationes subsidiariae

[67] Ad Actionem Catholicam, in copiarum veluti modum, consociationes consistunt, quas iam Nosmet ipsi eiusdem auxiliarias appellavimus. Iamvero huiusmodi quoque consociationes paterno studio, hoc loco, hortamur eas, de quibus agimus, praestantissimas partes sibi deposcere, quae

nostris hisce diebus tanti intersunt, quanti interesse maxime possunt.

Organizatio per classes distributa

[68] Sed praeterea animum heic Nostrum ad eas sodalitates convertimus, quae aut viris ex eodem ordine aut mulieribus coagmentantur: sodalitates, praeter alias, dicimus operariorum, agricolarum, fabricationum artificum, medicorum, herorum, litteratorumque, qui cum haberent communem eruditionis gradum, in ordines sibi accommodatos, ipsa veluti natura duce, coaluerunt. Has namque societates plurimum valere putamus sicut ad temperationem illam in res publicas inducendam, quam Litteras Encyclicas *Quadragesimo anno* scribentes animo intendebamus, ita ad Christi regnum in litterarum omne genus operumque campum enixe proferendum.

[69] Quodsi ob mutatum rerum oeconomicarum vel socialium statum, rectores civitatis suum esse duxerunt legibus peculiaribus consociationes ipsas moderari ac temperare, salvis, ut aequum est, privatorum libertate et auctoritate; Actionis tamen Catholicae sodales, quamquam praesentium rerum rationem habeant oportet, prudenter nihilominus in causam tam studia sua conferant, nostrorum temporum quaestionibus ad catholicae doctrinae normas enodandis, quam industriam impertiant suam recte libenterque recentiora instituta eo consilio participantes, ut eadem christiano spiritu imbuant, unde rei publicae disciplina manat et civium fraterna ac mutua in agendo conspiratio.

Ad operarios catholicos paterna allocutio

[70] Patris heic animo alloqui carissimos Nobis catholicos opifices, vel adolescente vel adulta aetate, libet, qui ob strenue servatam fidem in tanta temporum iniquitate,

honestum arduumque onus et munus, loco praemii, accepisse videantur. His videlicet, sacrorum Antistitibus ac sacerdotibus industriam et laborem dirigentibus, est apprime conandum ut ad Ecclesiam Deumque ipsum ingentes sui ordinis multitudines revocent, quae ira idcirco accensae quod neque iuste aestimatae neque in merito habitae fuerint honore, a Deo, proh dolor, desciverint. Catholici artifices, qua verbis, qua exemplo aequalibus hisce suis de recta via deductis declarent, Ecclesiam benignae matris animum in omnes gerere, qui seu labore fatigentur seu afflictentur doloribus; atque, ut nunquam praeterito tempore, ita in posterum numquam ab officio filios suos tuendi discessuram esse. Quod quidem munus, ad fodinas, ad officinas, ad armamentaria, quocumque denique opus initur, proferendum, cum incommoda quandoque postulet, meminerint catholici iidem operarii Christum Iesum cum operis exemplo, perpessionis quoque exemplum coniunxisse.

Concordiae inter catholicos necessitas

[71] Omnibus autem Nostris Ecclesiaeque filiis, e quovis ordine, e quavis gente, e quovis denique sodalicio religiosorum laicorumve hominum, iterum hoc loco fidentiusque instamus, ut animorum concordiam pro viribus foveant. Etenim non semel acerbum animo Nostro dolorem discidia illa commoverunt inter catholicos viros concitata, quae, etsi ex inanibus nascuntur causis, in luctuosos tamen desinunt exitus; cum eiusdem matris Ecclesiae filios inter se colluctari iubeant. Ita fit ut seditiosi homines, quorum non ingens est agmen, datam occasionem nacti, discidia eadem exacuant atque id, quod maxime volunt, consequantur, ut videlicet catholicos homines alios adversus alios sollicitent. Quamobrem, quamvis recentiores nostrorum temporum eventus ita per se loquantur, ut monita Nostra supervacanea reddere videantur, nihilo secius id genus adhortationem eorum causâ iterandam putamus, qui eam

aut non intellexerint aut intellegere recusaverint. Qui exacuendis inter catholicos discidiis dant operam, formidandum profecto onus tum a Deo tum ab Ecclesia in se recipiunt.

Omnes in Deum credentes compellantur

[72] Sed ad vim propulsandam, qua « potestas tenebrarum » Dei ipsius opinionem ex intimis hominum mentibus evellere contendit, summa in spe sumus cum eis, qui christiano nomine gloriantur, se etiam illos efficienter coniuncturos esse, qui, longe maxima nempe hominum pars, Deum esse credunt et adorant.

Illud igitur geminantes, quod quinque abhinc annos in Encyclicis Litteris *Caritate Christi* scripsimus, hos iterum incitamus, ut pro sua quisque parte in id sincera fide incumbant, ut gravissimum illud, quod omnibus impendet periculum, ab humano genere arceant.

Nam — ut tunc temporis monebamus —: « Dei... agnitione, tamquam firmo cuiusvis civilis ordinis fundamento, cum humana quaelibet auctoritas innitatur necesse sit, qui omnium rerum legumque omnium perturbationem ac resolutionem nolunt, ii strenue contendant oportet, ne religionis hostes sua consilia, tam vehementer palamque conclamata, exsequantur » (47).

Christiani Status officia

Ecclesiam iuvare

[73] Persecuti hactenus sumus, Venerabiles Fratres, certum ac definitum munus, simul ad doctrinam, simul ad vitae actionem spectans, quod Ecclesia, Christo auctore ac

(47) Litt. Encycl. *Caritate Christi*, 3 maii 1932 (*AAS*, *vol.* XXIV, 1932, p. 184).

statore suo, mandante, in se recepit, tum hominum consortioni christiano spiritu imbuendae, cum in praesentia *communistarum* conatibus retundendis; atque in eiusmodi muneris partem universos hominum ordines advocavimus.

Sed in huiusmodi rem christiana quoque Civitas conferat opus est, Ecclesiae in hac provincia suam commodando operam, quae, licet externis sui ipsius propriis instrumentis expromatur, fieri tamen non potest quin prae primis in animorum utilitatem cedat.

[74] Quamobrem, qui Civitatibus praesunt, illuc studia omnia ac consilia sua impendant, ut prohibeant quominus nefanda atheorum commenta, ad ruinam cuiusvis humani convictus ementita, in suos irrepant populos; cum nec ulla possit inter homines auctoritas, remota Dei auctoritate, consistere, nec ullum constare iusiurandum, Dei viventis nomine sublato. Qua de re opportunum ducimus ea nunc iterare, quae toties tantaque cura perdocuimus, praesertim in Encyclicis Litteris *Caritate Christi*: « ... Quî possunt humana consistere commercia, quî vim nancisci pactiones, ubi nullum sit conscientiae vadimonium, ubi nulla sit in Deum fides, nullus Dei timor? Hoc enim sublato fundamento, omnis morum decidit lex, nihilque impedire poterit, quominus gradatim, at necessario praecipites ruant gentes, familiae, res publica ipseque humanae vitae cultus » (48).

Bono communi prospicere

[75] In hoc praeterea eorum qui publice imperant versari curas praecipuas oportet, ut illa civibus suis vitae adiumenta parent, quibus si iidem careant, rem ipsam publicam, quantumvis recte compositam, concidere pronum est; utque maxime patribus familias ac iuvenibus opera suppeditent. Quod ut civitatis gubernatores consequantur, bonorum possessores impellant ad ea onera, communis om-

(48) Litt. Encycl. *Caritate Christi*, 3 maii 1932 (*AAS*, vol. XXIV, p. 190).

nium utilitatis gratia, subeunda, quae si recusent, neque civilis societas neque possessores ipsi in tuto esse possint. At in id suscepta a rei publicae moderatoribus consilia eiusmodi sane esse debent, ut revera ad eos pertineant, qui et opibus copiisque affluant, et easdem cotidie in proximorum grave detrimentum adaugeant.

Prudentes et sobrie administrare rempublicam

[76] Publicam autem ipsius civitatis administrationem, cuius aliquando sunt Deo et societati rationes reddendae, tanta niti oportet prudentia tanta sobrietate, ut ex ea cives omnes exemplum sibi sumant. Per hoc temporis, si unquam alias, molestissimum illud, quo cunctae gentes premuntur rerum oeconomicarum discrimen postulat, ut qui peramplis utuntur fortunis, tantorum civium sudore ac labore quaesitis, communem tantummodo utilitatem intendant et, ut possunt, diligentissime augeant. Publici etiam magistratus ac minoris ordinis administri ex religione cumulate modesteque officio satisfaciant, exemplum sibi hac de re a praeclarissimis illis viris petentes, qui, aut patrum aut nostra memoria, per industriam et laborem sese rei publicae commodis impendere non dubitaverint. In mutuis vero populorum commerciis quam primum commenticia impedimenta omnia in genere oeconomico discutienda sunt, a suspicionibus potissimum et simultatibus hinc illinc enata, quippe cum populi omnes unam dumtaxat efficiant familiam, a Deo utique ortam.

Ecclesiae libertati non officere

[77] At pariter Civitatum principes Ecclesiam sinant esse liberam ad divinitus sibi concreditum munus in animorum salutem praestandum, si velint, data adiutrice opera, hac etiam via, populos a saevissima nostrorum temporum procella efficienter liberare. Iure optimo nostra hac aetate animorum vires ubique terrarum sollicite incitantur;

quandoquidem propulsandum malum, si modo unde idem primo exsurgat aestimetur, animos praecipue afficere dicendum est; atque ex corruptis funditus opinationibus, luctuosa atque impia *communismi* monstra necessitate quadam consequuntur. Atqui in omnibus viribus, quae ad religionem colendam ordinandosque mores pertinent, sine controversia Catholica Ecclesia eminet; itaque fit ut humani ipsius generis salus postulet, ne eiusdem Ecclesiae actio et efficacitas intercipiatur.

[78] Si vero secus agitur, ut idem propositum rationibus dumtaxat vel oeconomicis vel civilibus intendatur, in errorem labi periculi plenum procul dubio necessarium est. Etenim ubi religio a litterariis ludis, a iuvenum educatione, a publicae vitae moribus prohibeatur; ubi Catholicae Ecclesiae administri sacrique ritus despicatui habeantur, nonne illa promoveantur *materialismi* placita, unde communismi principia ordinationesque oriantur? Ac revera nec ulla humana potentia, vel optime instructa, nec terrenarum rerum vota, licet maxima atque excelsa spectent, effrenatos id genus motus compescere possunt, qui ex eo profluunt, quod mortalis huius vitae bona nimiopere expetuntur.

[79] Iamvero futurum confidimus ut ii, quorum in manibus populorum fortuna est, si modo gravissimum animadverterint discrimen, quod in praesens gentibus omnibus ingruit, magis profecto magisque in dies sibi persuasum habeant, eo se officio teneri, ut Ecclesiam a suo persolvendo munere ne arceant; idque eo vel magis, quod dum eadem sempiternam hominum beatitatem assequi contendit, temporariae etiam veri nominis prosperitati comparandae augendaeque studet.

Aberrantes paterne compellantur

[80] Antequam vero Encyclicis hisce Litteris finem facimus, eos quoque alloqui cupimus filios Nostros, qui vel

iam *communismi* peste miserrime laborant, vel in eo sunt ut eodem inficiantur. Quemadmodum eos enixe compellamus, ut amantissimi Patris dictis audientes sint, ita Deum vehementer rogamus, ut eorum mentes collustrando, a lubrico eosdem itinere abducat, per quod in luctuosum exitium transversi agantur; atque adeo Christum Iesum, unum humani generis Servatorem, agnoscant: « ... nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » (49).

Conclusio

S. Ioseph exemplar et Patronus

[81] Ac denique ut exoptatam omnibus pacem Christi maturemus in regno Christi (50), actuosam Ecclesiae navitatem, quae atheorum communistarum conatibus obsistit, auspiciis atque tutelae sancti Iosephi concredimus, potentissimi nempe Ecclesiae Catholicae Patroni.

Is enim cum ex operariae plebis ordinibus esset, egestatis incommoda ipsemet una cum commissa sibi Nazarethana familia perpessus est, cui sedulo studioseque praeerat; atque eius curae Divinus Infans tum demandatus fuit, cum sicarios suos Herodes, internecionis causa, immisit. Itemque, quotidiano officio suo fideliter cumulateque functus, iis omnibus exemplo fuit, quibus est cibus fabrili arte quaerendus; ac vir iustus merito appellatus, praeclarum illius christianae iustitiae specimen exstat, quae socialem hominum vitam conformare debet.

[82] Nos igitur, oculis sublime erectis, fidei virtute roboratis, « novos coelos » quasi cernimus ac « novam terram » (51), de quibus S. Petrus, primus Decessor Noster lo-

(49) *Act.*, IV, 12.
(50) Cf. Litt. Encycl. *Ubi arcano*, 23 dec. 1922 (*AAS.*, vol. XIV, p. 691).
(51) II Petr., III, 13; cf. Is., LXV, 17, LXVI, 22; *Apoc.*, XXI, 1.

quitur. Ac dum ea, quae fallaces errorum praecones in hac mortali vita assequenda pollicentur, tot sceleribus totque doloribus partis, evanescunt; id quodammodo e caelo iucundissime resonat, quod Divinus Redemptor in Apocalypsi praecinit: « Ecce nova facio omnia » (52).

Iam nihil aliud restat, Venerabiles Fratres, quam ut, paternas attollentes manus, vobis, clero populoque unicuique vestrum concredito, atque adeo innumerae catholicorum familiae, Apostolicam Benedictionem impertiamus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIX mensis martii, in festo sancti Iosephi, universae Ecclesiae Patroni, anno MDCCCCXXXVII, Pontificatus Nostri decimo sexto.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

INTRODUCTIO

Caritate erga omnes homines accensus Sanctissimus Papa noster PIUS XI, instanter commonendos esse censuit, iis ultimis annis de « maximo et generalissimo nostrorum temporum periculo, quod certo aliud non est quam *Communismus* sub omnibus suis speciebus et gradationibus ». Sic R. P. in allocutione die XII mensis maii anni 1936 habita in sollemni augurali conventu expositionis preli catholici (1).

Non mirum igitur, immo sperandum erat, Sanctissimum Patrem, vix a laboriosa infirmitate eremptum, sollemni documento, data opera ea doctrinae capita circa communismum, suscipere tractanda, quae magis congruunt ad rempublicam humanam a tanto periculo liberandam.

Id luculenter praestat in litteris encyclicis *Divini Re-*

(52) *Apoc.*, XXI, 5.
(1) Cf. *AAS* XXIX (1937), p. 141.

demptoris, die festo Sancti Ioseph, auspiciis atque tutelae causa, subsignatis.

Propositum atque materiae distributio ab ipso Romano Pontifice indicantur in prima parte (n. 7) (2).

1 - Communistarum inventa atque praecepta explanare.

2 - Iisdem inventis perspicuam Ecclesiae doctrinam opponere.

3 - Praesidia suscipienda, non solum ad christianam culturam a tanto flagitio tuendam proponere, sed etiam ad civilis societatis profectum cotidie provehendum.

Antequam ad haec tractanda deveniat, brevi introductione praemissa, qua communismus exhibetur ut novissima « insidiatoris » fallacia ad decipiendos mortales, quid egerit Ecclesia ad christianos praeveniendos et immunes reddendos ab invasione communismi, maxime a *bolscevico,* summatim exponitur in 1 parte, allegatis praecipuis documentis RR. PP. inde a Pio IX.

Vel leviter consideranti, statim Encyclicam legenti apparebit Romanum Pontificem duos ordines veritatum constanter respicere: veritates doctrinales, et practicas: « simul ad doctrinam simul ad vitae actionem spectans . . . » (n. 73).

Nostrum erit, in hoc qualicumque commentario, breviter collegere tum praecipua doctrinae capita, cum maioris momenti praecepta et consilia quae in praeclarissimo paterni amoris erga operarios documento continentur; eaque, ubi oportunum videbitur, aliquantum explanare.

Et quamvis haec in Encyclicis, ut in paterno colloquio fieri solet, commixta proponantur, claritatis gratia, nos ea separatim proponemus. Unde:

primo: Quae ad doctrinam pertinent;

secundo: Quae actionem respiciunt.

(2) Numeri intra uncinos positi lectorem ad nostram editionem remittunt.

I - QUAE AD DOCTRINAM PERTINENT

§ 1 - Communismi doctrina

Quaestio praevia: de titulo Encyclicarum litterarum

Inscribuntur de « *Communismo atheo* »; postea R. P. magis adhuc circumscribere videtur obiectum dum dicit se loquuturum « de *communismo* scilicet *bolscevico,* quem vocant, eodemque atheo » (n. *3*).

Unde quis suspicari posset, Romanum Pontificem non quemlibet communismum damnare, sed communismum tantum atheum, prout a bolscevistis praedicatur, ac proinde dari posse aliquem veri nominis communismum, qui atheus non sit, quique damnatione a R. P. inflicta non attingatur.

Ad quod responsio est obvia et peremptoria, ut ex dicendis patebit « *Communismi doctrina, suapte natura, cuilibet religioni adversatur* », inquit R. P. (n. *22*).

Minime ergo admittit R. P. dari posse aliquem communismum qui atheus non sit, qui cum religione qualibet componi possit; igitur, dum loquitur de communismo atheo cognomine ut ita dicam proprio appellat communismum, qui non nisi atheus esse potest. Eum vocat *bolscevicum,* ut factum historicum agnoscat propagationis et sustentationis doctrinarum communistarum a bolscevistis, qui infelicissimos Russiae status opprimunt et alios invadere omni vi conantur, quique *gloriantur nativam se habere unos materialismi marxistici interpretationem* (n. *9*).

De hoc ergo communismo agit R. P. et de fructibus exitialibus, qui ex eo logice consequuntur. Quod profecto necessarium est apertissime proclamare, cum non pauci, falsa specie decepti, putent communismum non adeo scelestum esse ut a R. P. describitur.

Nam verum quidem est, *de facto*, non pauca bona materialia operariis procurata esse ope consociationum professionalium, in ipsorum commodum a communismo initarum. At, ut iure meritoque Sanctissimus Pater asserit, haec nec in vi principiorum imperantur, et saepenumero nihil aliud constituunt quam subdolam artem ad inexpertos seducendos, ut certissimis argumentis constat et ostendit R. P. in IV parte litterarum. Nam ait: « eo simulationis iidem procedunt, ut gentibus non numquam suadeant, in regionibus ubi aut christiana fides aut humanitatis cultus altius insederit, *communismum* esse procul dubio lenius se gesturum, facta singulis libertate, sive Summi Dei colendi, sive quae quisque maluerit de religione iudicandi ... fideles ab insidiis caveant. *Communismus cum intrinsecus sit pravus* » ... (n. *57*, *58*).

De malitia intrinseca communismi

Intrinseca malitia communismi et cur ex natura sua atheus sit patent ex his quae in II parte traduntur a R. P.

Etenim omnis communismus a materialismo historico et dialectico CAROLI MARX prodiit; quod fatentur omnes (n. *9*).

Quaenam est conceptio mundi et historiae, hominis et ipsius finis ultimi quae inde derivantur?

Sequentibus propositionibus statuitur a R. P.:

1 - Unica et universalis realitas est materia « caecis occultisque viribus » conflata, ex qua omnia fluunt.

« Patet igitur ex istiusmodi commentis ipsam aeterni Numinis notionem aboleri; patet inter spiritum rerumque concretionem, interque animum et corpus interesse nihil » (n. *9*).

2 - Humana societas nihil aliud est quam species materiae, quae ineluctabili necessitate, « perpetuoque virium conflictu » ducit ad supremum exitum rerum, in so-

cietate in qua omnes sint aequales, et nulla ordinum discriminatio.

3 - Humana persona nihil aliud est quam « rotula quaedam universae inserta machinationi » omni libertate destituta, omnique iure, praeterquam quae a communitate ipsi concedantur, incapax.

4 - Unicus finis supremus, et vitae humanae et societatis, alius non est quam « terrae ... frui bonis in amoenissima voluptatis sede, in qua quisque pro suis viribus laborem impertiret suum, pro suisque necessitatibus opes reciperet » (n. *12*).

Qui haec attente consideret facile intellegere potest quam inconciliabilis sit philosophia ista cum doctrina catholica; quam vere asseratur fieri non posse ut communismus atheus non sit. Immo explicitum propositum habet: e terris foras mittere Deum.

Omnia quae spiritum sapiunt ignorantur: amor, familia, matrimonium; religio, vita futura, verba tantum sunt omni fundamento destituta.

Vita socialis nihil aliud esset quam « consociatio..., nulla alia auctoritate coalescens, nisi ea quae ex oeconomicis rationibus derivaretur » (n. *12*).

In quo societati plenum ius agnoscitur, « vel potius arbitrium paene infinitum, communi labori singulos cives addicendi, nullo habito respectu ad proprium cuiusque bonum; quin imo vi adhibita, vel invitos cogendi » (n. *12*).

Ecce doctrinam quam tanquam novum evangelium quasi salutarem redemptionem humano generi communistae bolscevici atque athei praedicant!

Quis mirabitur si effectus lugendos qui omnium animos conmovent inde ducantur? Communismus praesentatur non solum ut factum oeconomicum, politicum aut sociale, sed ut religio universalis quae totum hominem invadit, atque mystico quodam sensu rapit.

Ad quid? Proxime ad socialem eversionem procurandam omni vi, nullo medio excluso; remote ad illam socie-

tatem, quam somniantur constituendam, in qua unica proletariorum classis plenum dominium potiretur.

Pugnam in hunc finem promovere rationem habet sacrae cuiusdam contentionis, in qua vitam agere maximus est honor.

De causis propagationis communismi

Qui omnibus mediis ad finem propositum sibi contendere licitum esse existimat, facile mendaciis et fraudibus decipere potest incautos, ultimum finem sub speciebus boni apparentis abscondendo.

Hoc mirifice praestat communismus hodiernus; ita ut asserere possit R. P. « nimium sane paucos, quid velint et quo reapse tendant communistae, inspicere potuisse funditus » (n. *15*).

Si ad haec addantur et medii praeparatio ad semen recipiendum et scientifica methodus, qua in doctrina propaganda procedunt, bene explicatur cur tam celeriter per universam terram propagari queat doctrina tam a ratione humana aliena.

Ad duo loca efficacissime semper confugiunt: ad patrocinium operariorum, ad iustitiae vindicationem.

Quae omnia, ait R. P. (n. *15*), cum « procul dubio legitimis rationibus attingi posse nemo sit qui non videat », clare explicatur contradictio quae in multorum agendi ratione observatur; ex una parte reiiciunt penitus communismum, ex alia eorum opera et proposita sustentant.

In concreto autem considerandae sunt causae sequentes a R. P. enumeratae:

a - Calliditas qua in propriam utilitatem convertunt simultates quae homines, sive diversarum factionum sive diversarum nationum inter se dividunt.

b - Confusio in campo scientifico vigens, inducta studio separandi a Causa Prima scientificam investigationem.

c - Sequelae politicae et oeconomicae sic dictae *liberalis*, quae « *laicismum* » inter operariorum coetus et familias disseminavit, tum doctrinis, tum factis et opera instituendo quibus religio ex professo impugnabatur, et laborem, ea ratione ordinando, quae operarios ab exercitio religionis christianae impediebat.

d - Acerrimum propagandae studium, mediis omnibus culturae modernae usurpatis.

e - Lugendum ex condicto silentium a magna diariorum parte observatum, quo premunt facinora atrocissima atque immania, quae ubicumque communismus dominatum obtinet, perpetrantur.

f - Falsae prudentiae politicae rationes, ac fervor sectarum occultarum, quibus propaganda per ministros qui a Mosqua dependent multum iuvatur.

De fructibus communismi

Non poterat diligentissimus Pater oculos avertere ab iis quae nimium alte loquuntur circa fructus huius satanicae propagandae.

Ineluctabili factorum logica fructus odii et destructionis, ubicumque *experimentum* marxismi habitum est, eloquentissime loquuti sunt. In memoria omnium versantur quae et quanta passae sunt gentes regionum illarum in quibus communismus invaluit; « inibi, ait S. P., quemadmodum iidem aperte praedicant, quoquo modo enisi sunt christianae religionis humanitatisque fundamenta radicitus diruere, atque in hominum animis, iuvenum praesertim, eius prorsus memoriam restinguere » (n. *19*).

Haec autem ad fructus pertinere qui necessario deducuntur ex doctrina communistarum, iterum iterumque asserit S. P. et evidentissime ostendit. Quare severe admonet illos qui putarent scelera ista tribuenda esse necessitati cuidam fatali, omnes rerum conversiones concomitanti. « *Minime prorsus*, inquit, *at naturales potius ex huius di-*

sciplinae rationibus oriuntur, cuius compagem nulla omnino frena continent. Frena siquidem cum hominibus singulis, tum iure consociatis necessaria sunt... *Quando vero ipsa divini Numinis notio e civium mente evellitur, necessario iidem ad agrestem immanitatem ferosque mores compelluntur* » (n. *21*). Deo autem sublato, vincula moralia imposibilia sunt; iis sublatis, quid manet « nisi formidolosa illa scelerum coniuratio, quam in Russia cernere est,... quae tamen socialis compagis dissolutionem prohibere non valet, nedum profligatos mores compescere quaeat » (n. *23*).

Consectaria

Serio meditantibus quae a R. P. mente illuminata, et corde dolore pervaso, supra de communismo disseruntur, plurima gravissimaque occurrunt consideranda.

Nobis autem ad duo lectores nostros attentos facere quam maxime interest.

Primo ad formidandam lectionem quam philosophia Historiae nos docet: Romanus pontifex, in Encycl. *Quadragesimo anno* magis data opera de malis a liberalismo generatis et a socialismo praeparatis agit. Iam vero, paucis verbis, gravissime omnes admonet atque exhortatur ut attendere velint ad fata Historiae, iis verbis: *meminerint omnes huius socialismi mores cultumque pervadentis parentem quidem liberalismum fuisse, HEREDEM VERO BOLSCEVISMUM FUTURUM* (3).

Liberalismus a condicionibus theologicis et moralibus praescindere voluit, et venit socialismus; socialismus nulla vi pollet ad homines continendos quominus in communismum labantur; homines autem communismo pervasi, qua vi qualive ratione impediri poterunt quominus ad suspiratum exitum rerum omnia perducant?

Secundo ut catholici ab omni participatione cum communismo absterreantur, communismus ut vera *secta* de-

(3) *Quadr. Anno.* ed. Vita e Pensiero, p. 148.

scribitur, et quidem inter illas adnumeranda, quae eo contendit ut « *societatis ordinationem radicitus commisceat, ipsaque christianae urbanitatis fundamenta subvertat* » (n. *4, 5*).

Itaque iuridice qui societatibus communisticis adscribuntur, obnoxii fiunt sanctionibus canonicis quibus adscripti sectis acatholicis subiacent, ut e. c. sanctionibus can. 1065 § 1; 1240 § 1, 1°.

De poena excommunicationis Sedi Apostolicae simpliciter reservatae de qua can. 2335, aliquod dubium suscitari posse videtur, eo quod non nullis auctoribus videatur necessarium ad hanc poenam incurrendam, quod secta *secreto* machinetur, quod de communismo constare non videtur cum apertissime machinetur (4).

§ 2 - Ecclesiae doctrina

Erroribus bolscevistarum in sua luce positis, gradum facit Sanctissimus Pater ad notionem humanae societatis, iisdem opponendam, « qualem ratio mentis ac divina revelatio per Ecclesiam, Magistram gentium nos docent » (n. *25*).

In mirabili synthesi conspectus integralis doctrinae catholicae proponitur, ut pacis et luminis splendentis visio, qua animus e contemplatione teterrimi materialismi bolscevistici deiectus, sublevetur.

Qua in re vix aliquid notandum occurrit cum perspicua sit doctrinae expositio, et evidenter pateant argumenta.

Opponitur atheismo bolscevico doctrina catholica de Deo Creatore et Redemptore, de homine *filio Dei*, ad supremam destinato felicitatem, qua ut praemio pro recto libertatis usu in Regno aeterno fruetur.

Doctrina de societate civili dilucide evolvitur mediam tenendo viam inter liberalismum individualisticum et *sta-*

(4) Cf. F. M. Cappello, *De censuris* 3, n. 298, 7.

tismum (sit venia verbo) sive communisticum sive cuiuscumque alterius ordinis.

a - « Societas enim ex divini Creatoris consilio naturale praesidium est, quo quilibet civis possit ac debeat ad propositam sibi metam assequendam uti » (n. *29*). Habet igitur rationem non finis sed medii, si cum fine supremo hominis comparetur. Quare indubitanter omnibus qui indebite subicere hominem societati conantur, occurrit R. P. inquiens: *CIVITAS HOMINI, NON HOMO CIVITATI EXSISTIT* (*ibid.*).

b - Ita homines in societate copulari oportet ut: *1* - communitas non cogatur « immoderatis singulorum commodis inservire »; *2* - composito ordine per mutuam navitatis conspirationem, veri nominis terrenam prosperitatem attingere possint; *3* - illae animi dotes tam individuales quam sociales, hominibus a natura insitae, quaeque temporarias et peculiares utilitates exsuperant, divinamque in societate praeferunt perfectionem, floreant ac vigeant (*ibid.*).

Ad rationem pulcherrimam de novo allatam ad probandam ordinationem hominis ad societatem, attendere velint lectores diligenter: animi dotes quibus Deus ornavit homines superant personales necessitates singulorum, neque explicari possent in vita ab aliis separatim ducta. Unde signum habetur Creatorem sapientem velle humanum consortium in quo, in sua universalitate et continuitate, aptissimum exhibetur campum in quo mirificas ingenii vires in utilitatem generis humani exerceantur. Cogita artis, scientiae, caritatis aliarumque virtutum opera et monumenta ab humano ingenio ante saecula parta, nostris adhuc temporibus mirifice nobis inservientia. Haec, sicut absque concursu societatis perfici non potuissent, sic nec intra limites individualis personae includi possunt. Ideo perferre dicuntur in societate imaginem quandam divinae perfectionis. Hanc vero imaginem agnoscere acceptamque Creatori referre, Eumque laudibus adorationeque colendo, ad singu-

los iterum pertinere dicitur, quia « homines siquidem tantummodo, non vero quaevis eorum consociatio, mente voluntateque, ad morum normas libera, praediti sunt » (n. *29*).

Ex dictis apparet quam sublimis sit personae humanae, in universo creationis ordine, positio. « Terrenae res omnes homini usui utilitatique » sunt ut « per eum ad Creatorem referantur » (n. *30*).

« Quam ad rem id profecto quadrat, quod Gentium Apostolus de christiana salute procuranda ad Corinthios scribit: « *Omnia ... vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei* » (*ibid.*).

Ecce ordinationem immutabilem et transcendentem, quam, cum maxima iniuria contra veram hominis dignitatem, pervertere conantur tam qui, ut *communistae*, eum ad rotulam cuiusdam machinae instar habent; quam qui, ut national-socialistae, eum totum tamquam ad ultimum finem ad Nationem ethnicam subordinant.

Unde mirum non est R. Pontificem eodem modo, eademque sollicitudine, fere eodem tempore, contra illos qui, sub aspectu politico invicem adversantur, vocem attollere debuisse ut pariter utriusque sententias damnaret. Pater omnium hominum et custos Iuris et Veritatis silere non poterat tam atrocem humanorum iurium conculcationem contemplando!

De mutuis civitatis et personarum relationibus

Ex normis quas sub littera *b* collegimus deducuntur quaenam sint mutua officia in societate ab unoquoque explenda.

Sequenti modo ordinari posse videntur, secundum doctrinam R. P. in hoc loco traditam:

1 - Neque homo Societati repudiare potest officia quibus Dei iussu, erga ipsam tenetur, neque Societas iis iuribus civem spoliare potest a Creatore eidem impertitis (n. *30*).

2 - Secundum doctrinam traditam in *Quadr. anno*, ad causam operariorum quod attinet, unica solutionis via ea est, ut integra vita socialis iustitiae socialis et caritatis praeceptis imbuatur.

3 - Haec, procul dubio, « neque civium ordinum inter se contentio terrorisque facinora, neque immodicus atque tyrannicus publicae potestatis usus praestare possunt » (n. *32*).

4 - Sed vera populi prosperitas « per rectam collegiorum consociationem [procuranda est], quae varios socialis auctoritatis gradus agnoscat ac vereatur » (n. *32*).

5 - Item necessarium est « omnia artificum sodalicia inter se cohaerere amiceque conspirare, ut ad commune Civitatis bonum contendere possint » (*ibid.*).

6 - « Germanum peculiareque publicae potestatis munus in eo [consistit], ut mutuam eiusmodi civium omnium conspirationem consensionemque pro facultate promoveat » (*ibid.*).

7 - Ad hoc assequendum, catholica doctrina plenam auctoritatem rei publicae moderatoribus tribuit, quam tantopere Sacrae Litterae Ecclesiaeque Patres inculcant (n. *33*).

8 - Unde falsa ostenduntur communistarum commenta, quae omnes cives aequales in societate habet et legitime exsistere potestatis ordines negat (*ibid.*).

9 - Cum praecipuas civium communitatisque inter se rationes Deus ipse, tum hominis tum societatis Auctor, instituerit, legibus a Deo datis regi debet humana societas, nec sufficere possunt politica factionum consilia ex humano arbitrio profluentia, quae iniquam omnino atque iniustam iuris usurpationem continerent (*ibid.*).

Ecclesiae doctrinae propositum et momentum

Occurrit hoc in loco R. P. difficultati pervulgatae, quae diversis formis semper ab Ecclesiae hostibus repetitur; Ec-

clesiam, inquiunt, societatem spiritualem, nihil habere dicendum de rebus temporalibus; immo suo studio homines excitandi ad caelestia, eos a curis rerum temporalium retardare.

Responsio in promptu est, et pulchre exornatur a R. P. n. *34, 35*. Competens est Ecclesia catholica in doctrina iuris naturalis et revelati proponenda, qua regantur necesse est relationes sociales hominum, qui specialissimo Dei mandato, per Iesum Christum, curis Ecclesiae, ita commissi sunt, ut nemini locum cedere possit.

Fatetur utique R. P. Ecclesiae non esse rationibus, ut ita dicam technicis, problemata solvere quae in societate civili agitantur, at ut proprium sibi vindicat ius et officium praecepta disciplinae impertire quibus vita hominum sit conformanda ut « veri nominis videlicet pacem verique nominis felicitatem », quae his in terris comparari potest, attingere valeant. Evidenter haec felicitas erit tantum relativa et necessario aeternae felicitati subordinata; at nulla alia via efficacius promoveri poterit, quam illa ab Ecclesia proposita, saeculorum testimonio comprobata. Neque ab actuosa rerum temporalium cura aeternorum bonorum sollicitudo animos retardat, cum sapientissima Dei ordinatione statutum sit, homines ad aeternam felicitatem pervenire non posse nisi illas virtutes colendo, quae simul maximam prosperitatem terrenam Civitati procurare valent.

Haec et ipsi non pauci Ecclesiae inimici fateri coguntur; unde ad aliud genus argumentorum Ecclesiae osores confugiunt: Ecclesiam scilicet, ad datas institutiones vitae actionem non conformare (n. *36*).

« Verumtamen criminationem eiusmodi falsam iniustamque esse », ait R. P., « omnes christiani nominis annales demonstrant » (*ibid.*).

Argumentum desumit R. P. ex duplici fonte: Historiae Ecclesiae, et actionis doctrinalis ipsius, quae sine intermissione eandem, pro diversitate temporum dispositam, tradidit caritatis et iustitiae disciplinam.

Quod si minus efficax, ultimo praesertim saeculo, Ecclesiae actio se ostendit, id omnino tribuendum est iniquis persecutionibus, quibus in nationibus christianis insectata est; dum iuribus et facultatibus suis crudeliter spoliata, exclusa est ab illa participatione in vita sociali, quam largissime et magna cum populorum utilitate, saeculis anteactis habuit.

Ideo merito conqueritur in fine huius capitis R. P. de illis populorum moderatoribus qui liberalismo et laicismo infecti, in aedificando ab unico et primario lapide qui Christus est, praescindere volentes, planissimam viam ad eversionem quae a communismi asseclis praedicatur, praeparaverunt. « Neque *socialistarum*, neque *communistarum* errores usquequaque serperent, si Ecclesiae praecepta maternaque eius adhortamenta populorum moderatores non detrectassent » ... (n. 38).

Haec sunt praecipua capita doctrinae Ecclesiae de conceptione hominis et societatis quae prae oculis sunt habenda ad communismum debellandum. Saepe repetuntur conceptus in magni Leonis xiii Encyclicis et in *Quadr. Anno* contenti, utpote fundamentales et classici in doctrina politico-sociali Ecclesiae.

Non tam novas res tradere intendit R. P. quam novis erroribus incommutabilis veritatis lumina opponere. Pro catholicis hominibus, maxime pro his quibus cordi est veritatis catholicae expositio et vindicatio, maximum habet momentum consideratio veritatum quae compendio exhibentur hic, ut sciant quaenam sint capita doctrinae efficaciter inculcanda in pugna adversus sectam communismi, quae merito exhiberi potest, non solum ut ingens haeresis et apostasia, sed maxime ut consequentia practica, et naturalis filia haeresum modernarum.

Nonnulla addere iuvat quae maiorem lucem afferre videntur ad ea intelligenda quae in *Quadr. Anno* de *iustitia sociali* traduntur.

De iustitia sociali

Non multa, sed utilissima ad complendum conceptum socialis iustitiae traduntur in his Litteris.

Notum est omnibus quot controversiae suscitatae sint occasione litt. *Quadr. Anno* circa significationem termini *iustitia socialis* (5).

Definitio traditur simplex et clara: « *Socialis iustitiae est id omne ab singulis exigere, quod ad commune bonum necessarium sit* » (n. *51*).

Comparatione postea instituta cum corpore humano, ait: sicut ad commune bonum corporis singulis membris tribuendum est id quo indigent ad proprium bonum, sic ad totius societatis bonum requiritur ut singulis membris, personis, scilicet humanis, « illud omne impertiatur, quod iisdem opus sit, ad sociale munus cuiusque suum exercendum » (*ibid.*).

Ex quo apparet quod ut *subiectum* designantur « *singuli* », ergo tam *heri* quam *artifices*. Ut *obiectum*, habet « *id omne* » in casu singulis tribuere necessaria...

In concreto: Socialis iustitia exigit: *a* - ut opifices sibi et familiae cuiusque suae, victum et alia consentanea, ex mercede, praebere possint; *b* - ut inde copia detur ad modicam quandam fortunam sibi comparandam; *c* - ut, sive per privatas sive per publicas cautiones, sibi certa constituatur indemnitas pro senectute, infirmitate, operisque vacatione; *d* - ut ipsi operarii ante oculos habeant caritatis et iustitiae commutativae officia.

Ex iis confirmari videtur opinio quae tenet iustitiam socialem constituere speciem supremam iustitiae, sub qua comprehendantur tam illa quae legalis a scholasticis appellatur, quam ea quae distributiva dicitur.

---

(5) Cf. Noguer, *La « Quadragesimo Anno »*, Madrid 1934.

Unde omnis iustitia sic dividenda esset: in *socialem* et *particularem*; prima respicit ius societatis, secunda ius privatorum; prima subdividitur in *legalem,* quae movet ad bonum commune efficiendum, productionem ut dicunt, et *distributivam* quae movet ad bonum commune distribuendum. Utraque habet, ut obiectum formale, bonum commune; discriminantur ratione qua illud respiciunt; opponuntur iustitiae particulari quae, immediate, privatorum bonum, quatenus est privatum, respicit. Unde sequeretur, contra ac passim auctores dicunt, iustitiam distributivam non esse particularem sed ad maiorem dignitatem elevari. Ad hoc autem fundamentum praebent ea quae in utraque encyclica tradit R. P. de iustitia sociali cui tribuuntur plurimi actus qui, ab auctoribus, iustitiae distributivae adscriberentur.

Rem lectoribus considerandam committimus, ut iam ad ea quae praxim magis respiciunt deveniamus.

II - QUAE ACTIONEM RESPICIUNT

Tractaturus in IV parte litterarum de remediis contra invasionem communismi, gravissimum praemittit monitum, quo neglecto, parum proficeret doctrinam tenere: « Opus omnino est », inquit R. P., « ut eadem doctrina in ipsum vitae usum deducatur, secundum illud S. Iacobi Apostoli hortamentum: " Estote autem factores verbi et non auditores tantum fallentes vosmet ipsos " » (n. *39*).

« Quid igitur facere, quibus remediis uti oportet, ut Christum et christianum vitae cultum contra perniciosum illum hostem defendamus? Quemadmodum pater familias cum liberis suis intra domesticos parietes, sic Nos vobiscum intima quadam cum fiducia agere exoptamus » ... (n. *40*).

Et ad omnes filios, etiam ad illos qui domesticam domum deseruerunt, paternus sermo convertitur.

Et primum quidem et pernecessarium remedium apud « *domesticos fidei* » quaerendum esse affirmat R. P., dum

ait: « remedium, aliorum fundamentum et caput, illud est, ut privata vita ac publica eorum omnium ad Evangelii normas sincere renovetur, qui ad Ovile Christi se pertinere glorientur; ita ut sal terrae, universam hominum societatem corruptis moribus immunem servans, revera fiant » (n. *41*). Meditanda sane verba! Et causa malorum et remedium, maxime intra nos latent. Facilius quidem est lamentari de iniquitate temporum et de malitia inimicorum, at non tanta esset illorum audacia si christianos haberent expugnandos, qui « in spiritu et veritate » viventes *officia omnia sub divino obtutu reputarent atque persolverent* (n. *43*). Igitur:

1 - Abalienandus animus est a terrenis cupiditatibus et imbuendus christiana caritate. Hoc pernecessarium est cum materialismus huius vitae bona voluptatesque ardentissime sitiat (n. *44*).

2 - Christiani omnes, sive divites sive pauperes, oculos semper in caelum intentos habeant, memores « non habere nos hic manentem civitatem sed futuram inquirere ».

3 - Non sibi quaerere divites debent ex divitiis felicitatem, « *sed cum noverint se solummodo esse earum administratores, earumque rationem sibi esse summo Domino reddendam iisdem utantur, tamquam validis adiumentis, a Deo acceptis, quibus virtutis fructus edant* » (n. *44*).

Ubi notandum est divitias, si recte et moderato animo quaerantur, minime esse damnandas, cum « valida esse possint virtutis adiumenta » a Deo ipso concessa; neque iustum esse, indiscriminatim, adversus omnes divites convertere reprehensionem, quam illi tantum merentur, qui divitiis contra propriam earum destinationem uti cupiunt. Neque oblivisci possunt utilissima in bonum communitatis opera per divites, christiano spiritu imbutos, ad exitum deducta. Et, cum divitiae necessario requirantur ad vitam oeconomicam promovendam, certo vitanda est

illa iniusta distributio, qua inter paucos praedivites ingens bonorum copia retineatur, quod reprobatur in *Quadr. Anno* (6) at non minus noceret, omnia penes Statum accumulari. Inter utrumque extremum principium moderationis rectam viam docet qua privatis divitiae permittantur legitime acquisitae, utendae secundum normas iustitiae et caritatis.

4 - Proletarii, vicissim, patienter et fortiter sustinere debent propriam condicionem, scientes dolores et aegritudines hereditatem constituere communem pro omnibus in hac mortali vita degentibus; et veri nominis felicitatem terrenam magis inveniri apud illos quam apud divites avaros (n. *45*).

His dispositionibus animo praeparato, descendit R. P. ad virtutes magis ad communismum avertendum necessarias, christianis inculcandas.

§ 1 - Virtutes sociales earumque momentum

De praecipuis caritatis actibus

Non communia de caritate tradit R. P., quae facile ab omnibus exercentur, sed ea quae ad casum nostrum magis pertinent et difficiliora sunt. Caritas christiana, ut odium a communismo inter operarios generatum exstinguere valeat, eminere debet sequentibus qualitatibus:

1 - sit « *patiens et benigna* » quae gloriationem omnemque speciem tutelae, quae proximos deprimat, ab se arceat;

2 - sit *universalis*, quae omnibus necessitatibus egenorum, quatenus fieri potest, tam corporis quam animae, subvenire curet;

3 - sit *supernaturalis*, quae supremam tenuiorum dignitatem agnoscat ac revereatur; illosque tamquam Christi

(6) Cf. « *Quadragesimo Anno* », ed. Vita e Pensiero, p. 106, 136.

vicarios amore operoso prosequatur; quae, ut pulcherrime ait R. P. nos impellat ad omnes aerumnosos « *quasi divinum ipsum Redemptorem inspicere* » ... et omnes homines « *eo amore, tamquam fratres, adamare, quo nos Servator noster prosecutus est; ac vel ad nostrarum usque rerum ipsiusque, si opus fuerit, vitae iacturam* » (n. *47*);

4 - sit *efficax et sobrietate coniuncta;* id est, talis quae omnes ducat ad illas sibi restrictiones imponendas in rerum propriarum usu, quae necessariae sint, pro rerum condicione, ad auxilia praebenda his qui egestate opprimuntur.

Itaque, cum bona materialia primo et per se ad vitae hominum conservationem sint destinata, ut efficaciter succurratur indigentibus, non solum « ad modestiorem vitam reverti », et voluptatibus renuntiare debent ditiores, sed « *et sui ipsius oblivisci* », ait Pontifex; ideo et sumptibus minus necessariis abstinere.

5 - sit *iusta.* Nec mirum videatur alicui hoc asserere. Sunt, proh dolor, catholici, qui praesumunt se posse iustitiam negligere, hanc negligentiam compensando operibus quibusdam ementitae caritatis; de illorum agendi ratione conqueritur R. P. nam haec agendi ratio « non parum contulisse, ait, ad operariae plebis fiduciam ab Iesu Christi religione abalienandam » (n. *50*).

Minime caritati satisfacit qui prius omnibus iustitiae officiis non satisfacit. Unde, iterum R. P. « caritas quae operarium debita mercede privat, non caritas est, sed vanum nomen et ficta species caritatis »; « nec eo cuilibet contendere licet, ut se iustitiae debitis eximat, parva misericordiae dona subrogando » (n. *49*).

Nec hoc sufficit; sunt alia iura operariis propria, quaeque Ecclesia declaravit aperte luculenterque iisdem esse tribuenda. Ad ea certo pertinent sequentia: cognoscere socialem doctrinam Matris Ecclesiae; consociationes inire ad commoda propria honeste prosequenda; iuribus socialibus legitime acquisitis frui; ne denique ius proprietatis

usurpetur ut opifices mercede sua suoque sociali iure defraudentur;

6 - *colat, nominatim, socialem iustitiam.* Vidimus supra quid in genere exigat socialis iustitia. Lucidissimo compendio, ex *Quadr. Anno* exhibentur in n. *52.*

Ad duo maximi momenti praecepta hic lectorem attentum facere volumus: fatetur R. P., et nimium evidens est, cotidie accidere, non posse singulos satisfacere propriis officiis nisi concorditer procedant una cum aliis operum conductoribus. Unde:

a - Constitui debent, ubi id opus sit, quod saepius cotidie accidit, consociationes dominorum et operum conductorum, quibus pretii contentione vitata, operariorum iuribus perniciosa, iustitiae officia erga ipsos expleri possint.

b - Immo, ut efficax sit iustitia et caritatis influxus, constituendae sunt foederationes professionales et interprofessionales, quae collegia corporativa dicebantur olim, solido moralis christianae innixae fundamento (n. *53, 54*);

7 - sit *demum illustrata,* i. e. sibi et aliis procuret illam doctrinae socialis copiam, sine qua in multis necessarium erit errandum. Quare, qua scriptis, qua foliis periodicis, qua lectionibus, « omnes ex quolibet societatis ordine, pro varia sua cuiusque cultura, socialibus disciplinis cotidie impensius instituantur » (n. *55*). Nec sufficit tenere doctrinam nisi etiam a fraudibus inimicorum immunes reddantur incauti; ad caritatem illustratam igitur pertinere dicendum est, sollerte insequi artes et fallacias sectae communistarum ut malitia, quam abscondere sub specie boni conantur, omnibus reveletur (n. *57*).

Haec sunt praecipua officia quae in Litteris *Divini Redemptoris* continentur, quaeque, duce S. Paulo (*Rom. XIII*, 8, 9), placuit Romano Pontifici sub caritate comprehendere. Quod merito facere potuit, tum quia caritas, teste S. Thoma (7) dici potest virtus generalis in quantum or-

(7) II, II, q. 58, art. 6.

dinat actus omnium virtutum ad bonum divinum, tum quia sola christiana caritas movere efficaciter potest homines ad tot tamque ardua officia implenda.

§ 2 - De ministris et adiutoribus

De his agit R. P. in quinta Litterarum parte.

Ad sacerdotes, ad laicos Actionis catholicae, ad illos qui suprema tenent populorum gubernacula, oratio dirigitur.

Munus sacerdotum

Ante omnia urgentissime cohortamur sacerdotes omnes, clamoribus Leonis xiii, quos proprios facit Pius xi « *Ad opifices egenos potissimum prodite; immo in universum, ad indigentes prodite* » (n. *61*).

Nam si sacerdotes opificibus atque egenis non occurrant, ut praeiudiciis eos liberent, nullo negotio iidem sunt *communismi* praeconum in arbitrium cessuri. Multa a temporibus Leonis xiii fatetur R. P. suscepta feliciter esse, at non sufficit. Urgentissima necessitate premuntur operarii fere in omnibus regionibus. Ergo, prosequitur R. P., « quemadmodum, cum publica res periclitatur, cetera posthabentur omnia, quae vel ad vitam necessaria minime sint, vel directe ad civitatis propugnationem non spectent, eodem fere modo in re de qua loquimur, alia cuiusvis generis coepta, quamvis utilissima atque pulcherrima, postferri oportet necessitati ipsa christianae fidei christianaeque humanitatis communiendi fundamenta ».

Gravissima sane verba, quae statum extremae necessitatis denuntiant, cui subveniendum est cum quocumque incommodo, cum de necessitate spirituali ingentis numeri hominum agatur.

Ideo R. P. non dubitat a sacerdotibus suis etiam difficillima expostulare. Et maxime quidem requiruntur ex-

empla illarum virtutum quae ut testimonium veritatis christianae ostendunt sacerdotem, etiam nolentibus: haec sunt caritas et sui abnegatio, rerum terrenarum contemptus, quo referant coram fidelibus absolutissimam formam Divini Magistri, qui « dilexit nos et tradidit semet ipsum pro nobis ».

Nec abs re erit observare Romanum Pontificem bonorum ecclesiasticorum utriusque cleri administratores admonere ut meminerint, « non modo caritatis iustitiaeque leges sibi esse diligentissime observandas, verum etiam singulariter enitendum ut sese *pauperum reipsa patres exhibeant*. Haec fuit et erit suprema laus tam ambitiose quaesita et quaerenda ab omnibus qui nomine amicorum Christi gloriantur.

Munus Actionis Catholicae

Non poterat deesse paterna adhortatio ad « *militantes* » A. C. quae «*sociali apostolatu fungi dicenda est* » (n. *64*). Sed, cum de hac parte sufficienter, pro sua competentia, in apposito commentario agat P. Tromp, ad illa lectorem remittimus; cf. p. 324 ss.

Animorum concordia omnino necessaria est

Nam minime ut res parvi momenti consideranda est ea a qua saepenumero tota vis inimicorum pendet, qui pauciores numero imperant catholicis inter se divisis. Exempla alte loquuntur. Et proh dolor nimia eloquentia! Dolorosissimum est catholicos cernere eiusdem reipublicae inter se acerrime pugnantes, cum evidentissimo communismi emolumento; neque a pugna desistentes quamvis a pastoribus et ab ipso Supremo Pastore ad vires pro causa communi Fidei et Religionis in unum colligendas instantissime sollicitentur.

Nec minus dolorosum cernere, qua concordia, qua diligentia, communismus internationalis omnia moveat ad

inducendos animos in favorem illorum qui omnia sacra aeque ac humana subvertere conantur, quorum furens vecordia « Episcopos ac sacerdotes, religiosos viros ac mulieres ad millia bene multa trucidavit, eos easque peculiari modo insectata, quibus de opificibus ac de indigentibus cura esset; sed complures etiam laicos homines e quovis ordine interemit, qui adhuc usque idcirco catervatim necantur, quod christianam profitentur fidem, vel saltem quod atheorum *communistarum* doctrinam aversantur ». Interea, catholici fratres, inter se dissentientes, eousque, inadvertenter fortasse, pervenire possunt, ut aures benevolas praebeant pollicitationibus quibus *communismus,* pacem et libertatem invocat, dum revera, « populos ad contentionem de civitatis ordinibus tollendis pariter commovent, unde acerbissimae proficiscuntur caedes » (n. *57*).

Merito igitur Romanus Pontifex, severe illos admonet qui discordias parant. « Qui exacuendis inter catholicos dissidiis dant operam, formidandum profecto onus tum a Deo tum ab Ecclesia in se recipiunt » (n. *71*).

Partes civilis auctoritatis

Evidenter patent utilitates quae ex mutua cooperatione inter Ecclesiam et civilem auctoritatem ad debellandum communismum, haberi possunt.

Ad hoc sequentia proponit R. P. ab iis qui Civitatibus praesunt praestanda:

1 - Prohibere quominus nefanda atheorum commenta in suos irrepant populos, cum « nec ulla possit inter homines auctoritas, remota Dei auctoritate, consistere, nec ullum constare iusiurandum, Dei viventis nomine sublato » (n. *74*).

2 - Omnem curam adhibere, ut civibus suis omnia vitae adiumenta parent, quibus si careant, respublica consistere non poterit; utque maxime patribus familias et iuvenibus opera suppeditent.

3 - Ad hoc bonorum possessores impellant ad onera implenda ex bono communi debita quae si recusentur, « nec civilis societas neque possessores ipsi in tuto esse possunt » (n. 75).

4 - Ita procedere in honoribus distribuendis Reipublicae moderatores debent, ut revera ab his sustineantur, qui « et opibus copiisque affluant, et easdem cotidie in proximorum grave detrimentum adaugeant » (*ibid.*).

5 - « Publicam autem ipsius civitatis administrationem, cuius aliquando sunt Deo et societati rationes reddendae, tanta niti oportet prudentia tanta sobrietate, ut ex ea cives omnes exemplum sibi sumant » (n. 76).

6 - Publici magistratus et minoris ordinis administri, ex religione officio satisfaciant, seipsos in reipublicae bonum impendentes.

7 - « In mutuis vero populorum commerciis quam primum commenticia impedimenta omnia in genere oeconomico discutienda sunt, a suspicionibus potissimum et simultatibus hinc illinc enatis; quippe cum populi omnes unam dumtaxat efficiant familiam, a Deo utique ortam » (*ibid.*).

8 - Civitatum Principes Ecclesiam sinant esse liberam, ad salutem animarum promovendam; quandoquidem malum propulsandum, maxima ex parte, mediis spiritualibus mederi debet, in quo Ecclesia eminet.

9 - Error esset perniciosus rationibus tantum oeconomicis et politicis rem componere velle, cum nulla humana potentia, effrenatos motus compescere possit.

Ecce simplicissimum gubernationis codicem, quem si fideliter populorum gubernatores observaverint, sine dubio, communismus, qui mirifice utitur civium de gubernatoribus quaerelis, potentissima arma amitteret ad ordinis socialis eversionem procurandam.

Longiorem commentarium merentur sapientissima praecepta; at hoc ab scopo nostri laboris exsularet.

Tenerrima exhortatione ad illos, qui iam peste communismi laborant, ordinata, finem dicendi imponit R. P., eos ad S. Ioseph adeundum invitans, ex quo auxilium et exemplum ad vestigia Iesu Christi sectanda, merito sibi promittere possunt et debent.

Ulpianus López, S. I.

38 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Epistola Encyclica *Firmissimam constantiam*, 28 martii 1937

DE REI CATHOLICAE IN MEXICO CONDICIONE

(*AAS* XXIX (1937) p. 189 ss.)

AD VENERABILES FRATRES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS FOEDERATARUM MEXICI CIVITATUM PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

PROLOGUS
Gloria et tribulatio Ecclesiae Mexicanae

[1] Firmissimam constantiam (*) plane cognitam habemus, grato cum solacio animi Nostri paterni, qua vos, Venerabiles Fratres, sacerdotes et plerique fideles Mexicani catholicam fidem profitemini atque iniquis obsistitis

(*) *Tituli, subtituli et numeri marginales manu nostra sunt appositi.*

vexationibus (1) eorum, qui, divinam Christi religionem penitus ignorantes, aut per hostium calumnias depravatam dignoscentes, frustra arbitrantur, se nequire sociales in

---

(1) Quod ad persecutiones Ecclesiae Mexicanae inde ab anno 1821 usque ad haec tempora vide *Encyclop. Espasae* in voce *Méjico* col. 297-300, ubi usque ad ann. 1930, et praecipue J. Schmitz sub voce *Mexico* in *Lex. f. Theol. u. Kirche* VII, col. 149-156, ubi attingitur annus 1935 et additur uberior bibliographia, cui addo recentiora quaedam ex benevolentia P. Alba, S. I.:

Fr. Kelly, *El libro de rojo y amarillo*: una historia de sangre y cobardía, Chicago, 1915.

M. Roja O'Brien, *Quiénes son los traidores de México*: interesantes relaciones históricas, Texas (ed. Revista Catolica), 1927.

Documentos presentados al honorable Congreso Federal de los Estados Unidos Mexicanos, en que se piden Reformas a las Leyes Constitucionales relacionadas con la libertad de conciencia, México, 1928.

A. Junco, *Inquisición sobre la Inquisición*: Anticipo de un libro, Méjico (ed. Proa), 1933.

J. Ruiz, *La Revolución en Tabasco*, México, 1934.

M. Kenny S. I., *No God next Door*: Red Rule in Mexico and our responsability, N. York (Hirten Co), 1935 (Liber magni valoris, ut intellegas tum res Mexicanas, tum quid de iis sentiant Catholici Americae Septentrionalis).

Qua astutia venenosa impetatur Ecclesia et A. C. Mexicana, apparet ex opere tendentioso:

E. Portes Gil, *La labor sediciosa del Clero Mexicano*, Madrid, 1935.

Contra hunc librum scripserunt:

J. Morales Arteche, *Al margen de un dictamen*: Estudio crítico, El Paso Texas (Imp. Mexicana), 1935. Alia opera ibi, pag. 86-87.

W. J. Chávez y M. P. Ruano, *Ha llegado para Portes Gil la hora de las responsabilidades*, México, 1935.

* *, *No hay persecución religiosa en México* (Cuestiones de actualidad nº 1), San Antonio Texas, 1935.

P. Dudon S. I., *Encore les tyrans du Mexique* in *Etudes* (1935) pp. 433-459.

Iterum atque iterum Romani Pontifices, tacente proelo non catholico, persecutionem Mexicanam mundo patefecerunt. Conferas *Alloc. Cons.* 14 dec. 1925: *AAS* 17 (1925) 642-644, *Periodica* 14 (1925) 155-166; *Paterna sane sollicitudo*, 2 febr. 1926: *AAS* 18

populi utilitatem reformationes peragere, nisi religioni maximae partis (2) civium repugnando.

[2] At vero christiani nominis inimici, quamvis perpauci, multos profecto sibi homines devinxere, qui, seu fide torpentes, seu fracti demissique animo, dum Deum in conscientiae penetralibus adorant, timore tamen amittendae hominum aestimationis aut terrestrium malorum formidine perculsi, actione sua vel saltem negligentia haud parum conferunt ad radicitus evellendam christianam e populo religionem, quae tot tamque egregias laudes eidem comparavit.

(1926) 175-179, *Periodica* 15 (1926) 137-141; *Ep. ad Card. Vic.*, 3 apr. 1926: *AAS* 18 (1926) 181; *Litt. Secr. Stat.*, 2 Iul. 1926: *AAS* 18 (1926) 326-327; *Iniquis afflictisque*, 18 nov. 1926: *AAS* 18 (1926) 465-477, *Periodica* 15 (1926) 189-200; *All. Consist.*, 20 dec. 1926: *AAS* 18 (1926) 515-517, *Periodica* 15 (1926) 202-203; *All. Consist.*, 20 iun. 1927: *AAS* 19 (1927) 235-236, *Periodica* 16 (1927) 81-87; *Decr. S. C. Rit.*, 14 mart. 1928: *AAS* 20 (1928) 198; *Quinquagesimo ante anno*, 23 dec. 1929: *AAS* 21 (1929) 711-712, *Periodica* 19 (1930) 31-44, ubi R. P. spem exprimit mox fore finem persecutionis; *Acerba animi*, 29 sept. 1932: *AAS* 24 (1932) 321-332, *Periodica* 21 (1932) 261-274; *Alloc. Consist.* 13 mart. 1933: *AAS* 25 (1933) 113, *Periodica* 22 (1933) 46-60; *Serm. ad Hisp.*, 14 sept. 1936: *AAS* 28 (1936) 375-376, *Periodica*, 25 (1936) 130; *Divini Redemptoris*, 19 mart. 1937, n. 19: *Periodica*, supra p. 227 ss.

Ex parte auctoritatis Ecclesiasticae Mexicanae emanavere haec documenta:

Orientaciones y normas dadas por la S. Sede y por el Exc.mo e Il.mo Sr. Delegado Apostólico, San Antonio Texas, 1935; *Ocurso del Episcopado Nacional al Sr. Presidente de la República*, México, 1935; J. J. Manríquez y Zárate, Ob. de Huejutla, *Mensaje a las Naciónes latino-americanas*, San Antonio Texas, 1936.

(2) Quod ad numerum catholicorum: anno 1921 erant 13.192.226 cath., 73.951 protest., 22.718 aliar. relig., 208.836 sine religione vel religione declarata. Cf. *Encyclop. Ital.* in voce *Messico*, XXII, pag. 978. Anno 1932 tota populatio complectitur 16.404.030 homines, quorum 74.000 prot., 340.000 aliar. relig. vel indifferentes, ceteri catholici. Cf. Herder, *Welt und Wirtschaftsatlas*, 1932. Iure igitur textus Hispanicus: « de la *gran* mayoría ».

[3] Prae miseranda horum a fide defectione vel trepidatione, de quibus Nos intime vehementerque dolemus, laudabiliora sane exstant meritisque insigniora intrepida mali recusatio, christianae exercitatio vitae et libera fidei professio a compluribus fidelibus exhibita (3), quibus vos, Venerabiles Fratres, praelucente splendido vitae vestrae exemplo, pastorali sollicitudine moderamini. Hoc quidem moerentem animum Nostrum solatur, hoc magnam Nobis affert spem de futuro bono Mexicanae Ecclesiae, quae, heroicis virtutibus roborata, et precibus doloribusque tot electorum animorum innixa, numquam erit peritura, immo vero validior ac florentior, iuvante Deo, revirescet.

Argumentum: Sanctitas sacerdotalis et laicorum apostolatus

[4] Itaque, ut vestram divini praesidii fiduciam adaugeamus, novosque vobis spiritus ad rationem christianae vitae alacrius prosequendam addamus, hanc vobis Epistolam mittendam censuimus, qua vos iterum admonemus, in praesentibus rerum adiunctis atque difficultatibus, istic quoque auxilia ad christianos mores redintegrandos omnino necessaria imprimis esse sacerdotum sanctitatem ac deinde talem laicorum institutionem, quae eos cum Ecclesiae Hierarchia consociet tamquam adiutores in apostolatu obeundo. Haec autem laicorum cum clero collaboratio in Mexico maxime expostulatur, tum ob regionis amplitudinem (4) tum propter peculiaria rerum adiuncta omnibus nota atque perspicua.

(3) Annis 1926-1935 in persecutione interfecti sunt 5300 catholici, quorum 300 sacerdotes. Solo anno 1926 mortem subiere 147 sacerdotes Unioni Iuventutis Catholicae addicti. Cf. *Lex. f. Theol. u. Kirche,* col. 153-154, ubi etiam elenchus martyrum magis celebrium. — Hispanice legitur: « numerosísimos fieles ».

(4) Territorium Mexicanum comprehendit 1.969.154 kilometr. quadr. Densitas media populationis: circiter 8 habitantes in kilom. quadrato.

PARS PRIMA

Sanctitas Sacerdotalis [5-12]

DIFFICULTATES CLERI EFFORMANDI FELICITER SUPERATAE

[5] Nostra igitur cogitatio primo ad eos convertitur, qui esse debent lux quae illuminet, sal qui servet, bonum fermentum, quod totam permeet massam fidelium: ad vestros nempe sacerdotes.

[6] Haud profecto ignoramus, quot curis laboribusque vos, Venerabiles Fratres, in ecclesiasticas vocationes discernendas fovendasque, inter omne genus difficultates, incumbatis, id prorsus rati, de re ipsa agi, quae ad Ecclesiae istius conservationem atque incrementum apprime spectet. Quum enim in praesenti sacra Seminaria nequeant istic tranquille et ordinate vivere, nedum florere, vos in hac alma Urbe vestris clericis invenistis liberale ac perhumanum hospitium in Collegio Pio Latino Americano (5), quod tot sacerdotes bene de Ecclesia merentes ad virtutem doctrinamque finxit ac fingit, ita ut Nobis, ob frugiferam ipsius operam, sit admodum carum. Illis vero haud paucis clericis, qui, usque Romam commigrare nequeant, vos itidem in praeclara proxima natione hospitale refugium apparare studuistis.

---

(5) In Pont. Collegio Pio Lat. Americano hucusque degere 419 alumni Mexicani, quorum 373 sacerdotes; adsunt nunc 92 alumni Mexicani, quorum 26 sacerdotes. Complexive 511 alumni, quorum 399 sacerdotes et 25 episcopi. Multi ex istis sacerdotibus nunc vires suas tradunt Actioni Catholicae in parochiis diversis; quattuor occupantur in cursibus studii superioris, quibus formantur directores laici; tres membra sunt consilii nationalis A. C., quorum unus est assistens ecclesiasticus generalis: P. Darío Miranda.

Alumni Collegii P. L. Americani studiis incumbunt in Pont. Univ. Gregoriana, ubi et alii Mexicani e familiis religiosis, praecipue Miss. Spiritus Sancti, scientiis sacris initiantur.

[7] De eiusmodi incepto, quod nunc in rem feliciter deducitur (6), vobis, Venerabiles Fratres, libenter gratulamur, cunctisque iis, qui generosam hospitalitatem vel alia adiumenta praebuere, benevolum gratumque animum Nostrum rursus profitemur.

FORMATIO CLERI: « AD CATHOLICI SACERDOTII »

[8] Paterna autem instantia, hanc nacti occasionem, iterum iterumque vos adhortamur, ut non modo adolescentibus clericis, sed omnibus quoque sacerdotibus, congruenter explicentur atque illustrentur Litterae Nostrae Encyclicae *Ad catholici sacerdotii*, quae mentem Nostram exhibent de re inter ceteras graves, a Nobis declaratas, longe gravissima (7).

CLERUS BENE FORMATUS BENE AFFECTUS AD A. C.

[9] Instituti ita secundum Cor Christi, sacerdotes Mexicani intelligent, in hisce patriae suae condicionibus, — quas quidem iam memoravimus per Epistolam Aposto-

(6) Non longe ab urbe Las Vegas in Statu New-Mexico (U.S.A.) magnum Seminarium construitur ad formandum clerum saecularem Mexicanum, *Montezuma Seminary* nuncupatum. Complectitur terrenum mille acrorum in regione salubri positum. Ex multis aedificiis aedificium principalius locum dabit 500 studiosis. Notes omnia seminaria in 33 dioecesibus Mexicanis esse clausa. Vide l'*Osservatore Romano* 10 apr. 1937.

(7) Encyclicam de Sacerdotio vide *Periodica* 24 (1935) pp. 149-192. Materia ibi tractata secundum recensionem hispanam est « inter ceteras res graves et transcendentales, a R. Pontifice tractatas, gravissima ac transcendentalissima ». In articulo *Ricostruzioni* intitulato, quod in l'*Osservatore Romano* 28 mart. 1937 immediate sequitur Litteras Encyclicas Episcopatui Mexicano datas, votum exprimitur, ut singulis annis ineunte cursu scholastico Encyclica *Ad Catholici Socerdotii* praelegatur alumnis institutorum superiorum ecclesiasticorum.

licam *Paterna sane sollicitudo,* die II mensis februarii, anno MDCCCCXXVI datam, quaeque in memoriam revocant ipsa Ecclesiae primordia, quum Apostoli auxiliatricem laicorum operam manifeste exquirebant, — perarduum esse tot animas Deo comparare, sine idoneo laicorum per Actionem Catholicam auxilio; eo vel magis, quod inter illos haud raro favente Dei gratia excitantur generosi, qui, si sancti eruditique Dei ministri animos ipsorum intime perspiciant prudenterque regant (8), prompti sunt ac parati ad actuosam frugiferamque operam clero praestandam.

[10] Sacerdotibus ergo Mexicanis, qui Iesu Christo eiusque Ecclesiae in bonum animarum totam vitam mancipavere, primam fervidamque referimus hortationem, ut

---

(8) Gravissima sunt verba Pontificis: gratiam divinam haud raro ex laicis eligere animas quasdam generosas, quas praeparet ad activitatem apostolicam summe frugiferam, *si inveniant sacerdotem doctum et sanctum, qui eos intelligere et dirigere possit* (vide textum hispanum). Nonnumquam laici exculti vitae altioris cupidi lamentantur — et cum iis religiosi laici utriusque sexus, immo etiam sacerdotes — se habere quidem, a quibus de peccatis absolventur, non vero manuducantur in via perfectionis. Ratio duplex indicatur a Pontifice: defectus scientiae et sanctitatis sacerdotalis. Est autem defectus scientiae duplex: vel quia sacerdos male versatus est in disciplinis sacris, vel quia ei deest cultura generalis, quo fit ut a colloquiis cum laicis excultis abhorreat. Culpa haud raro est apud sacerdotes (neglegitur *CIC.*, can. 129), sed saepe profundius iacet. Non enim dare possunt sacerdotes, quae in seminariis non acceperunt; nec mirum est ibi sacerdotes excultos deesse, ubi laici melioris condicionis socialis vocationes sacerdotales in suis familiis impediant, saepe non absque veritatis specie praetendentes, clericis iuvenibus non praestari culturam debitam. Quod ad defectum sanctitatis spectat, haud raro fit, ut sacerdos, qui ipse ad vitam altiorem non aspirat, a vera animarum directione tepidus abhorreat, scrupulos putet, quae revera sint motiones tenerae conscientiae, et insanias, quae reapse inspirationes Spiritus Christi. Peccata tales absolvunt et simul spiritum exstinguunt. — Utilissima meditatio fieri potest de verbis Hieronymi *In Tit.* II, 15: *ML* 26 col. 626: *Vehementer Ecclesiam Christi destruit meliores laicos esse quam clericos.*

Nostris vestrisque sollicitudinibus libenter obsecundantes, in Catholicae Actionis progressionem (9) omnes curas viresque impendant.

[11] Neque enim viae ac rationes, quibus laici apostolicae vestrae actioni studium afferant, umquam deficient, si sacerdotes christianum populum excolere studuerint, sapienti quidem moderamine ac perdiligenti religionis institutione, quae sit non vaniloquiis redundans, sed e Sacris Litteris exhausta, solidaque flagrans pietate (10).

---

(9) Quod ad organizationem A. C. Mexicanae spectat, cf. *Estatutos Generales de la A. C. Mexicana* et Statuta unionum singularium fundamentalium, México D. F., 1930. Complentur normis: *Orientaciones y Normas dadas por la S. Sede y por Exc.mo y Rev.mo Sr. Delegado Apostólico,* S. Antonio Texas, 1935. Complectitur autem tota A. C. M. uniones fundamentales virorum, mulierum, utriusque iuventutis (periodica: *La Unión, Acción femenina, Iuventud*). Iuventus dividitur in tres sectiones (Avanguardia ann. 10-15; aspirantes per 3 menses; effectivi ann. 15-36 vel usque ad nuptias). Singulae uniones fundamentales habent comitatus suos paroeciales cum suis sectionibus, subordinatos consiliis dioecesanis et centralibus. Associationes vero confoederatae (period. *Unión*), quarum finis particularis pro parte coincidit cum fine universali A. C., propria statuta retinent, quae tamen approbanda sunt, ut intrent in Confoederationem. Membra earum adscribi debent Actioni Catholicae, cui tradunt contributum annuum. Sunt v. g. *Equites Columbi; Unio nationalis Patrum familias; Unio nationalis Studiosorum; Unio nationalis pro libertate scholae; Brigata S. Iohannae d'Arc; Catholicismus Victor; pia unio biblioth. popularium; pia unio catechistarum S. Francisci Xaverii,* cet. Collaboratio unionum fundamentalium et confoederatarum eo procuratur, quod praesides comitatuum centralium, dioecesanorum, paroecialium iuvantur a 4 assistentibus, repraesentantibus uniones fundamentales, item 4 repraesentantibus confoederationem. Cf. *Kathol. Documentatie* 18 mart. 1936. Vide supra notam 3! Rubricam specialem Actioni Catholicae dedicat *Christus*: *Revista del Comité Episcopal Mexicano.* Periodicum assistentium ecclesiasticorum est *Pax.*

(10) De modo praedicandi et instruendi populum Christianum, cf. Pium ix, Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846, ubi etiam de communismo; Leon. xiii, Encycl. S. Congr. Ep. et Reg. *de sacra praedicatione,* 31 iul. 1894; *ASS* 27 pag. 162-176, quam cum commen-

[12] Verum quidem est, necessitatem huius laicorum catholicorum apostolatus non omnes plane perspectam habere, quamquam usque a primis Litteris Encyclicis *Ubi arcano Dei* expresse ediximus, Actionem Catholicam ad pastorale ministerium vitamque christianam omnino pertinere (11). At, quum alloquamur, uti iam innuimus, sacros Pastores, qui gregem ita probatum atque interdum dispersum recuperare debeant, vobis instanter suademus, ut laicorum opera utamini, quibus, tamquam Domus Dei lapidibus vivis, ipse beatissimus Petrus arcanam quandam agnovit dignitatem, per quam sanctum et regale sacerdotium quodammodo participant (*I Petr.*, II, 9).

PARS SECUNDA

Actio Catholica [13-42]

A - PRINCIPIA GENERALIA [13-22]

Fundamentum theologicum: Corpus Christi Mysticum

[13] Quilibet enim christianus, qui suam dignitatem intelligat suamque condicionem perpendat filii Ecclesiae membrique Corporis mystici Iesu Christi, « multi unum

---

tario edidit A. GALLERAŃI S. I., *La Guida del predicatore*, Roma, 1894; PIUM X, Encycl. *Acerbo nimis* 15 apr. 1905: *ASS* 37 pag. 613-625; *Pieni l'animo*, 28 iul. 1906: *ASS* 39 pag. 325; BENEDICT. XV, Encycl. *Humanum genus*, 15 iun. 1917: *ASS* 9 pag. 305-317 cum *Normis* S. Congr. Consist. *pro sacra praedicatione*, *ibidem* pag. 328-341; Encycl. *Spiritus Paraclitus*, 15 sept. 1920: *AAS* 12, pag. 406-408; PIUM XI, Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*, 20 dec. 1935: *Periodica* 24 (1935) pag. 158-160. Vide etiam Mons. G. DE NARDIS, *Allocuzioni al Clero*, Vicenza, 1936, praecipue pag. 107-121: la sacra predicazione, necnon SEB. TROMP S. I., *Bijbel en Volk* in *Apologetisch Leven* 11 (1936) pag. 21-33.

(11) *Ubi Arcano Dei*, 23 Dec. 1922: *AAS* 14 et 15, pp. 694 et 22. Iterum atque iterum R. P. ad hanc suam declarationem rediit.

corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (*Rom.*, XII, 5), nullo modo ignorare potest, inter huius Corporis membra reciprocam vitae communicationem mutuamque rationum participationem adesse oportere. Hac de causa, suam quisque debet operam collocare ad vitam profectumque totius compaginis fovenda, « in aedificationem Corporis Christi », inque eiusdem Capitis glorificationem (cfr. *Ephes.*, IV, 12-16).

Consectaria: supernaturalitas et universalitas

[14] Ex hisce claris simplicibusque principiis, quam luculentae normae, quam fortia incitamenta erui possunt, ut plures fideles, adhuc ancipites et pavidi, certam tutamque viam pro sua pietate inveniant, ad fovendam animarum salutem ad regnum Christi late propagandum (12)!

[15] Ceteroquin apostolatus ita intellectus, uti haud difficulter coniicitur, non e naturali quodam ad agendum impulsu proficiscitur, sed e solida animi institutione efflorescit, fervido alitur amore erga Iesum Christum animasque eius sanguine pretioso redemptas, exerceturque, ad Magistri ipsius exemplum, assidue Deum precando, se ipsos abnegando, proximis benefaciendo. Hoc sane studium imitandi Christum explicabitur per varias apostolatus formas, in omni rerum condicione, ubicumque periclitantur animae vel divini Regis iura laeduntur, ita ut Actio Catholica proferatur ad omnia apostolatus opera, quae ad divinam Ecclesiae missionem quoquo modo attineant, sa-

(12) De Actione Catholica et Corpore mystico vide S. TROMP S. I., *Actio Catholica in Corpore Christi*, Romae (P. U. G.), 1936: *De Corpore Christi Mystico et A. C. ad mentem S. Ioann. Chrysost.*, ibidem, 1932 (vers. ital. cura S. VANNI, Milano, 1936); *Het wezen der K. A.* in *Ned. Kath. Stemmen* 37 (1936) pp. 3-16; *Corpus Christi, quod est Ecclesia*, Romae (P. U. G.), 1937. Noto etiam librum C. NOPPEL S. I., *Aedificatio Corporis Christi*, Freiburg i. Br., 1937.

lutarem vim suam exserens, non modo in cuiusque fidelis animo, verum etiam in domestico convictu (13), in scholarum disciplina, in civili ipsa consortione.

Selectio, et formatio vitae interioris

[16] Neque vero muneris amplitudo suadere vobis debet, ut numerum potius prosequamini, quam virtutem sociorum laboris; sed, quemadmodum Magister divinus post longam praeparationem paucos sane annos in apostolatu peregit, neque multos in Apostolicum collegium sociavit, sed lectos viros, qui Regnum ipsius in orbe terrarum constabilirent, ita et vos, Venerabiles Fratres, ante omnia curare debetis, ut Actionis Catholicae moderatores et praecones ad principia supernaturalia penitus conformentur, quin anxietate afficiamini, si principio « pusillus grex » (Luc., xii, 32) tantummodo exsistat. Et quoniam vos hanc rationem secutos iam esse pernovimus, paterne vobis gratulamur, quod selegistis prudenter accurateque instituistis idoneos socios, qui exemplo et verbo pietatis fervorem studiumque apostolatus in dioecesibus inque paroeciis late excitare queant.

[17] Vestrum eiusmodi opus non magno sonitu tubarumque clangore resultabit, sed sensim sine sensu laetos uberesque fructus suo tempore afferet; ad seminis instar, quod in occulto figit alte radices, gradatimque crescit usque ad arborem florentem patentemque.

[18] Institutio autem spiritualis interiorque vita, quas in vestris hisce adiutoribus fovendas curatis, impedient profecto, quominus iidem in subita incidant pericula, a rectaque via declinent. Inspecto enim supremo Catholicae Actionis fine, qui est, iuxta illud Evangelii « quaerite pri-

(13) Nota illud *el santuario de la familia*, ubi textus latinus: domesticus convictus. Cf. Chrysostomus, *In Gen.* hom. 2, 4: *MG* 53 col. 31 et *serm.* 7. 1: *MG* 54 col. 608: *Fiat domus tua ecclesia, ubi requiescat gratia Spiritus Sancti.*

mum Regnum Dei » (Luc., xii, 31), animarum sanctificatio, numquam periculum aderit, ne finibus immediatis secundariisque principia ipsa posthabeantur, neque in oblivionem umquam dabitur, fini illi supremo opera quoque socialia et oeconomica, aliaque incepta caritatis (14), ordinate esse subiicienda. Hoc profecto nos docuit exemplo Iesus Christus, qui, quum ipsas corporum infirmitates sanaret, necessitatibusque naturalis vitae consuleret, liberalitatem divini Cordis effundens iis dictis « Misereor super turbam... si dimisero ieiunos in domum suam, deficient in via » (Marc., viii, 2-3), semper ad supremum suae missionis finem spectavit, id est ad gloriam Patris sui, ad salutem animarum sempiternam.

Relatio A. C. ad opera socialia-oeconomica

[19] Neque igitur Actio Catholica negligere debet opera quae dicuntur socialia, quippe quae (15) in rem deducant iustitiae caritatisve principia, aditumque praebeant, quum corporum necessitatibus occurrant miserorumque allevent aerumnas, ad animas plurimorum excolendas. Quod sane Nos Ipsi, ut Decessor Noster fel. rec. Leo xiii, pluries commendavimus (16). Attamen, si Actio Catholica instruere debet idoneos socialium operum moderatores, qui ad normas et praescripta in Litteris Encyclicis statuta munera sua sustineant, ipsa quidem non debet sese implicare neque respondere de rationibus technicis, nummariis atque oeconomicis, quae fines et competentiam ipsius praetergrediuntur.

---

(14) Vide textum hispanum: « las obras sociales y económicas y las iniciativas de caridad », ubi coeptus caritatis distinguuntur ab operibus socialibus, et ab operibus oeconomicis.

(15) Quippe quae; hispanice legitur: *en cuanto*, i. e. quatenus.

(16) Quoad doctrinam Pontificum de re sociali, consulas *Divini Redemptoris* nn. 31 sqq., supra, p. 244.

[20] Adversus vero criminationes (17), quae Ecclesiae crebro inferuntur, tamquam si ipsa iners sit aut incapax ad causas sociales solvendas, indesinenter instandum est, solam doctrinam operamque Ecclesiae, divino Conditore iugiter praesente, gravissimis malis humanum genus torquentibus mederi efficaciter posse.

[21] Vestrum itaque est, ut inceptis ipsis significastis, ex hisce frugiferis principiis certas deducere normas ad graves dirimendas in re sociali quaestiones, quae vestram patriam perturbant, ut quaestio agraria cum latifundiorum reductione, ut necessitas erigendi et recreandi, quoad vitae condiciones, omnes, qui labori incumbunt, eorumque familias.

[22] Integris quidem iuribus hominum primariis ac fundamentalibus, quod ad essentiam pertinet, ideoque salvo, exempli gratia, iure proprietatis, admonendum vobis est, bonum ipsum publicum quandoque expostulare, ut eiusmodi iura coangustentur, et saepius, quam in praeterito, iustitiae socialis normae in rem adducantur. Ad tuendam praeterea personae humanae dignitatem, urget aliquando officium aperte denuntiandi et reprobandi iniustas atque indignas vitae condiciones; at cavendum omnino est, hisce in casibus, ne, sub praetextu malis populi medendi, violentia approbetur, neve foveantur repentinae illae ac turbulentae saecularium societatis condicionum permutationes, quae exitus habeant funestiores malis ipsis, quibus sit occurrendum (18). Ad quaestiones sociales consilia et opera vestra impendentes, necessario quoque vos animos convertetis ad sortem tot miserorum opificum, qui, vehementer allecti splendidis utilitatum pollicitationi-

---

(17) De incriminationibus vide *Divini Redemptoris* nn. 36 et 37, supra, p. 249 s.

(18) Exemplum reformationis socialis, non sanguine peracta, sed ex principio religioso interno, habetur in abolitione servitutis, cf. *Divini Redemptoris* n. 36, supra, p. 249.

bus (19), quae veluti praemia apostasiae proponuntur, a Deo eiusque Ecclesia haud raro deficiunt.

B - APPLICATIO AD VARIAS HOMINUM CONDICIONES [23-31]

[23] Quod si opifices ex animo diligitis, — et singulariter iidem vobis diligendi sunt, quia per laboriosam vitam divino Magistro adsidue operoso clare assimilantur, — auxiliis tum temporalibus tum spiritualibus adesse illis debetis, sive efficiendo, ut eosdem tueatur iustitia commutativa et socialis (20), quae omni ope rationem vitae proletariorum allevet, sive iis largiendo religiosas vires et solamina, sine quibus ipsi in sordidum vilemque materiae cultum prolabuntur.

Campesinos

[24] Officium pariter grave atque urgentis necessitatis vobis incumbit, religiose nempe et oeconomice adsistendi iis, qui « campesinos » istic appellantur, itemque haud paucis filiis vestris, maiore ex parte agricolis, quibus

---

(19) Cur operarii multi decipiantur (engañados), iterum docemur in encycl. *Divini Redemptoris* nn. 8 et 15, supra pp. 231 et 235 s. Nam miseriae oeconomicae et defectuosa distributio bonorum temporalium favent falsae ideae redemptionis, pseudo-mysticismo, pseudo-ideali iustitiae, aequalitatis, fraternitatis. Ex altera parte scientia, quae Deum excludit, et consequenter scatet erroribus, efficit ut homines politici sint inter sese divisi et solutionis incapaces, et sic volentes nolentes communismo argumenta negativa praebent. Accedit culpa quorundam patronorum catholicorum. Cf. n. 50, supra p. 257 s.

(20) De amore opificum cf. *Divini Redemptoris* nn. 46-48, supra p. 255 ss. De iustitia commutativa et sociali *ibidem* nn. 49-54, supra p. 257 s., ubi longior iustitiae socialis expositio.

populus Indorum constat (21). Sunt profecto innumerae (22) animae, quas ipsas Christus Dominus redemit ac vestrae pastorali curae concredidit, de quibus aliquando a vobis rationem postulabit; sunt innumeri (22) homines, qui tot vitae angustiis plerumque afflictantur, ut ne humanam quidem dignitatem possint tueri (23). Vos ergo obsecramus, Venerabiles Fratres, in visceribus caritatis Christi, ut peculiarem istorum curam habeatis, clerum praecipue urgendo, ut maiore in dies studio iisdem providere velit, Actionemque Catholicam inflammando ad hanc veluti redemptionem spiritualem ac temporalem persolvendam.

Emigrantes

[25] Neque silentio premere possumus aliud quoque officium, quod postremis hisce annis maioris momenti videtur, curam scilicet Mexicanorum, qui in exteras terras demigravere (24); hi enim, a patriis terris moribusque

---

(21) Quaestio agraria Mexicana gravissima est ac difficillima. Ex una parte ingens multitudo Indianorum pauperum, ex altera parte maxima latifundia tum capitalistarum maiorum, tum reipublicae, tum associationum externarum variis concessionibus gaudentium. Ex iis quae ultimo loco dicta sunt clarum est, cur prelum internationale a-catholicum de persecutione Mexicana multis linguis eloquenter sileat. *Campesinos* vocantur coloni minoris condicionis, eique plerumque indigeni, quorum pars magna addicta est latifundiis.

(22) Innumerae... innumeri: hispanice: « son millones... son millones ».

(23) Ut ne... tueri: hispanice: « que no gozan ni siquiera de aquel mínimo de bienestar indispensable para conservar la dignidad humana ».

(24) Quod ad emigrantes attinet, ipsi in Statibus Unitis subsunt peculiari curae Actionis Catholicae. Est autem centrum Actionis Catholicae in Statibus Unitis organizatio, quae audit « *The National Catholic Welfare Conference* », varias in sectiones, « departimenta », ut aiunt, divisa. Quarum principalior est « *The executive depart-*

avulsi, facilius nequam emissariorum praeda efficiuntur, inque summo amittendae fidei periculo versantur. Si igitur consilia contuleritis cum vestris in Episcopatu fratribus, qui in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis regunt Ecclesias tot piis operibus institutisque socialibus florentes, maiore sollicitudine atque industria remotis a patria fidelibus consultum erit.

Studiosi universitarii

[26] Quod si Actio Catholica humilibus classibus auxilioque maxime egentibus, ut opificum, agricolarum ac domo emigrantium, adesse et favere debet, nihilominus alios quoque campos excolere omnino tenetur. Itaque sollers cura adhibenda est de scholarum alumnis, qui ad liberales artes profitendas instruuntur atque interdum ad publicos honores apparantur, magnam plerumque auctoritatem in civili societate habituri. Propterea eiusmodi adulescentes, non modo, ut ceteri fideles, doctrina usuque ad christiana praecepta formandi sunt, verum altiore quoque disciplina atque educatione instituendi, nec non christiana roborandi philosophia, quae ad veritatem dicitur perennis. Hodie enim sincera ac religiosa institutio temporibusque respondens perquam necessaria videtur, inspecta tum contraria inque dies crebrescente aevi inclinatione ad ea, quae specie tenus aestimantur, tum repugnantia quotidie frequentiore ad cogitandum ad seque recolligendum, ita ut

---

ment », qua sectione ordinatur collaboratio aliarum sectionum, scil. educationis, preli, legislationis, actionis socialis, apostolatus religiosi, et etiam contactus habetur cum gubernio. Sectio illa executiva dirigit etiam varias administrationes (bureaux), quarum una addicta est emigrantibus cum centris tum alibi, tum Bostonii, N. York, Philadelphiae, S. Francisco. Periodicum: *Catholic Action*. Curam specialem emigrantium Mexicanorum habet etiam eorum Delegatus Apostolicus, a gubernio expulsus.

non pauci, in religiosis quoque officiis obeundis, subito potius animi affectu, quam mentis iudicio ducantur (25).

[27] Id igitur, quod Actio Catholica in aliis nationibus percommode facit, ut religiosa animorum institutio atque informatio inter litteratos adulescentes et laureatos catholicos primas partes habeat, valde optamus, ut etiam apud vos, congruenter ipsis patriae vestrae condicionibus ac necessitatibus, pro viribus efficiatur.

[28] Minime autem dubitamus, quin Universitatum studiorum alumni, Actioni Catholicae istic adscripti, Nostris votis optatisque plane respondeant. Isti enim, pro variis locorum adiunctis, alii aliam consociationis structuram mutuantes (26), tamquam selecta ac praevalida pars Catholicae ipsius Actionis, non modo spem portendunt aevi melioris, sed iam nunc de Ecclesia civilique societate egregie mereri possunt, seu quod apostolatum inter condiscipulos gerant, sive quod varias partes et multiplicia Actionis Catholicae instituta prudenter sagaciterque regant.

Iuventus

[29] Status ipse, qui nunc est, istius nationis Nobis suadet, ut ad memoriam vestram revocemus, quanto studio necesse sit aetatem tueri puerilem, cuius innocentiae tot struuntur insidiae, cuiusque morum ad christiana praescripta conformatio perardua effecta est. Qua in re catholicis Mexicanis duo potissimum incumbunt officia: alterum, quod appellant, negativum, ut pueri ab impia et corruptrice schola omni virium contentione arceantur; alterum posi-

---

(25) Vide notam 19am, ubi de pseudo-mysticismo et similibus. De philosophia perenni cf. LEON. XIII *Aeterni Patris*, 4 aug. 1879: *ASS* 12 pp. 97-115.

(26) Academici Catholici Mexicani iunguntur Unione nationali Studiosorum, quae pertinet ad Confoederationem, de qua supra, ad num. 10. Vide etiam infra, num. 40, de A. C. non conglacianda in schemata praefixa.

tivum, ut religiosa adsistentia instructioque iisdem sedulo praebeatur. De priore autem officio, tanti ponderis tantaeque difficultatis, mentem Nostram iam nuper quoque significavimus (27). Quod attinet vero ad religiosam institutionem, licet vos sacris administris fidelibusque eam instanter iam commendasse pernovimus, tamen, pro summa huius rei necessitate, iterum vos commonefactos volumus, ut in omnibus dioecesibus, sicut in quibusdam tam laudabiliter fit, sacerdotes et sodales Actionis Catholicae, nulli curae laborique parcentes, acerrime intendant ad servandos Deo Ecclesiaeque eiusmodi parvulos, erga quos Salvator divinus tantam prae ceteris dilectionem apertissime tulit.

[30] Futura porro condicio puerorum atque adulescentium, qui nunc florent, — iterum vobis edicimus summa cum paterni cordis aegritudine, — Nos vehementer angit atque sollicitat. Manifesta sunt enim pericula, quibus nunc quum maxime pueritia atque adulescentia obiiciuntur, ubique sane gentium, at eo magis in Mexico, ubi tot scripta typis edita doctrinas religioni moribusque adversas late diffundunt, imperitosque iuvenes ad defectionem a Iesu Christo improbe impellunt. Quo itaque tanta ruina impediatur et pericula iuventae imminentia mature avertantur (28), statim adhibenda sunt legalia omnia adiumen-

---

(27) Quoad praeceptum negativum non tradendi infantes scholae corruptrici vide Encycl. de Statu Ecclesiae in Regno Germaniae. Unum ex principalioribus operibus A. C. Mexicanae est instructio catechetica, tempore persecutionis tam difficilis et pernecessaria. Praecipue mulieres et studiosi hac in re eminent. Anno 1934 mulieres A. C. in 1355 centris diversis catechismum tradebant 130.028 infantibus. Etiam Pia Unio S. Franc. Xaverii plura milia infantium religione Christiana imbuit. Cf. *Boletín de la comisión central de instrucción religiosa de la A. C. Mexicana,* periodicum alternis hebdomadibus prodiens.

(28) In scholis elementaribus Mexicanis lege 15 oct. 1934 praescribitur educatio athea et socialista cum abhorrenda instructione sexuali, cf. *Lex. f. Theol. u. Kirche,* loco laudato, in voce *Mexico.*

ta, ut Foedera patrumfamilias, ut Comitatus moralitatis et vigilantiae circa scripta in vulgus edita, ut Comitatus censurae de rebus cinematographicis (29).

[31] Quo autem singuli arceantur a malo, nullum profecto tutius praesidium exstare videtur, ut experimenta ubique terrarum facta Nobis clare testantur, quam si ii Actioni Catholicae adscribantur, ubi praeclara virtutis et castimoniae habetur educatio, ubi peridonea christianae fortitudinis palaestra constituitur. Isti sane adulescentes, excelsa christianae vitae perfectione suaviter allecti, ac superno roborati auxilio, quod preces et suscepta sacramenta arcessunt, libenter alacriterque suorum sodalium animos Deo comparabunt, laetam fructuum segetem percepturi.

C - ACTIO CATHOLICA ET RESPUBLICA [32-39]

Licet praevaleat formatio interior, tamen vindicanda libertas exterior

[32] Hoc plane confirmat, prae gravissimis Mexici necessitatibus, Catholicam Actionem nequaquam dici posse minoris momenti opus; ita ut si ipsa, quae animos ad officiorum conscientiam et ad virtutem informat, aliis operositatis generibus utcumque postponeretur, etiam si ageretur de libertatibus ordinis religiosi civilisque tuendis, miserandus error committeretur, quia Mexicanorum salus, sicut cuiusque humanae consociationis, imprimis posita est in doctrina Evangelii immutabili atque aeterna, inque moribus sincere integreque christianis.

[33] Proposita eiusmodi aestimandarum rerum mensura, concedendum sane est, ad christianam vitam explicandam, externa quoque subsidia, quae sensibus percipiun-

---

(29) De spectaculis cinematographicis vide Encycl. nuper datam *Vigilanti Cura* 29 iun. 1936: *Periodica* 26 (1937) pp. 47-65 cum annotationibus J. E. COFFEY pag. 65-74.

tur, esse necessaria, pariterque Ecclesiae, tamquam hominum societati, opus omnino esse, ad vitae usuram atque incrementum, iusta agendi libertate (30), ipsosque fideles iure gaudere in societate civili vivendi ad rationis conscientiaeque praescripta.

[34] Consequens ergo est, ut, quum nativae libertates ordinis religiosi civilisque impugnentur, cives catholici id perferre patique non possint (31). Attamen horum quoque iurium libertatumque vindicatio, pro diversis rerum adiunctis, magis vel minus opportuna, magis vel minus vehemens esse potest.

Ius vindicationis et eius limitatio

[35] Vos autem ipsi, Venerabiles Fratres, pluries fideles vestros docuistis, Ecclesiam, etiam cum gravi suo incommodo, pacis atque ordinis fautricem esse, omnemque iniustam rebellionem vel violentiam contra constitutas potestates condemnare. Ceterum apud vos affirmatum quoque est, si quando potestates ipsae iustitiam ac veritatem manifeste impugnent, ita ut vel fundamenta auctoritatis evertant, non videri cur improbari debeant cives illi, qui in unum coalescant ad tuendos semet ipsos nationemque servandam, licita atque idonea auxilia adhibentes contra eos, qui imperio abutantur ad rem publicam labefactandam.

[36] Quod si huius quaestionis solutio a singularibus rerum adiunctis necessario pendet, nonnulla tamen principia sunt in lumine collocanda:

1. Vindicationes eiusmodi rationem medii seu finis relativi habent, non finis ultimi atque absoluti.

---

(30) De libertate Ecclesiae cf. *Divini Redemptoris* nn. 77-79, supra, p. 272 ss.

(31) In persecutione crudeli anni 1926 incipit resistentia Catholicorum passiva et in quibusdam locis activa. Cf. *Lex. f. Theol. u. Kirche*, loco laudato.

2. Eaedem, tamquam media, esse debent actiones licitae, neque intrinsece malae.

3. Quum ipsas ad finem idoneas et adaequatas esse oporteat, eatenus adhibendae sunt, quatenus ad propositum finem ex integro vel ex parte conducant, ita tamen, ut maiora damna communitati et iustitiae (32) non afferant, quam ipsa damna resarcienda.

4. Usus vero talium mediorum et plenum civilium politicorumque iurium exercitium, quum causas quoque ordinis mere temporalis technicique aut violentae defensionis complectantur, non attingunt directe munus Catholicae Actionis (33), licet ad eandem officium pertineat catholicos viros instruendi ad propria iura recte exercenda, eademque ex communis boni necessitate iustis modis vindicanda.

5. Clerus et Actio Catholica, — quum ob missionem pacis amorisque sibi concreditam omnes homines « *in vinculo pacis* » (*Ephes.*, IV, 3) devincire teneantur, — plurimum ad nationis prosperitatem conferre debent, tum civium classiumque coniunctionem maxime fovendo, tum obsecundando omnibus socialibus inceptis, quae a Christi doctrina moralique lege non discordent.

[37] Ceterum huiusmodi operositas Mexici catholicorum, claro nobilique consilio peracta, eo feliciores exitus consequetur, quo magis catholici ipsi ante oculos habebunt eam supernaturalis vitae cognitionem, religiosamque morum institutionem illudque ad Regnum Christi dilatandum studium, quae Actio Catholica tradenda sibi proponit.

Si igitur fideles unanimes, libertatem sibi a Christo vindicatam (*Gal.*, IV, 31) abdicare nolentes, inter se conso-

---

(32) In textu hispano non leguntur verba illa: *et iustitiae*. Sensus est: si revindicationes unice efficerent ut gubernium vel vehementius infrangeret iustitiam, omittendae sunt.

(33) Non attingunt directe munus Catholicae Actionis: hispanice: « non es en manera ninguna de la incumbencia del Clero ni de la Acción Católica como tales instituciones ».

ciaverint, quae umquam humana potestas aut vis eos peccato mancipaverit? quodnam periculum, quaenam persecutio tam fortia pectora separaverint a caritate Christi? (cfr. *Rom.*, VIII, 35).

Doctrina christiana salus Reipublicae

[38] Haec autem perfecti christiani civisque institutio, in qua vis supernaturalis cunctas eius dotes actionesque nobilitat atque extollit, multum quoque confert, ut facile intelligitur, ad civica et socialia officia recte persolvenda. Contra hostes Ecclesiae iam ipse Augustinus fortiter affirmavit: « Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae ... dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices (34) ... quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae, immo vero dubitent confiteri magnam, si ei obtemperetur, salutem esse reipublicae » (*Epist.* 138 *ad Marcellinum*, c. 2, n. 15).

[39] Quapropter catholicus civis, quum de Ecclesiae patriaeque bono agatur, probe cavebit, verbi gratia, ne iure suffragii utendo abstineat; neque profecto umquam exstabunt Christi fideles, qui ad civilia et politica iura exercenda in plures disiungantur factiones, quandoque inter se miserabiliter contendentes, vel ecclesiasticae auctoritatis normis repugnantes. Ita enim augeretur confusio viriumque dissipatio in detrimentum Actionis Catholicae et causae ipsius, quae illis tuenda esset.

---

(34) Omissa sunt verba: *tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores*. Versio hispana pericopes est prorsus libera. Cf. *ML* 53 col. 532.

D - MODUS CONCRETUS ORGANIZATIONIS A. C. [40-42]

A. C. centrum apostolatus laicorum absque schematismo unificatorio

[40] Mentionem iam fecimus de inceptis, quae extra Catholicam Actionem sunt, quamvis cum ea minime discordantia, ut opera quae a partibus politicis vel ab institutis mere oeconomicis socialibusque absolvuntur. Sed plura alia exstant incepta atque consociationes, — ut Foedera patrumfamilias ad tuendam scholasticam libertatem religiosamque institutionem, Sodalitas civium ad familiam, nuptiarumque sanctitudinem moresque publicos integre servanda — quae per Actionem Catholicam explicari possunt, eiusque centrali moderamine fulciri. Quandoquidem Actio Catholica non in orbe quodam clauso versatur (35), sed veluti e fonte circum luce et calore latissime radiante, alia quoque incepta aliasque institutiones auxiliares congruenter disponit, quae, licet quadam autonomia iustaque agendi libertate ad particularem cuiusque finem necessaria fruantur, generales tamen normas regulasque communes sequantur oportet (36). Hoc praecipue expostulatur a vestra tam ampla natione, in qua propter locorum necessitatumque varietatem fieri potest, ut, integris communibus principiis, diversae structurae formae adhibeantur, et aliae alibi eiusdem causae solutiones, aeque tamen iustae, re ipsa oriantur.

Difficultates practicae vincuntur oboedientia

[41] Vestrum plane est, Venerabiles Fratres, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quae in hisce

(35) Non in orbe quodam clauso versatur: Hispanice: « pues la A. C. no cristaliza rígidamente en esquemas fijos »: A. C. non debet conglaciari in schemata fixa.

(36) Vide etiam Epistolam de A. C. datam Episcopatui Brasiliano, 27 oct. 1935: *Periodica* 25 (1936) p. 76.

casibus agenda sint pressius decernere, fideliumque vestrorum erit decretis vestris libenter fideliterque parere. Quod certe Nobis magnopere cordi est, quia recta intentio atque oboedientia sunt, omni tempore omnique loco, condiciones prorsus necessariae ad superna auxilia pastorali officio Actionique Catholicae devocanda, simulque ad efficiendam communem quandam agendi rationem viriumque coniunctionem, sine quibus apostolatus omnino caret fecunditate. Obsecramus igitur etiam atque etiam probos Mexici catholicos, ut oboedientiam ac disciplinam diligant colantque: « Oboedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri » (*Hebr.*, XIII, 17). Hilaris autem esto oboedientia, ad virtutes optimas excitatrix. Qui enim aegre, veluti coactus, oboedit, internam animi indignationem effundens in acerbas censuras adversus praepositos laborumque socios, et contra ea quae ipsius optatis repugnent, divinos favores avertit, disciplinae frangit robur et ubi est aedificandum destruit.

[42] Praeter oboedientiam et disciplinam memorare Nobis placet alia quoque universae caritatis officia, in ipso capite quarto epistulae S. Pauli ad Ephesios, de quo supra mentionem fecimus, declarata, quae Actionis Catholicae sociis, tamquam norma praecipua, proferenda videntur: « Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis ... cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus Spiritus » (*Ephes.*, IV, 1-4).

EPILOGUS [43-47]

[43] Carissimos ergo Mexici filios, qui tantam curarum sollicitudinumque Nostri Pontificatus partem constituunt, rursus vehementerque adhortamur ad unitatem, ad caritatem, ad pacem, in laborioso apostolatu Catholicae

Actionis, quae Mexico Christum restituet ac terrenam insuper conciliabit prosperitatem.

[44] Nostra eiusmodi vota Nostrasque preces ad pedes reverenter deponimus caelestis vestrae Patronae, quam sub titulo Nostrae Dominae *de Guadalupe* invocatis, quaeque in celeberrimo Sanctuario isto boni cuiusque Mexicani amorem et venerationem iugiter excitat. Deiparam ipsam, quae sub eodem titulo pie recolitur in alma Urbe, in qua Nos paroeciam quoque in eius honorem condidimus, impense efflagitamus, ut Nostris vestrisque votis materna gratia obsecundans, a Deo omnipotenti omnia fausta ac felicia Mexico obtineat cum pace Christi in Regno Christi.

[45] Hoc quidem animo, hac fiducia erecti, vobis, Venerabiles Fratres, vestris sacerdotibus, Actionis Catholicae sociis, omnibus fidelibus, nec non universae nobili Mexicanae nationi, Apostolicam Benedictionem effusa in Domino caritate impertimus.

[46] Esto Nostra haec Epistula, in Paschate Christi Resurrectionis data, pignus spiritualis patriae vestrae resurrectionis auspiciumque paternum, ita ut, quemadmodum vos passionis Christi socii fuistis, aeque sitis participes eiusdem resurrectionis.

[47] Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis martii, Dominica Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, anno MDCCCCXXXVII, Pontificatus Nostri sexto decimo (37).

PIUS PP. XI

---

(37) Quamquam recensio latina, quam dedimus, epistolae huius encyclicae est authentica et in *AAS* primo loco posita, tamen documentum hispanicum non minus authenticum est, immo originale. In notis indicavi quasdam textus hispanici recensiones. Forsitan iuvat alias quasdam addere. § 2 lat.: « actione sua vel saltem negligentia haud parum conferunt », hisp.: « se hacen, al menos materialmente, cooperadores »; § 4 lat.: « quae eos cum Ecclesiae Hierarchia consociet tamquam adiutores in apostolatu obeundo », hisp.: « que los haga capaces de cooperar fructuosamente al apostolado

Sequitur, in AAS, l. c., p. 200-211, eiusdem Epistulae textus hispanicus, quem omittimus, ut statim aggrediamur:

Annotationes

I - de actione catholica

Ex tribus encyclicis paschalibus, quibus Pius Papa XI corpore indomito et anima usque vigenti, valorem aeternum bonorum spiritualium mundo universo, materialismo teterrimo ut est oppressum, fulmineis ictubus prae oculis ponit, litterae encyclicae ad Episcopatum Mexicanum directae, hoc sibi peculiare habent, ut quasi unice agant de Actione Catholica, variis aliis quaestionibus ad eam quasi ad centrum conversis.

Encycl. de re religiosa Germaniae

In Encyclica de statu Ecclesiae Catholicae in Germaniae regno, quae duo alia documenta adscriptionis die

---

jerárquico »; § 17 lat.: « vestrum eiusmodi opus non magno sonitu tubarumque clangore resultabit », hisp.: « este trabajo ha de ser sólido y profundo, ajeno a la notoriedad y al aparato, enemigo de métodos ruidosos »; § 19 lat.: « aditumque praebeant, quum corporum necessitatibus occurrant miserorumque allevent aerumnas, ad animas plurimorum excolendas », hisp.: « y en cuanto son medios para ganar a las muchedumbres, pues muchas veces no se llega a las almas sino a través del alivio de las miserias corporales y de las necesidades de orden económico »; § 23 lat.: « clare assimilantur », hisp.: « se asemeja más que ninguna otra »; § 26 lat.: « non modo, ut ceteri fideles, doctrina usuque ad christiana praecepta formandi sunt », hisp.: « a la práctica de la religión cristiana, a la formación del carácter, que son principios fundamentales para los fieles, debéis añadir »; § 35 lat.: « apud vos affirmatum quoque est », hisp.: « vosotros habéis afirmado »; § 40 lat.: « quadam autonomia... generales tamen normas regulasque communes », hisp.: « una justa autonomía... las normas programáticas de la A. C. ».

praecedit — data enim est die 14 martii — Actio Catholica solummodo per transennam attingitur: prius in paragrapho quarta, ubi Romanus Pontifex in memoriam revocat, se in encyclica de Actione Catholica promovenda membris apostolatus laicorum (*Laienapostolat*) inculcasse, ut vitam quam arctissime fidei confirmarent; deinde in paragrapho nona, quo in loco Pater Communis compatitur cum iuvenibus iis, qui ob amorem Ecclesiae et religionis, nec minus ob nomina data associationibus ecclesiasticis, ipso Concordato protectis (1), infamiae, suspicioni, ignominiae, crimini laesi amoris patria, vexationibus socialibus, subiciebantur atque subiciuntur.

De tribus generibus associationum in Encycl. de Communismo atheo

Fusius tractat Papa de Actione Catholica in altera encyclica, data die 19 martii de communismo atheo, et quidem in paragrapho quinta, ubi commendatur apostolatus socialis sacerdotibus eorumque adiutoribus laicis in extendendo Christi regno, supra pp. 263-268. Ibi, quod ad laicos spectat, tria distinguuntur genera associationum: primo loco agitur de iis coetibus, qui quasi constituunt ipsum nucleum Actionis Catholicae, deinde de eius associationibus auxiliariis, tandem de iis organizationibus, quibus homines eiusdem eruditionis vel condicionis socialis quasi naturaliter coalescunt ad communem prosperitatem facilius attingendam (*organizzazioni di classe, associations professionelles, Standesvereine, standsvereenigingen*) (1).

(1) In articulo 31 Concordatus cum Germaniae regno legitur: « organizationes et associationes catholicae, quae unice finem religiosum, culturalem et charitativum habent, et qua tales ab auctoritate ecclesiastica dependent, in eorum institutionibus et activitate protegentur », cf. I. M. Restrepo Restrepo, *Concordata regnante S. D. Pio XI*, Romae (P. U. G.) 1934, pag. 588.

(1) Notes velim differentiam inter *Gewerkvereine* seu *Vakvereenigingen* et *Standesvereine* seu *Standsorganisaties*. Valde dolendum

Quod ad uniones Catholicae Actionis stricte dictae iterum statuitur principium notissimum: finem internum seu formam Actionis Catholicae esse apostolatum religiosum simul ac socialem, finem autem externum propagationem regni Christi in individuo, familia, societate. Deinde Pontifex de mediis apostolatus tractat et de iis imprimis, quibus facilius profligi possit communismus. Non solum membra activa Actionis Catholicae imbuti sint spiritu eminenter apostolico, sed etiam efformentur oportet ad apostolatum socialem efficaciter exercendum. Hac de causa enixe commendantur coetus studii causa erecti, congressus hebdomadales de re sociali, cursus praelectionum quibus systematice problemata huius temporis enucleentur (acroases ex ordine factae), tandem omnes alii varii generis coeptus, quibus dilucidetur, qua ratione et qua via quaestio oeconomica secundum principia Christiana solvi possit.

Quod bene est attendendum. Ipsius Actionis Catholicae qua talis non est ratione sui technice solvere quaestionem oeconomicam, sed solutionem stimulare et praecipue omnes vires nervosque intendere, ut ii ad quos solutio technica spectat, eam sincere aggrediantur et quidem ad mentem Ecclesiae, secundum principia in encyclicis Romanorum Pontificum clare indicata. Licet enim solutio technica aporiae oeconomicae sit ordinis materialis, tamen solutio illa absolute necessaria est, ut creentur istae condiciones, sine quibus Actio Catholica non nisi extrema difficultate finem suum supernaturalem attingere possit; deinde ut fructuose solvatur quaestio, secundum leges naturae et leges Christi fiat necesse est.

Quare membra Actionis Catholicae egregie fallerentur, si existimarent se indifferenter sese habere posse ad quaestionem oeconomicam, sese fructuose apostolatum suum

---

est vocem *professionis* hac in re non carere aequivocatione. Non enim professio omnis, quam quis exercet, per se constituit classem socialem.

exercere posse, si in rebus istis fundamentalibus, sine quibus solutio quaestionis oeconomicae sensu Christiano fieri nequeat, nullo modo sint bene versati. Nam et communistae conantur solvere problemata socialia et oeconomica, sed contra leges naturales et divinas (1), haud aliter ac multi liberales qui ea de causa v. g. propagant neomalthusianismum.

Expositis mediis, Papa explicat in concreto alium aspectum Actionis Catholicae; est enim Actio Catholica apostolatus auxiliaris in adiutorium sacerdotum. Est autem adiutorium illud duplex: cum in spargenda doctrina catholica, tum in exercendis operibus misericordiae temporalis et spiritualis; illudque ibi singulari ratione requiritur, ubi ob praeiudicia mala populi contra clerum vel ob indolentiam religiosam influentia sacerdotum quasi annihilatur. Summopere autem membris Actionis Catholicae commendatur, ut ducibus sacerdotibus, in re sociali bene versatis, curam specialem habeant opificum, ne fallaciis communismi irretiantur. Quod ut melius perficiatur, laicis apostolicis commendatur propagatio tum verbis tum scriptis eorum principiorum, quae inveniuntur in Pontificum encyclicis ad quaestionem socialem ad Christi leges solvendam.

Brevissime tantum in encyclica de communismo atheo agitur de associationibus auxiliaribus Actionis Catholicae, scilicet de iis coetibus, qui vel intendunt primario loco sanctificationem propriam membrorum, vel finem apostolicum quidem, sed particularem, qui igitur pro parte tantum coincidat cum fine Actionis Catholicae universali. Paucis verbis et isti coetus exhortantur ut in solutione quaestionis socialis « praestantissimas partes sibi deposcant ».

---

(1) Cf. prooemium encyclicae ad Episc. Mexic.: « Frustra arbitrantur, se nequire sociales in populi utilitatem reformationes peragere, nisi religioni maximae partis civium repugnando ».

Ut ex textu latino patet — in textu italico legitur: « noi esortiamo a consecrarsi » —, associationes istae non solum libenter adiuvare debent Actionem Catholicam, sed etiam Actio Catholica eorum auxilium libenter invocare debet ad rem Catholicam efficaciter promovendam.

Fusius deinde attinguntur coetus isti, qui minus arcte connexi sunt cum Actione Catholica quam associationes auxiliares: organizationes istas dico, quibus homines eiusdem eruditionis vel condicionis socialis quasi connaturaliter coalescunt ad communem prosperitatem facilius attingendam. Mira videri potest longior haec insistentia, attamen mira non est bene perspicienti, Pontificem prae ceteris intendere solutionem problematis socialis et oeconomici.

De istis sodalitatibus (enumerantur a Pontifice, missis aliis, associationes operariorum, agricolarum, fabricationum artificum — *ingegneri* italice —, medicorum, herorum, litteratorum) haec statuuntur:

1 - Istae associationes, quia in ipsis uniuntur homines eiusdem gradus eruditionis in ordines sibi accommodatos, *veluti natura duce* exoriuntur. Cf. *Divini Redemptoris* n. 37, supra pag. 250 de iure associationis, a Leone xiii operariis vindicato.

2 - Ut ex par. tertia eiusdem encyclicae patet (n. 32) vera populi prosperitas procuranda est per eiusmodi collegiorum consociationem et amicam conspirationem ad communem civitatis bonum (corporativismus). Supra pag. 245.

3 - Hac de causa (cf. locum modo citatum) germanum ac peculiare publicae potestatis munus in eo consistit, ut mutuam eiusmodi civium omnium conspirationem pro facultate promoveat.

4 - Quodsi ob mutatum rerum oeconomicarum vel socialium statum, respublica suum esse duxerit legibus peculiaribus moderari ac temperare consociationes istas, pri-

vatorum libertatem ac auctoritatem salvam relinquere debet.

5 - In hoc casu, membra Actionis Catholicae praesentium rerum rationem quidem habere debent, sed ex altera parte prudenter studia sua conferre, ut quaestio socialis etiam in his circumstantiis ad normam doctrinae catholicae enodetur. Quod fiet, si sese libenter associationibus a republica directis tamquam membra adscribant, eo consilio, ut corporationes istas Christiano spiritu imbuant non sine emolumento ipsius reipublicae.

6 - In praedictis clare insinuatur melioris condicionis ibi esse rem Catholicam, ubi associationes praedictae non immediate a republica pendent, sed ab ipsis catholicis erigi possunt sub tutela auctoritatis civilis. Tunc enim non solum directe intendi potest prosperitas temporalis sed aeque immediate bonum supernaturale.

7 - Quia, ut ex iis quae in altera parte paragraphi mox sequuntur, clare apparet Pontificem supponere rempublicam Christianam: in regionibus istis, ubi auctoritas civilis nititur principiis indifferentismi, vel, quod peius est, principiis materialismi, quae auctore Pontifice viam communismo praeparant, omni vi procurari debet, ne corporationes variarum classium immediate reipublicae subiciantur.

Uti iam dixi, in parte altera paragraphi Papa agit de muneribus Civitatis Christianae in communismo debellando. Non huius loci est ea longius exponere. Conferri ea possunt quae scripsimus in hoc periodico xxv (1936) pag. 89*-99*, de A. C. in republica Christiana. Noto tantum n. 73, supra p. 271: « In huiusmodi rem (i. e. in communismum retundendum) Christiana quoque civitas conferat opus est, Ecclesiae in hac provincia suam *commodando operam*, quae licet externis suis ipsius propriis instrumentis expromatur, fieri tamen non potest, quin prae primis in animorum utilitatem *cedat* », ubi versio italica sic sonat: « A

questa medesima impresa *spirituale* della Chiesa lo Stato cristiano deve pure *positivamente concorrere*, aiutando in tale compito la Chiesa coi mezzi a lui propri, i quali benchè siano mezzi esterni, non *mirano* (1) meno, in primo luogo, al bene delle anime ».

De principiis Actionis Catholicae in Litteris Encyclicis datis Ep. Mexicanis

Iam agendum de principiis generalioribus, quae evolvuntur in litteris encyclicis ad Episcopatum Mexicanum. Quae epistola, haud aliter ac celebris epistola Papae fel. regnantis ad Card. Bertram, archiep. Breslaviae, 13 nov. 1928: *AAS* 20 (1928) p. 384-387; *Periodica* 17 (1928) pp. 233-236 et ea, quae 27 oct. 1935 missa est Episcopis Brasiliae: *AAS* 28 (1936) p. 159-164; *Periodica* 25 (1936) p. 69-77, iure vocari potest nova quaedam Actionis Catholicae charta magna. Statim exoriente recenti persecutione Mexicana, R. P. animum adverterat ad laicorum apostolatum. Etenim iam statim in allocutione consistoriali 14 dec. 1925 dixit, se in hac re tristissima unice a Deo auxilium exspectare et ab Actione Catholica. Quare mox in litteris apostolicis *Paterna sane sollicitudo*, 2 febr. 1926, Episcopatui Mexicano enixe laicorum collaborationem commendavit, paulo quoque post in encyclica *Iniquis afflictisque*, 18 nov. eiusdem anni, laicorum coetus apostolicos paterno verbo confortaturus.

In hisce novis litteris Papa, breviter exposita gloriosa simul et miseranda condicione Ecclesiae Mexicanae (*1-3*), Episcopis proponit duo media principaliora instaurationis vitae Christianae: sanctitatem scilicet sacerdotalem et formationem laicorum ad collaborandum cum apostolatu hie-

(1) Nota prius differentiam inter *cedat* et *mirano*. Deinde *cedat* (sing.) respicit ad *operam* (adiutorium datum cedit in bonum animarum); *mirano* respicit ad *mezzi* (instrumenta externa reipublicae intendunt bonum animarum).

rarchico (*4*). Breviter tantum attingit quaestionem primam, gravissimam quidem et summe transcendentem, sed iam satis expositam in encyclica *Ad Catholici Sacerdotii* (*5-8*). Quod si autem sacerdotes Mexicani formantur secundum Cor Iesu Christi, sane intellegent — praecipue in circumstantiis tam similibus Ecclesiae primitivae — quantopere laicorum apostolatus indigeant, et quomodo sana doctrina, plena unctionis et fortitudinis, eos spiritu apostolatus imbuere debeant (*9-10*). Quibus expositis R. P. ipsam Actionem Catholicam aggreditur, prius agens de principiis generalioribus (*12-22*), deinde pertractans quaestiones speciales (*23-31*), in fine ad universaliora (*32-42*) rediturus. Praecipue de generalioribus nobis erit paululum fusius disserendum.

Iniens quaestionem A. C., Papa iterum repetit quae olim dixerat in encyclica *Ubi Arcano Dei*, laicorum apostolatum indubitabiliter pertinere ad ministerium pastorale et ad christianam vitam. A. C. igitur non solum res laicorum est, sed etiam cleri, seu ut alibi dixit R. P. pars integrans ministerii sacerdotalis. Non hoc sensu acsi ipse apostolatus laicorum esset pars quaedam inferior apostolatus hierarchici, sed hoc intellectu, quod *cura* apostolatus laicorum pertinet ad missionem hierarchicam: aliis verbis: quod erectio, constitutio, directio spiritualis Actionis Catholicae sacerdotibus neglectui esse nequit, quin graviter deficiant in munere apostolico (*12*).

Quibus in memoriam revocatis -- teste enim ipso Pontifice non desunt, qui rei momentum nondum bene sibi perspectum habeant — statuitur fundamentum theologicum Actionis Catholicae, ad quod in fine epistolae lectores denuo reducuntur (*13-14* collato *42*). Fundamentum istud tribus verbis comprehendi potest: Ecclesiam esse *Corpus Christi sacerdotale*. Necessitatem Actionis Catholicae desumens ex mysterio Corporis Christi, Pius XI vestigia premit Pii X: *Il fermo proposito*, 11 iun. 1905. Res ipsa nota

est saltem *Periodicorum* lectoribus, quare solummodo quaedam dicam de Christi Corpore, ut est *sacerdotale*. Corpus Christi mysticum, quod Episcopus animarum nostrarum, Iesus Christus, socialiter efformavit, dum praedicaret in terris Regnum Dei, quodque Spiritu suo vivificavit, cum Semet ipsum sacrificaret in ara Crucis: Corpus illud Corpus quoque sacerdotale est, vel ut pulchris Bedae verbis utar *De Tabern.* 3, 6: *ML* 91 col. 477: *Corpus Summi Sacerdotis*. Hac de re singula membra participes sunt Sacerdotii Salvatoris secundum mensuram donationis Christi. Est autem sacerdotium mediatio inter Deum et homines: re considerata ab infra Deum placando pro hominibus ope sacrificii et orationis, re considerata ex alto nomine Dei docendo et sanctificando homines. Singuli Christiani characteribus Baptismi et Confirmationis signati, Christi Sacerdotium quodammodo participant ideoque ratione sua mediatores sint necesse est. Baptismate scilicet fideles baptizantur in mortem Christi (*Rom.* 6, 4), quare in sese complere debent in bonum totius Corporis mystici, quae desunt passionum Christi mystici (2 *Cor.* 1, 5-7 et *Col.* 1, 24). Baptismate quoque incorporantur Christo Sacerdoti et ideo et ipsi vocantur, ut una cum ministris altaris Deo Patri offerant sacrificium incruentum ad salutem multorum. Confirmatione autem uniuntur Capiti sacerdotum, quorum labia custodiunt scientiam, quorumque ex ore requiritur lex (*Malach.* 2, 7); quare et ipsi doctrinam Christi profiteri et defendere debent (*Matth.* 10, 32), sermone suo in gratiae sale condito, scientes quomodo oporteat unicuique responderi (*Col.* 4, 6). Est autem Corpus Sacerdotale simul et Corpus Regale: *Corpus pacifici Regis Christi*, auctore Beda, *In Reg.* 1, 12: *ML* 91 col. 722. Ideoque Christianorum sacerdotium universale, haud aliter ac Christi, regale quoddam sacerdotium est, ut dixit Apostolorum Princeps.

Fundamento posito, R. P. deducit (*15*) duas conclusiones, quarum utraque est fundamentum secundarium Ac-

tionis Catholicae: aliud internum, aliud externum. Prima conclusio est apostolatum laicorum non provenire debere ex mera inclinatione naturali actionis, sed ex spiritu supernaturali. Res in aperto est. Nam Corpus Christi hisce in terris eo erit perfectius, quo maior similitudo totius corporis et singulorum membrorum cum Christo Capite. Quod ex parte Dei fit gratiis, donis, charismatis; ex parte hominis oratione, sacrificio, zelo apostolico, quibus Christum imitemur oportet et quae non habentur nisi solida formatione spirituali. — Altera conclusio est Actionis Catholicae universalitas finalistica, quae necessario correspondet fini universali ipsius Corporis Christi et missioni universali ipsius Capitis. Ibi est campus apostolatus, ubi Christus mysticus in discrimine est vel periclitantur iura Christi Regis: et hac de causa A. C. sese extendere debet non tantum ad individuos, sed etiam ad familiae sanctuarium, ad scholam, ad totam vitam publicam.

Statutis principiis R. P. attingit quaestionem selectionis: potius qualitas quam quantitas (*16*). Ubi bene distinguatur A. C. receptiva et activa. Quatenus receptiva est, omnes vocantur: quatenus est apostolatus activus, multo melius est habere paucos apostolos bene formatos, quam turbam magnam hominum, qui solo nomine Actioni Catholicae adscribuntur, vel ob formationem deficientem cum recta intentione destruunt quae alii magno labore aedificant.

Alia quaestio haud minus gravis est ea quae versatur circa methodum ipsius apostolatus: debetne esse silentiosa vel cum strepitu? Gravibus verbis R. P. inculcat primatum actionis silentiosae (*17-18*). Iure merito: non enim torrentes agros fructificant, sed pluviae susurrantes, quae glaebulas perpenetrant. Quae quidem propter adiuncta sat nota speciali modo rebus Mexicanis conveniunt, sed et alibi utiliter audientur. Moderni adversarii religionis Chri-

stianae duplici via procedunt. Cellulis parvis constitutis homines conantur suis imbuere ideis; manifestatione exteriori sphaeram creant, in qua facilius ideas suas possint propagare. Sunt qui dicant ex utroque facto Catholicos addiscere posse, et praesertim in urbibus magnis religiose mixtis, apparatu quoque exteriori esse demonstrandum Actionem Catholicam esse renovatricem societatis, vectam enthusiasmo invincibili. Sic laicorum apostolatum sibi devincire multas animas, membris autem ipsis evehi animos et spiritum unionis mutuae. Inde reuniones, chori loquentes, scenae religiosae, pompae insignibus splendentes ac vexillis, cantus publici, cetera. Quae certe non prohibentur et variis in locis non absque fructu applicantur. Attamen non ubique fieri possunt, ut docent res Mexicanae et similes; non iuvant ubi magis excitant odium et invidiam quam venerationem et amorem; nocent vero ipsi Actioni Catholicae, si apparatui externo non correspondet vigor internus spiritualis et supernaturalis. Sint autem semper media ad finem, non finis. Certe hac in re prudentia magna requiritur ob mentem hodiernam tantopere ad res exteriores propensam, de qua loquitur Pontifex num. *26*.

Alia quaestio methodi attingitur nn. *18-22*, ubi Papa agit de habitudine mutua operum religiosorum, operum oeconomico-socialium, operum misericordiae temporalis. Finis ultimus A. C. est gloria Dei et salus animarum, et hac de causa coeptus sociales, oeconomici, charitativi non habere possunt nisi rationem medii. Sed quia ex una parte distributio rerum terrestrium regi debet lege iustitiae et charitatis, ex altera religio ibi de more florescere nequit, ubi condiciones sociales sunt miserae et homine indignae: A. C. res terrestres neglegere nequit. Doctrina contraria est falsus spiritualismus, a mente nonnullorum Catholicorum non tamen alienus. Duplex igitur scopulus vitandus: nimia cura et incuria rerum terrestrium; uterque autem scopulus facile evitabitur, quando Actio Catholica sequitur Pontificem,

qui in eadem encyclica de communismo atheo prae aliis homines dirigit ad caelestia, sed eodem quoque tempore docet, quomodo miseria terrestris procreet aquam illam salebrosam, in qua hostes Ecclesiae libenter animas piscantur diabolo. Inde duplex officium A. C.: primum propagatio principiorum illorum, sine quibus quaestio socialis solvi nequeat cum iustitia et charitate; alterum formatio virorum, qui bene instructi quaestionem de facto solvere possint. Non autem sufficit, ut homines formentur, qui in principiis religiosis et ethicis bene sint versati, sed etiam in rebus technicis pecuniariis et oeconomicis versati sint oportet. Ibi enim quaestio socialis ad legem Christi solvi nequit, ubi technice solvi non potest; sicut difficile pecunia secundum leges Christi expenditur, ubi pecunia non adest. Minime tamen Actionis Catholicae est, ut ipsa res oeconomicas qua tales adgrediatur; aliud autem est praeparare homines, qui in rebus oeconomicis bene instructi propria responsabilitate problemata oeconomica solvere possint, praelucente lege evangelica, quam sua responsabilitate propagat Ecclesia et cum Ea Actio Catholica.

Clarum est R. P. in litteris encyclicis Episcopis Mexicanis post tot encyclicas tam notas iam non fusius explicare principia evangelica, quibus regitur problema sociale eiusque solutio. Attamen quaedam puncta in memoriam revocat, quae suo momento non carent (22). Sunt autem haec quattuor:

1 - Esse quaedam iura primaria et fundamentalia, ut v. g. proprietatis. Attamen istorum iurium usui restrictiones quasdam imponi posse propter bonum commune. Clarum est v. g. bono communi obstare pecuniam omnem agrosque omnes esse apud paucos. Ibi enim non est sana respublica, ubi pauci sunt ditissimi, ceteri proletarii, deest classis illa media, quae est natura sua fautrix ordinis et pacis.

2 - Multo magis quam antea recurrendum esse ad iustitiam socialem, de qua fusius agit R. P. in encyclica contra Communismum n. 31 sq., supra p. 244 ss. Nescio utrum Papa agat de quaestione iuris vel facti. Res enim dupliciter intellegi potest. Vel: condiciones hodiernae tales sunt, ut frequentius quam antea appellari debeat ad socialem iustitiam; vel: corrigendus est defectus ille, quo antea non satis ad iustitiam socialem appellabatur. Rem in medio relinquo.

3 - Licet libertate apostolica defendi debeat personalitas humana cum energica denuntiatione condicionum socialium, quibus haud pauci opprimuntur, tamen istam denuntiationem talem esse debere, ut non sub specie boni legitimetur violenta revolutio socialis.

4 - Condiciones sociales et oeconomicas inveteratas non uno ictu solvi posse — nam revolutio socialis crearet mala funestiora — sed via evolutionis accelerandae.

Hisce generalioribus dilucidatis, Papa varias quaestiones speciales exponit: curam proletariorum (*22-24*); curam emigrantium (*25*): formationem religiosam academicorum (*26-28*); curam infantium et iuventutis (*29-31*); quibus paterna cum sollicitudine peractis animum advertit ad problema gravissimum: libertatis religiosae dico et politicae (*33-36*), de quo ob rei momentum in separato articulo mox paululum fusius agam. Hoc loco, ubi res est de Actione Catholica, nobis unica tantum occupat quaestio: Supposito casu legitimae insurrectionis, quid debent esse partes Actionis Catholicae? (*36-38*). Respondetur ad mentem Pontificis:

1 - Ipsa Actio Catholica qua talis non potest assumere violentam defensionem.

2 - Ipsa Actio Catholica qua talis non potest assumere ea quibus talis defensio praeparatur et technice executioni mandatur.

3 - Actio Catholica potest instruere membra sua, quaenam sint iura civium hac in re et qua lege possint istis iuribus uti.

4 - Actio Catholica debet instruere membra sua, quibus restrictionibus iura ista secundum doctrinam Pontificis sint subiecta.

5 - Prae ceteris missio Actionis Catholicae est missio pacis: debet igitur A. C. iuvare ut oppositiones sociales tollantur, non ut ea acriores fiant.

6 - Praedicta omnia eo facilius exsecutioni mandantur, quo profundior formatio vitae supernaturalis.

In numero 38 breviter attingitur quaestio politica. Haec statuuntur:

1 - Eo maior salus reipublicae, quo meliores Christiani et quo accuratius observatur lex Christi.

2 - Ubi bonum patriae vel Ecclesiae in discrimine est, malum est iure electionis non uti.

3 - Nec in bonum patriae nec in bonum Ecclesiae est, si Catholici uniuntur in factiones politice divisas.

4 - Maius malum est, si istae factiones pugnant inter sese.

5 - Episcopi possunt hac in re dare normas directivas, quibus bono catholico erit oboediendum. Notandum est illas normas pro varietate condicionum esse posse diversas et consequenter haud facile ex normis in una regione datis deduci posse quid in alia regione fieri debeat. Ex praxi enim constat auctoritatem ecclesiasticam prohibere posse, ne catholici sese uniant in parte politica catholica, quia nonnumquam adversarii inde iniuria quidem, sed de facto occasionem arripiunt, ut identificent religionem cum parte politica catholica, et cum parte politica ipsam religionem destruant. Ex eadem praxi etiam constat auctoritatem ecclesiasticam urgere posse, ut catholici in una parte politica uniti maneant ad bonum Ecclesiae, immo et Patriae. Cf. *Periodica* 25 (1936) pp. 35*-

36*; *l'Osservatore Romano* 13-14 apr. 1931; *La Doc. Cathol.* 25 (1931, I) pp. 1547-1572. Etiam quoad politicam applicari potest principium, quod statuitur n. 40: in praxi eadem problemata diversimode solvi posse, quin rectitudini et aptitudini solutionum ulla ratio obsistat.

Ut finem faciam commemoro principium generale, quod iterum a Romano Pontifice statuitur relate ad organizationem concretam Actionis Catholicae: scilicet A. C. ubique terrarum eandem quidem esse essentialiter, varias autem assumere posse formas pro variis regionibus et condicionibus socialibus. A. C. ne conglacietur in schemata praefixa (ita textus originalis Hispanicus), sed sese accommodet circumstantiis (*40*). Quare ubi iam exsistunt opera apostolica vigorosa, ea non sunt delenda, nec autonomia debita privanda, sed ita associanda Actioni Catholicae, ut ei auxilio sint et ab ea auxilium accipiant, omnibus debito ordine — unione, non unificatione — ad Actionem Catholicam officialem, ut ita dicam, quasi ad centrum et ad fontem energiae apostolicae directis. Quae non semper in praxi sunt facilia, sed difficultates superabuntur, ubi diligitur oboedientia et unitas Spiritus in vinculo pacis (*41-42*). Quoad varias formas A. C. in variis regionibus vide *Katholieke Documentatie* 1 (1936) nn. 6-22.

II - DE IURE SEDITIONIS

In numeris 35 et 36 agitur de re gravissima, scilicet de seditione. Breviter R. P. refert, quid in forma antitheseos docuerint Episcopi Mexicani: alterum omnem seditionem iniustam contra potestatem legitime constitutam esse condemnandam; alterum non absolute excludi casum, ut potestas legitime constituta ita insurgat contra iustitiam et veritatem, ut fundamenta ipsius societatis et ipsius auctoritatis ab ea destruantur; in tali autem casu non videri, quomodo condemnari possit defensio organizata,

adhibitis mediis licitis et proportionatis, contra destructores ipsius potestatis et patriae.

Quae ut clarius pateant dicenda quaedam sunt de seditione iniusta seu de seditione proprie dicta. Est autem seditio proprie dicta violenta turbatio regiminis legitimi. Interdicitur ab Ecclesia, cf. Leo xiii, *Immortale Dei*: *ASS* 18 (1885) p. 174, *Denz.* 1868; *Libertas praestantissimum*: *ASS* 20 (1887-88) p. 605. Minime seditio vocari debet non parere praeceptis peccaminosis, teste eodem Leone *Quod Apostolici*: *ASS* 11 (1878) p. 373; *Libertas praestantissimum*: *ASS* 20 p. 608-609; *Sapientiae Christianae*: *ASS* 22 p. 388. Nec est seditio, via legali quaerere aliam contemperationem reipublicae, ubi regimen oppressam habet civitatem, cf. *Libertas praestantissimum*: *ASS* 20 p. 612, *Denz.* 1933; *Periodica* xxvi (1937) p. 142-143: nec etiam armis defendere regimen a malis civibus impugnatum. Violenta autem perturbatio regiminis legitimi duplici modo evenit: tum oeconomice seu resistentia passiva, v. g. non oboediendo legibus, renuendo tributa, deponendo labores publicos, intermittendo commercia; tum sanguinose seu impugnatione et vi armorum. Finis autem seditionis potest esse duplex: vel ut regimen se corrigat, vel ut regimen alio regimine substituatur. In posteriore casu seditio dicitur revolutio. Vide e. c. differentiam inter seditiones olim factas, ut respublica melius provideret distributionem grani, et revolutionem gallicam. Seditio duo elementa complectitur: ipsam actualem perturbationem regiminis et praeparationem perturbationis actualis.

De more ordinario omnis perturbatio regiminis est illicita. Potest autem fieri quaestio utrum in casu aliquo extremo possit defendi. Casus autem ille extremus habetur, quando regimen non solum agit contra bonum commune, sed ita agit contra bonum commune, ut destruat ipsa fundamenta omnis boni regiminis et consequenter ipsa fundamenta omnis vitae vere socialis. In tali enim casu regimen iam non est in bonum commune, sed in

malum commune simpliciter; et ipso fine regiminis prorsus reiecto, regimen illud destruit propriam rationem exsistendi. Tale regimen vocari quidem potest legale, utpote titulo iuridico constitutum, sed desinit esse legitimum. Perturbatio talis regiminis non proprie dici potest seditio, cum seditio in ipso conceptu includat insurgentiam in regimen legitimum. Potius dicatur defensio patriae contra inimicum exitialem internum. Patet clare constare debere de absoluta illegitimitate regiminis. In dubio enim certe praesumptio favet auctoritati qua gubernium de facto exercetur. Patet etiam insurgentiam fieri debere mediis proportionatis et licitis.

R. P. doctrinam Episcoporum non reprobat, qui de cetero provocare possunt ad *S. Th.* II-II q. 42 art. 1 et 2 de seditione et *De Regno* 1, 6 sicut etiam ad multos moralistas magni nominis. Ne autem abusus hujus doctrinae fiat, R. P. quasdam condiciones proponit, quae absolute verificentur necesse est, ut violenta aggressio regiminis permittatur.

1 - Vindicationes debent habere rationem medii vel finis relativi, non finis ultimi et absoluti. Non licet vindicationes exercere propter iram et vindictam.

2 - Vindicationes in sua ratione medii sint licitae, non vero intrinsece malae. Res theoretice clara sed practice difficilis. In bello enim et seditione adhibetur adagium: « in extremis extrema sunt tentanda », quo principio haud raro homines eo ducuntur, ut saltem de facto putent fine honesto legitimari media in se peccaminosa.

3 - Media debent esse proportionata ad finem. Consequenter ubi agitur de insurgentia in actu, licita non sunt quae ab ipso fine non requiruntur, uti esset v. g. resistentia sanguinea, dum sufficit resistentia passiva. Eodem modo ubi agitur de insurgentiae praeparatione, ea solum adhiberi possunt, quae revera conducunt sive ex toto sive ex parte, ut ipsa insurgentia faustum excessum habere possit.

4 - Vindicationes tantum adhiberi possunt, in quantum conducunt ad finem. Res in praxi sat difficilis, cf.

Alloc. ad Hisp. profugos: *Periodica* 25 (1936) pp. 134-135: « Nimis facile difficultas ipsius defensionis eam reddit ita excessivam, ut iam plene iustificari non possit, et non minus facile intentiones haud rectae, vel desideria lucri afferendi vel sibi vel factioni politicae, subintrant ad disturbandam totam moralitatem vel responsabilitatem rei gerendae ».

5 - Ipsa vindicatio non debet communitati afferre maius damnum quam damna reparanda. Ergo certe vindicatio non licet, ubi deest vera spes bona eventus, et consequenter maius damnum praevideri debet.

Utrum casus legitimae resistentiae de facto in republica Mexicana exsistat, R. P. non dirimit. Conferri tamen possunt, quae dicuntur *Divini Redemptoris* n. 19 supra p. 238, ubi Papa affirmat, communistas in Russia et Mexicana regione — ipsis communistis aperte praedicantibus — quoquo modo enisos esse christianae religionis humanitatisque fundamenta radicitus diruere. Nec docet Papa condicionem quintam, modo edictam, verificari. Talia solummodo ab iis solvi possunt, qui cognoscunt bene circumstantias concretas.

Primo intuitu rem inspicienti discrepantia aliqua videri potest inter doctrinam Pii XI et effata quaedam Leonis XIII. Est autem differentia non realis sed apparens tantum. Haec docet Leo:

1 - Rationi contrarium esse principium quo propugnatur omnem potestatem politicam (ultimatim) non esse a Deo, sed a populo, ideoque dependere semper ex arbitrio multitudinis, et semper ab ea seditiose mutari posse. Cf. *Diuturnum illud*: *ASS* 14 (1881) p. 11-12 collato *Immortale Dei*: *ASS* 18 (1885) p. 174. Vide etiam *Syllabum* Pii IX, n. 63 apud *Denz.* 1763 cum documentis ibi indicatis.

2 - Christianos antiquos potius elegisse mori quam ut per seditionem et turbas reipublicae obsisterent, cf. *ib.* pag. 9-11.

3 - Si temere et ultra modum principes exerceant potestatem, doctrinae catholicae esse, in eos proprio Marte insurgi non posse: ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas *maius* inde *detrimentum* capiat. Cf. *Quod Apostolici*: *ASS* 10 (1878) p. 373. Quod si vero mala eo deveniant, ut iam nulla sit spes salutis, patientia Christiana ac precibus Deum efflagitandum esse, ut Ipse remedia praestet, cf. *ibidem.* pag. 373.

4 - Clarum est ex modo dictis de maiore damno evitando, cur in Ecclesia primitiva resistentia activa adhiberi non potuerit; nec minus cur Leo xiii in quaestione Hiberniae resistentiam violentam non permiserit. Cf. *Epistolam tuam,* 3 ian. 1881 ad Archiep. Dubl.: *ASS* 13 p. 248-250.

5 - Nullo modo considerat Leo xiii casum, ubi violenta resistentia possit procurare maius bonum. Iure supponit generatim talem casum non adesse.

6 - Leo xiii semper prae oculis habet casum ubi potestas publica abutatur auctoritate sua contra bonum commune: Pius xi prae oculis habet casum, ubi regimen ita destruat principia veritatis et iustitiae, ut pereat omne fundamentum verae societatis, quod solummodo hisce temporibus verificari videtur.

Notes quoque in litteris encyclicis ad Ep. Mexicanos unice agi de liceitate defensionis, non de officio resistendi. Quare manet aperta quaestio, num forte data liceitate resistentiae violentae, magis perfectum sit sequi martyres, et spem novae instaurationis cum precibus et sacrificiis ponere in Deo, qui suos non relinquet; vel praevalere possit bonum patriae vel etiam humanitatis.

Iure etiam rogari potest, utrum in regionibus Mexicanis et in quibusdam Hispaniae regimen, quod vocatur legitimum, revera sit regimen ipsius nationis, et non potius instrumentum quoddam reipublicae sovieticae.

Seb. Tromp, S. I.

39 - Sacra Congregatio de Sacramentis Litterae 5 ianuarii 1937

DE MUNERE DEFENSORIS VINCULI RECTE EXPLENDO

(*ex exemplari authentico*)

AD EXCELLENTISSIMOS ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ATQUE LOCORUM ORDINARIOS

Num prot. 163/37

In Plenariis huius S. Congregationis Comitiis, mense proxime elapso habitis, Emi Patres animadverterunt, non paucos nec semel vinculi defensores ab Excmis Ordinariis deputatos in processibus super matrimonio rato et non consummato, munus sibi commissum haud recte explere. Ipsi enim opinari videntur, licet sint matrimoniali tuendo vinculo designati, ius sibi aliquoties esse non pro matrimonii consummatione, sed pro rei veritate *positive* scribendi, quod quidem quantum sit a iuris praescriptis alienum, non est cur in dubium vocetur (Cfr. can 1968, N. 3 et Regulas H. S. C. diei 7 maii 1923, N. 28).

Quapropter ad eiusmodi defectum atque abusum penitus in posterum amovendos, valde quidem magni Sacramenti dignitati perniciosos, opportunum haec Sacra Congregatio duxit, ea communicare Excmis locorum Ordinariis quae iidem Emi Patres animadverterunt, ut ipsi eadem super re Curiarum vinculi defensores, vel iam constitutos vel in posterum deputandos in processibus eiusmodi, doceant, ius et officium eisdem esse ea omnia, inter processum deducere, quae ad matrimonium tuendum necessaria vel utilia censuerint, et, processu expleto, animadversiones *pro matrimonii consummatione* adstruenda sedulo conficere, sive ex actorum forma sive ex horum substantia educendas, quin de causae merito mentem suam

pandant. Sciant siquidem ad solos Episcopos non ad alios spectare votum *pro rei veritate* promere, antequam omnia acta ad hanc eandem Sacram Congregationem pro definitivo iudicio edendo mittantur.

Romae, ex aedibus S. C. de disciplina Sacramentorum, die 5 ianuarii a. 1937.

L. ✠ S.

D. Card. Jorio, *Praefectus*
F. Bracci, *Secretarius*

ANNOTATIONES

Defensor vinculi, vi nominis, matrimonium tuetur, semper tamen mediis honestis seu veris (Cocchi, *De Processibus*, n. 292; P. Conte, *Institutiones Iuris Can.*, num. 1484,2). Veritati enim detegendae, quae est scopus processus matrimonialis, difficultates fictae vel vanae non prosunt, immo gravitatem talis causae dedecent. Ceterum iuxta normas S. R. Rotae defensor vinculi, cum est audiendus aut debet « insistere vel se opponere, motiva voti, instantiae, oppositionis adducere debet » (art. 30 et 37).

Si quando bonum publicum requirat, ut nullitas vinculi declaretur, promotor iustitiae eam debet urgere, non vero vinculi defensor; cfr. Roberti, *De Processibus*, n. 121.

Porro regulae servandae in processibus super matrimonio rato et non consummato articulo 98 praecipiunt, ut « clauso processu vinculi defensori acta omnia tradantur, qui suas *animadversiones* conficere debeat, in primis animadvertens, an regulae hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne ». Eius igitur tunc est monere, si quod praescriptum istarum regularum neglectum sit, v. g. si in actis iuramenta praestita non no-

tentur aut iuramenta de veritate dictorum omissa sint, vel si numerus testium septimae manus sine sufficienti ratione incompletus est; deinde adductis rationibus indicare debet, si forte oratoris vel alicuius testis credibilitas non sit integra vel aliquod argumentum infirmum vel aliquod dubium, licet leve, relictum de inconsummatione, et sic porro.

Si tamen post diligens causae examen « defensor vinculi existimet nihil serio obiici posse, ut quid vana allegaret? » (*Periodica* XXIII (1934) p. 205*). Etiam Codex Iuris Can. supponit quandoque nihil animadvertendum esse; sic can. 1984 § 3 ait: Si « ante praefinitum a iudice diem defensor nihil deduxerit, praesumitur eum nihil iam deducendum habere ». Sane animadversiones « nusquam iubentur faciendae, ubi nullae detegantur » (*Periodica* XXIII (1934) p. 206*).

Quare etiam S. C. de Sacr. in Appendice, addita praefatis regulis in processibus super matrimonio inconsummato servandis, notavit: « Votum autem defensoris vinculi, *nisi agatur de re evidenti*, ne adstipuletur parti dispensationem postulanti, sed difficultates moveat, quae tum quoad ordinem processualem, tum quoad quaestionis meritum, refragantur, quamvis *sophisticis argumentationibus non sit indulgendum* » (AAS XV (1923) p. 436). Profecto paucae sunt causae, quae ne levibus quidem animadversionibus ansam praebent. Fingamus casum: ritu nuptiali peracto maritus egrediens cum uxore, testibus sacramentalibus ac propinquis ex ecclesia, comprehenditur a policia et in campum concentrationis detruditur, quo nemini eum visitatum accedere licet. Mox fertur sententia inclusionis per quinquennium ideoque uxor petit dispensationem a matrimonio rato et non consummato. Quid serii opponere posset vinculi defensor, nisi forte regulae procedendi violatae sint?

Nihilominus in omni causa dispensationis a matrimonio ráto et non consummato vinculi defensor votum

scribere debebit, ut S. C. de Sacramentis cognoscat eum rite officio functum esse. Si nihil monendum occurrit, nihil monebit, sed satis habebit dicere nihil quoad modum procedendi nec quoad meritum causae animadvertendum superesse; secus vero scribet, quid minus placuerit sive in forma sive in merito causae.

Ordinarii vero loci est favorabilia causae indicare, velut credibilitatem coniugum et testium, atque urgentes causas cohonestantes dispensationem petitam; praeterea si casus fert, ostendet rationes, cur numerus testium incompletus sit, atque commendabit petitionem alterius vel utriusque coniugis ad dispensationem obtinendam.

A quibus omnibus abstinere debet vinculi defensor, ne provinciam suam migret, quemadmodum his litteris, quas modo commentamur, denuo monendum esse duxit S. Sedes. Ordinariis igitur locorum cura incumbit docendi defensores vinculi ius et officium eorum, scilicet deducendi inter processum, quae ad matrimonium tuendum necessaria vel utilia eis videantur, et conficiendi post processum animadversiones pro matrimonii consummatione. Quod imposterum etiam inculcat S. C. de Sacramentis in formula nuper impressa, qua delegat Ordinarios ad conficiendum processum super non consummatione matrimonii; quam formulam auxit hoc inciso: « Matrimonii autem defensor *animadversiones pro vinculo* sedulo exarare curabit (1), ac prorsus abstineat a mente sua aperienda circa meritum causae, cum unius Episcopi sit votum promere *pro rei veritate* ».

Franciscus Xaverius Hecht, P. S. M.

(1) Hic insuper manu addi solet: cfr. can. 1968 n. 3.

40 - Sacra Congregatio de Sacramentis Responsum diei 10 martii 1937

DE SENSU VOCIS IMPEDIMENTI IN FACULTATIBUS QUINQUENNALIBUS

(*transsumptum ex originali*)

N. P. 2569/37

LIMBURGEN

Ad quaesitum, utrum verbum « impedimentum » in textu facultatum matrimonialium quinquennalium sub n. 4: « Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis iuris ecclesiastici etc. », intellegendum sit sensu strictissimo de iis tantum impedimentis, de quibus in cann. 1067-1080 *CIC;* an potius latiori sensu, de omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, uti e. g. in can. 1971 § 1 n. 1; Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum respondet:

Affirmative ad primum, *negative* ad secundum; contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. C., die 10 martii 1937.

L. ✠ S.

D. Card. Jorio, *Praef.*

Illmo ac Rmo
Ordinario Limburgen.

ANNOTATIONES

Ex can. 18 leges ecclesiasticae « intellegendae sunt secundum *propriam verborum significationem* in textu

et contextu consideratam ». Porro impedimenta dirimentia proprie sumpta recensentur canonibus 1067-1080. Unde, donec aliud constet, etiam in facultatibus quinquennalibus, quae leges Codicis I. C. respiciunt, ita oportet vocem impedimenti dirimentis sumere.

Dubio autem ansam dedit interpretatio extensiva eiusdem vocis in can. 1971 § 1 n. 1 contentae; ibi enim vox impedimenti comprehendit quamlibet causam nullitatis matrimonii, ex culpa coniugis provenientem. Propter hanc interpretationem S. C. de Sacramentis recte in instructione diei 15 augusti 1936 ita enuntiavit dispositionem can. 1971 § 1 n. 1: « Coniux inhabilis est ad accusandum matrimonium, si fuit ipse causa culpabilis *sive impedimenti sive nullitatis* matrimonii » (art. 37 § 1).

Igitur in facultatibus quinquennalibus retinenda est propria significatio vocis impedimenti; unde Ordinarius nequit sanare matrimonium duorum catholicorum, quod ex defectu formae est irritum, quia v. g. sacerdos assistens non erat competens. In tali casu proinde recurrendum est aut ad Nuntium Apostolicum (facultas 31: Vermeersch-Creusen, *Epitome Iuris Can.* I[5], p. 637, vel *Periodica* XII (1923) p. (129) s.) aut ad S. C. de Sacramentis.

Ceterum formula facultatum Nuntiorum alicui potuisset solutionem contrariam suadere. Nam Nuntii possunt sanare matrimonia nulla etiam ob defectum formae, secundum modum in facultate 31 expressum. At ibidem quoque defectus formae non videtur comprehendi nomine impedimenti, sed facultas hoc vitium sanandi potius superaddita censenda est. Ne tamen ex hac re parum perspicua neque ex interpretatione canonis 1971 § 1 n. 1 ulla fieret illatio contraria, S. C. cavit clausula « contrariis quibuscumque minime obstantibus ».

Franciscus Xaverius Hecht, P. S. M.

41 - Sacra Congregatio Rituum Responsum 16 ian. 1936

DE BENEDICTIONE GUTTURIS
(*transsumptum ex originali*)

LIMBURGEN

Sacra Congregatio Rituum — N. L. 5/936

Hodiernus Episcopus Limburgensis Sacrae Rituum Congregationi exposuit in nova editione typica Ritualis Romani in ritu benedictionis candelarum in festo S. Blasii Episcopi et Martyris exstare rubricam: « Deinde sacerdos duos cereos in modum crucis aptatos apponit sub mento gutturi singulorum... », dum in veteribus Ritualis Romani editionibus praescriptum erat, ut cerei in casu essent accensi. Jam vero ex hoc alii dicunt cereos non esse accendendos propter incommoda cum tali modo benedicendi coniuncta; alii e contra tenent veterem ritum ex sola omissione verbi « accensos » non esse mutatum. Quare Episcopus orator ab eadem Sacra Congregatione benignam propositi dubii petiit solutionem.

Et Sacra Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis, audito quoque specialis Commissionis suffragio, praeposito dubio respondendum censuit:

In nova editione typica Ritualis Romani verbum « *accensos* » consulto omissum esse. Atque ita rescripsit atque declaravit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 ianuarii 1936.

L. ✠ S.

A. Carinci, *S. R. C. Secretarius*
Henricus Dante, *Subst.*

ANNOTATIO

Hoc responsum maiorem securitatem parit in re, quae satis certa erat. Sic *Ephemerides Liturgicae* 1925, p. 346 et 1926, p. 139 atque *Monitore Ecclesiastico* 1926, p. 180 docuerunt cereos in casu non esse accendendos. Recens enim rubrica *Ritualis Romani* (Appendix, Bened. non reserv., n. 7) incensionem antea praescriptam non iam memorat. Praesumendum erat hoc silentium consilio, non vero oblivioni tribuendum esse. Quod ex praefato responso S. C. nunc omni dubio vacat et certum est.

Sensus igitur rubricae nunc est: Cerei in modum crucis aptati, sed *non accensi,* sub mento gutturi singulorum apponuntur in benedictione impertienda. In tali positione, si cerei accensi essent, difficulter praecaveri posset, ne vestes fidelium cera liquida contaminarentur. Unde opportunissime, mutatione rubricae Ritualis, prius praeceptum, ut cerei accendantur, sublatum est.

Franciscus Xaverius Hecht, P. S. M.

42 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(officium de indulgentiis)

Responsa 2 martii 1937

DUBIA SUPER DECRETO « CONSILIUM SUUM PERSEQUENS »
(*AAS* xxix (1937) p. 58)

Sacrae Paenitentiariae Apostolicae infra relata dubia quoad eiusdem Sacri Tribunalis Decretum « Consilium suum persequens », die 20 martii 1933 datum et subsequenti die 1 aprilis evulgatum, pro opportuna solutione proposita fuerunt:

I. An Clericus, qui nomen dederit piis fidelium associationibus ante memorati Decreti evulgationem, frui pos-

sit facultatibus in eodem Decreto recensitis vixdum sacrum Presbyteratus Ordinem susceperit.

II. An Sacerdos, ad Confessiones non approbatus, qui, uti supra, suum nomen dederit ante Decreti evulgationem, frui valeat praedictis facultatibus.

Et Sacra Paenitentiaria Apostolica die 23 februarii 1937 respondum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative,* exceptis tamen facultatibus adnectendi Indulgentias Apostolicas et Plenariam « in articulo mortis », quae exerceri nequeunt nisi post obtentam approbationem ad excipiendas sacramentales Confessiones.

Facta autem de omnibus relatione Ssmo D. N. Pio div. Prov. Pp. XI in audientia habita ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore die 27 mensis nuper elapsi, Sanctitas Sua resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam decrevit.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 2 martii 1937.

L. ✠ S. L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*
S. Luzio, *Regens.*

ANNOTATIONES

Per Decretum S. Poenitentiariae Apostolicae: *Consilium suum persequens,* 20 martii 1933, facultates quas sacerdotes, utpote certis associationibus adscripti, ipso inscriptionis actu obtinebant « benedicendi devotionis obiecta eisque Indulgentias Apostolicas aut Sanctae Birgittae, ut aiunt, adnectendi — benedicendi coronas easque (quamque pro suo modo) Indulgentiis ditandi — benedicendi crucifixos ad lucrandas Indulgentias pio Viae Crucis exercitio pro legitime impeditis adnexas, necnon ad plenariam

in mortis articulo Indulgentiam acquirendam — impertiendi benedictionem papalem in fine concionum — concedendi indultum, quod dicunt, altaris privilegiati personalis, praesenti Decreto revocantur, abrogantur atque omnino abolentur ita ut ab huius ipsius Decreti evulgationis die omni prorsus vi careant omnique efficacia destituantur ».

Post diem igitur 20 martii 1933 adscriptio his Associationibus ceteros effectus iuridicos producunt, ut antea, atque gratiarum ac privilegiorum participationes, si quae sint; facultates vero et indulta supra memorata non amplius ex ipsa adscriptione habentur, sed necessarium est ut sacerdotes qui illis augeri cupiant, directe atque immediate ab Sacra Poenitentiaria eadem obtineant, « oblatis toties quoties peculiaribus proprii Ordinarii ad rem litteris commendatitiis ».

Licet verba Decreti 20 martii 1933 satis clara sint, nihil mirum si nonnullae dubitationes quoad earum intelligentiam in quorundam animis excitatae fuerint, ac inter eas illae quibus praesens declaratio occurrit.

Accidere enim potuit, et accidit de facto, ut plures seminaristae, praesertim ex iis qui ultimis annis theologiae incumbunt, et sacerdotes novensiles facultate audiendi confessiones nondum praediti, aliquibus ex dictis consociationibus, v. gr. Unioni Missionali Cleri, Piae Unioni Transitus S. Ioseph et similibus nomen iam ante diem 20 martii 1933 dederint.

Ratio autem dubitandi est ipsa Decreti dispositio, quae facultates ante praedictum diem habitas non abrogat, sed solummodo statuit omni vi eas destitui post diem, vel accuratius, ab ipso die evulgationis Decreti. Ubi obiter nota non dari in eo tempus ordinarium vacationis legis trium mensium a die qui *Actis Apostolicae Sedis* appositus est (can. 9), sed contra expresse dici ab ipso die quo Decretum datum est omnem suam vim exserere. Et cum dies ap-

positus Actis Apost. Sedis in quo Decretum editum est, sit 1 aprilis 1933, aliquis in ipso effectus retroactivus admittendus est.

Facultates igitur habitae ante diem 20 martii 1933 non cessant vi Decreti *Consilium suum persequens*. Iam vero, seminaristae ante illum diem inscripti habebantne tales facultates? Dici certe nequit illos eas *formaliter* habere, quandoquidem ad earum exercitium ordo sacerdotalis requirebatur, quo ipsi carebant. Admitti poterit eos praedictas facultates habere, ut ita dicam, *radicaliter*, seu habituros eas suo tempore, si nihil interea in contrarium acciderit. Et re vera, pone aliquem ex eis ante sacerdotium mortuum fuisse. Potestne dici illum habuisse unquam facultatem benedicendi numismata eisque indulgentias applicandi? Minime quidem. Sic ad effectum de quo agitur; nam Decretum 20 martii exigentiam illam delevit, sed nullam formalem facultatem ab eo tulit. Unde ille seminarista die ordinationis suae, post 20 martii ordinatus, amiserat iam quodvis ius sive exigentiam ad illas facultates et privilegia habenda.

Inde logice S. Poenitentiaria ad 1 quaesitum: Utrum ipse frui possit facultatibus in Decreto recensitis, respondet: *Negative*.

Et eadem est ratio responsionis affirmativae ad secundum quaesitum. Sacerdos ordinatus ante diem 20 martii 1933, iam ex vi ipsius ordinationis et praecedentis inscriptionis piae associationi, habebat *actu* facultates ad quas non requirebatur approbatio ad audiendas confessiones; sed carebat iis ad quas exercendas talis approbatio necessaria erat. Eum igitur Decretum 20 martii in eodem statu relinquit in quo erat; ac propterea frui valet facultatibus quae approbationem ad audiendas confessiones non requirunt; caret vero facultate ad annectendas Indulgentias Apostolicas et Plenariam in articulo mortis; nisi eas debite obtineat aut aliunde habeat.

I. M. Restrepo R., S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

43 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A - Epistola *Summa animi*, 1 ian. 1937, ad Em.um P. D. Dionysium Tit. SS. Nerei et Achillei S. R. E. Presbyterum Cardinalem Dougherty, *Archiep.* Philadelphiensem, SS. D. Legatum a latere deligit atque constituit, ut Suam gerens personam, Congressui Eucharistico ex omnibus nationibus Manilae proxime cogendo eiusque sacris caerimoniis nomine Suo, Suaque auctoritate praesideat (*AAS* xxix (1937) p. 54 s.).

B - *Litterae de Ecclesiis*:

Brevi *Mediolanensis Archidioecesis*, 7 dec. 1936, templum praepositurale in honorem Sanctorum Syri et Materni, Deo Optimo Maximo in Civitate Desio dicatum, intra fines Mediolanensis Archidioecesis, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoratur, una cum privilegiis atque honorificentiis, quae Minoribus Almae Urbis Basilicis de iure competunt (*AAS* xxix (1937) p. 52 s.).

44 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 19 dec. 1936, pagus *Krasne* a paroecia *Rogozno* et a dioecesi Lublinensi separatur atque paroeciae *Uscimów* et dioecesi Siedlcensi perpetuo tribuitur (*AAS* xxix (1937) p. 213 s.).

2 - Decreto 19 dec. 1936, pagus *Forstwiesen* a paroecia *Geisenfeld* et a dioecesi Ratisbonensi separatur atque paroeciae *Manching* et dioecesi Augustanae Vindelicorum perpetuo tribuitur (*AAS* xxix (1937) p. 214).

45 - S. C. de Prop. Fide

Designationes Ordinariorum pro appellationibus:

Vicarius Ap.cus de *Haiphong* designavit pro appellatione tribunal Vicariatus Ap.ci de *Thai-Binh* (rescr. 18 dec. 1936; *AAS* xxix (1937) p. 216).

Vicarius Ap.cus de *Bacninh* tribunal Vicariatus Ap.ci de *Thai-Binh* (rescr. 21 dec. 1936; *AAS* xxix (1937) p. 216).

46 - S. C. Rituum

1 - *Namurcen.* Decretum 8 iul. 1936, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae* beatificationis et canonizationis Servi Dei Fratris Muciani Mariae, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum (*AAS* xxix (1937) p. 216 ss.).

2 - *Parisien.* Decretum 18 nov. 1936, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae* beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Raphaëlis Captier, sacerdotis professi e Congr. Tertii Ordinis S. Dominici pro educanda iuventute, et sociorum duodecim in odium fidei, uti fertur, interemptorum (*AAS* xxix (1937) p. 229 ss.).

3 - *Antuerpien.* Decretum 24 febr. 1937, Super dubio: *an signanda sit Commissio Reassumptionis Causae* canonizationis B. Annae a S. Bartholomaeo, Virginis, monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum (*AAS* xxix (1937) p. 233).

47 - Provisio Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:*

30 nov. 1936, R. D. Franciscus Von Streng, cathedralibus ecclesiis Basileensi et Luganensi.

13 febr. 1937, Exc. P. D. Ioannes Thomas Mac Nally, metropolitanae ecclesiae Halifaxiensi.

15 febr. 1937, Exc. P. D. Bernardus Bertoglio, cathedrali ecclesiae Bobiensi.

20 febr. 1937, Exc. P. D. Aloysius Martínez, metropolitanae ecclesiae Mexicanae.

13 mart. 1937, R. D. Lucianus Marcante, cathedralibus ecclesiis, aeque principaliter unitis, Valvensi et Sulmonensi.

13 mart. 1937, R. P. Innocentius Alaphridus Russo, O. F. M., cathedrali ecclesiae Bovinensi.

R. P. Iosephus d'Haas, O. F. M., cathedrali ecclesiae Arassuahyensi.

15 mart. 1937, R. D. Marius Gulielmus Sembel, cathedrali ecclesiae Divionensi.

20 mart. 1937, R. D. Georgius Larrain Cotapos, cathedrali ecclesiae de Chillán.

10 april. 1937, R. D. Emmanuel de Medeiros Guerreiro, cathedrali ecclesiae S. Thomae de Meliapor.

B - *Decretis S. C. de Prop. Fide nominatus est:*

18 febr. 1937, R. P. Iustinus Simonds, archiepiscopali ecclesiae Hobartensi.

48 - Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

9 nov. 1936, R. D. Paulus Aijiro Yamaguchi, e clero indigena, Praefectus Ap.cus de Kagoshima.

4 dec. 1936, Exc. P. D. Guilelmus Finnemann, episcopus tit. Soranus, Praefectus Ap.cus Mindorensis.

4 dec. 1936, R. P. Quintinus Pessers, O. F. M., PraefectusAp.cus de Kiangchow.

18 dec. 1936, R. P. Benedictus Cialeo, O. P., Praefectus Ap.cus de Multan.

18 ian. 1937, R. P. Guilelmus Ferrer Cassidy, O. P., Superior ecclesiasticus Missionis sui iuris de Kienning.

26 febr. 1937, R. P. Iosephus Kirsten, e Congr. S. Spiritus, Praefectus Ap.cus de Benue.

5 mart. 1937, R. P. Ioannes Baptista Rosenthal, e Pia Soc. Missionum, Superior ecclesiasticus Missionis sui iuris de Qeenstown.

49 - Necrologium

9 aug. 1936, D. Florentinus Asensio Barroso, episcopus Barbastrensis.

23 febr. 1937, D. Iustinus Sanchini, episcopus Fanensis.

4 mart. 1937, D. Iosephus Alvarez y Miranda, episcopus Legionensis.

13 mart. 1937, D. Franciscus Johannes, episcopus Leavenworthiensis.

13 mart. 1937, D. Eugenius Stanislaus Le Senne, episcopus Bellovacensis.

14 mart. 1937, D. Severianus Sainz y Bencamo, episcopus Matanzensis.

15 april. 1937, P. Patritius Thomas Ryan, episcopus Pembrokensis.

18 april. 1937, D. Ioannes Murad, episcopus Heliopolitanus Maronitarum.

30 april. 1937, D. Augustinus Łosinski, episcopus Kielcensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Ex periodicis

LA CITE CHRETIENNE XI (1937), fasc. 244 (20 Ian.) — JACQUES UGEUX, *Obstacles au mariage dans les milieux bourgeois*, p. 162-4, — JOSEPH PAQUAY, *Difficultés au mariage dans les milieux ouvriers*, p. 164-7. — EDUARD NOIRHOMME, *Difficultés actuelles du mariage dans les milieux ruraux*, p. 167-9. — Dr. L. GOEDSEELS, *La chasteté conjugale et le monde moderne*, p. 169-71. — MARIE-LOUISE GILLARD, *La difficulté du logement et la vie matérielle*, p. 171-6. — TILLA VULHOPP, *Salaire familial et allocations familiales*, p. 176-80. — R. BOIGELOT, S. J., *La famille devant ses difficultés; Activisme ou passivité?*, p. 180-4. — ABBÉ JACQUES LECLERCQ, *L'Action familiale catholique*, p. 184-6.

ID. XI (1937), fasc. 250 (20 April.) — Dom PAUL DE VOOGHT, O. S. B., *Où en est la question de la langue vivante en liturgie?*, p. 361-4.

COLLATIONES BRUGENSES XXXVII (1937), (Ian.-Febr.) — V. CHOUKE, *De intentione, probitate et fide ministri sacramentorum*, (cont.) p. 60-77.

COLLATIONES NAMURCENSES XXXI (1937), fasc. 2 (Mart.) — E. VOOSEN, *De proposito committendi omnia venialia*, p. 89-107.

ID. XXXI (1937), fasc. 3 (Maii) — G. KOERPERICH, *De subiecto sacramentorum*, p. 161-73. — A. PIÉRARD, *Fête titulaire*, p. 201-6.

COLLATIONES TORNACENSES XXXII (1937), fasc. 5 (April.) — P. STAQUET, *Le chant en langue vulgaire à l'église*, p. 313-22. — A. PASTURE, *Les dîmes paroissiales: X. La pension des vicaires et des coûtres*, p. 323-44.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XXVI (1937), fasc. 3 (Maii) — L. SUENENS, *De critische en metaphysische Moraal van Prof. E. De Bruyne*, p. 353-8.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO XLVII (1936), fasc. 11-12 (Nov.-Dec.) — CESARE BADII, *Il procedimento matrimoniale davanti ai tribunali diocesani* - Titolo III (contin.), p. 390-9.

ID. XLVIII (1937), fasc. 1-2 (Ian. Febr.) — CESARE BADII, *Il procedimento matrimoniale davanti ai tribunali diocesani* - Titolo IV. V. VI. VII. VIII, (contin.) p. 20-38. — ARNALDO BERTOLA, *Per la nozione di associazione laicale e associazione ecclesiastica,* (A proposito della natura giuridica delle organizzazioni di A. C.), p. 1-15. — Avv. ARNALDO CICCHITTI, *Ancora circa l'applicabilità degli Atti Lateranensi nelle Colonie italiane,* p. 16-9.

ID. XLVIII (1937), fasc. 3-4 (Mart.-April.) — CESARE BADII, *Il procedimento matrimoniale davanti ai tribunali diocesani* - Titolo IX (contin.), p. 113-39.

EPHEMERIDES LITURGICAE L (1936), fasc. 5-6 (Sept. Dec.) — PIETRO BROWE, S. J., *L'atteggiamento del corpo durante la Messa,* p. 402-14. — FRANCISCUS XAV. HECHT, P. S. M., *De offertorio Missae defunctorum,* p. 415-8. — H. B., *Quaestiones liturgicae de sacris reliquiis,* p. 419-27.

ID. LI (1937), fasc. 1-2 (Ian. Febr.) — PALADINI A., *De Reliquiarum distinctione et cultu* (contin.), p. 14-7.

BENEDIKTINISCHE MONATSCHRIFT XIX (1937), fasc. 3-4 — P. MAURITIUS SCHURR, *Die übernaturliche Wirklichkeit der Pfarrei,* p. 81-106.

IUS PONTIFICIUM XVII (1937), fasc. 1-2 — A. TOSO, *De matrimonio accūsandō vel denuntiando,* p. 5-12. — S. KUTTNER, « *Ecclesia de occultis non iudicat* », p. 13-28. — E. VOOSEN, *De residentia parochorum,* p. 52-63. — C. PIONTEK, O. F. M., *De acephalis in iure canonico,* p. 64-82.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXII (1937), fasc. 5 (Maii) — M. PISTOCCHI, *De superiore potestatem coactivam habente* (contin.), p. 141-51. — *s. r., Diniego della sepoltura ecclesiastica,* p. 151-8.

PERFICE MUNUS! XII (1937), (25 Mart.) — Avv. ARNALDO BERTOLA, *Sulla natura delle organizzazioni di Azione Cattolica,* p. 101-10.

PALESTRA DEL CLERO XVI (1937), vol. I, fasc. 8 (10 Mart.) — D. VALENTINO TURCHETTA, *Storia dell'Amministrazione dei Beni Ecclesiastici*, p. 177-83. — Mons. NICOLA FANELLI, *Confessione di un comunista*, p. 186-8.

ID. XVI (1937), vol. I, fasc. 10 (1 April.) — Sac. A. MANCINI, S. S., *Ancora dell'isteroctomia*, p. 222-6.

ID. XVI (1937), vol. 1, fasc. 16 (1 Iun.) — D. F. SCIPIONI, *Igiene... e sacramenti*, p. 369-71.

RASSEGNA DI MORALE E DIRITTO III (1937), fasc. 9 (Mart.) — Dott. PIO CIPROTTI, *Le nuove norme per i processi di nullità di matrimonio presso i tribunali diocesani* (contin.), p. 42-58.

REVUE ECCLESIASTIQUE DE LIEGE XXVIII (1937), fasc. 5 (Mart.) — A. MEUNIER, *La charité fraternelle*, p. 286-98.

ID. XXVIII (1937), fasc. 6 (Maii) — F. LITT, *L'aspect moral de la vie commune dans le mariage*, p. 345-55.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO IV (1937), fasc. 2 (Febr.) — Dott. GUALTIERO PROCACCIA, *Il Razzismo Tedesco e il matrimonio*, p. 49-62.

ID. IV (1937), fasc. 3 (Mart.) — Avv. GIAMBATTISTA MIGLIORI, *Le norme processuali dei giudizi ecclesiastici matrimoniali*, p. 109-16. — MARIO BERRI, *Sulla dispensa pontificia « super rato et non consummato »*, p. 117-22.

ID. IV (1937), fasc. 4 (April.) — G. PAGANO, *La dispensa pontificia e le donazioni*, p. 153-7. — Prof. CORRADO BERNARDINI, *Appunti di diritto processuale canonico* (Parte seconda), p. 158-62.

RIVISTA MEDICA PER IL CLERO VIII (1937), fasc. 4 (30 April.) — Prof. GIORGI, *A proposito di medicina cattolica*, p. 79-83.

THEOLOGISCH - PRAKTISCHE QUARTALSCHRIFT XC (1937), fasc. 2 — Prof. Dr. PETER SCHMITZ, *S. V. D., Die seelsorgliche Situation der Familie in der Gegenwart*, p. 210-33. — Dr. JOSEF

GROSAM, *Selbstmord und kirchliches Begräbnis*, p. 233-53. — JOSEF SCHATTAUER, *Psychotherapie und Seelsorge*, p. 285-90. — Dr. OSKAR RENZ, *Die soziale Gerechtigkeit*, p. 290-3. — P. GERARD OESTERLE, *Error communis und Eheassistenz*, p. 311-3. — Domkapitular KARL KRONLACHNER, *Auch Apostaten gelten als acatholici im Sinne der Entscheidung des S. Officium vom 18. Jänner 1928*, p. 321.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN XXXVII (1937), fasc. 3 (Mart.) — Dr. L. BENDER, O. P., *Doopsel en geldigheid van het huwelijk*, p. 116-9. — Dr. R. H. A. HUIJSMANS, *De huwelijksinzegening in de Nederlandsch Hervormde Kerk*, p. 124-5.

ID., XXXVII (1937), fasc. 4 (April.) — Dr. A. W. HOEGEN, *De Symboliek van het Huwelijk*, p. 135-42.

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Revisio librorum liturgicorum byzantino-slavicorum

Sanctam Sedem multo ante praevidere indigentias religiosas populorum, fere proverbium est. Tali profecto providentia paterna fulget *Motu Proprio* Pii Pp. xi de revisione et editione librorum liturgicorum ritus byzantino-slavici seu recensionis russicae, in quo legimus: «Ii igitur filii Nostri, qui longe adhuc, proh dolor, e paterna domo aberrant, animadvertant iterum atque perpendant integram iisdem, si ad Nos redeant, facultatem fore sui cuiusque ritus splendorem incolumem prorsus asservandi, qui profecto ob aviti sermonis caerimoniarumque vetustatem felicissima ea tempora in mentem redigit, cum una fide, uno ovili unoque Pastore universus laetabatur christianus orbis. Ac tantopere Nobis cordi est, ut ritus slavicus-byzantinus servetur sospes, ut etiam — cum in comperto habeamus eos e filiis Nostris, qui hoc ritu utuntur, liturgicis indigere libris – Nobis decretum sit hoc genus libros, nulla interposita mora, esse in lucem edendos. Id igitur efficiendum concredimus Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali, quae in rei huiusmodi praeparatione

curationeque illos accipiat consilii laborisque socios, qui praecipua, in re tanti momenti, doctrina polleant, studiosaque praestent voluntate.

Quae porro decernentibus Nobis in animo est, ut iterum indidem non modo filiis Nostris, qui ad ovilis unitatem rediere, sed etiam qui seiuncti a Nobis sunt, actuosa eniteat Catholicae Ecclesiae benevolentia, paternaque pateat sollicitudo Nostra » (*AAS* XXVII (1935) p. 65-67).

Sat clare hic innuitur, agi primario de editione quadam practica seu liturgica, quae paucis annis absolvi possit, non vero de revisione critica, quae post decennia demum accuratae praeparationis fieri valeat. Sacra autem Congregatio pro Ecclesia Orientali, vestigia Congregationum Particularium seu Commissionum Pontificiarum ad correctionem librorum liturgicorum Ecclesiae Orientalis saeculis XVII, XVIII et XIX institutarum prudenter secuta, expresse enuntiat: hic praeprimis de editione practica seu liturgica agi.

Facile proinde intelligitur laborem versari circa libros iam prelo impressos, studium vero manuscriptorum et eorum criticam recensionem, necnon investigationes philologicas solum pro certis quibusdam quaestionibus requiri.

Praesenti articulo haec intenta revisio et emendatio librorum aliquomodo adumbratur, ut, consiliis cum peritis initis, facilius loco litteraturae afferantur documenta, loco fontium bonorum meliores adhuc copiosioresque substituantur.

Brevis haec elucubratio in tria capita dividi potest:

I — *Congregationes Particulares et Commissiones Pontificiae ad correctionem librorum liturgicorum Ecclesiae Orientalis.*

II — *Recensio russica librorum liturgicorum.*

III — *Commissiones et tentamina Ecclesiae russicae pro revisione librorum liturgicorum annis 1906-1935.*

I

CONGREGATIONES PARTICULARES ET COMMISSIONES PONTIFICIAE SUPER CORRECTIONE LIBRORUM ECCLESIAE ORIENTALIS

Adumbratio huius thematis in tribus partibus praeberi potest: A — Brevis conspectus historicus harum Congregationum et Commissionum Pontificiarum. B — De iis, in quibus Congregationes et Commissiones inter se conveniunt. C — De iis, in quibus ab invicem differunt.

A — *Brevis conspectus historicus harum Congregationum et Commissionum Pontificiarum*

FONTES ET DOCUMENTA praecipue inveniuntur in archivis Romanis et quidem:

De Congreg. Partic. sub URBANO VIII et INNOCENTIO X: *Archiv. de Propag. Fide,* Acta vol. 12-16 (1636-1645); *Archiv. Vaticanum,* Fondo Borgiano lat. 46, fol. 1-547.

De laboribus Congreg. Partic. annis 1717-1744: *Archiv. Propag. Fide,* Congregationes et animadversiones in libros ecclesiasticos Ecclesiae Orientalis (1724 1734) seu vol. 1; Congreg. super correctionem librorum liturgicorum Ecclesiae Orientalis: *Acta* (1730-1734) seu vol. III; *Rescripta* (1730-1734) seu vol. II, quae fere eadem documenta continent ac Acta. De periodo 1734-44: *Acta* (1734-44) seu vol. IV; *Rescripta* (1734-44) seu vol. V; praeterea Animadversiones in libros ecclesiasticos Ecclesiae Orientalis (1734-44) seu vol. VI; quae ultima volumina fere easdem res continent.

De correctione librorum annis 1744-1750: *Archiv. Propag. Fide,* Congregationes Particulares super correctione librorum Ecclesiae Orientalis, *Rescripta* (1744-1750) seu vol. VII; hoc volumen omnino eadem continet ac volumen VIII, attamen neque unum neque alterum ut originale considerari potest, sunt enim merae copiae. Bulla BENEDICTI XIV: «*Et quam primum*», in *Bullario Romano* tom. III/2 p. 299-329 vel in DE MARTINIS, *Iuris Pont. de Propag. Fide* vol. III/1 p. 628-658.

De annis subsequentibus: *Rescripta* eiusdem Congregationis (1752-1764) seu vol. IX; porro Congregationes et animadversiones in libros eccl. Ecclesiae Orientalis (1766-1819) seu vol. X; quae volumina fere exclusive de libris liturgicis aliarum recensionum, i. e. Coptorum, Syrorum, Italo-graecorum et Ruthenorum agunt.

De Commissione Cardinalitia ab anno 1873 vide: *Archiv. S. Congregationis Orientalis,* Ponenze, Commissione Particolare di alcuni

Em.mi e Rev.mi Signori Cardinali per la ristampa dei libri della Chiesa Orientale. *Collectanea S. Congreg. de Propag. Fide* vol. 1 (1907) p. 668-672.

LITTERATURA:

a - ŠMURLO, *Rossia i Italia,* Leningrad, vol. IV (1927); idem in *Roma ed Oriente* 1910, p. 100-110. SCHMIDLIN, *Die Propaganda Fide,* in *Zeitschrift für Missionswissenschaft* 12 (1922) p. 1-64.

Hac occasione laeto animo maximas ago gratias Rev.mo D. CYRILLO KOROLEWSKY, S. Congreg. Orientalis Consultori et Commissionis de iure can. Orientali redigendo membro, necnon Relatori Commissionis de revisione librorum byzant.-slavicorum pro auxilio et consiliis praestitis; item Rev.mis DD. Archivistis SS. CC. de Prop. Fide et Ecclesiae Orientalis Mgr. Ios. MONTICONE et PAULO COSTA.

b - FR. HEINER, *Benedicti* XIV *opera inedita,* Herder 1914, p. 28-32: « De libris sacris nationum orientalium eorumque correctione ».

c - ALB. BATTANDIER, *Le Cardinal Jean-Bapt. Pitra,* Paris 1893, p. 814-815; FERD. CABROL, *Histoire du Card. Pitra,* Paris 1893, p. 338 ss.

Sacra Congregatione de Propaganda Fide anno 1622 fundata, adhuc sub papa URBANO VIII mense martio 1636 Congregatio Particularis de emendatione Euchologii Graecorum erigitur. Quae Congregatio in 82 sessionibus Euchologium Graecorum per partes examinavit et laborem fere ad finem perduxit; sed mortuo URBANO VIII, quaestionibus de forma ordinationum valde disputatis et non sufficienter solutis, INNOCENTIUS X editionem Euchologii correcti suspendit.

A Pontifice CLEMENTE XI eadem Congregatio anno 1717 restauratur sub titulo: Congregatio Particularis super correctione librorum liturgicorum Ecclesiae Orientalis. Eius activitas ab anno 1717-1744 versatur imprimis in correctione librorum liturgicorum graecorum: Triodion, Pentecostarion, Paracleticon et in correctione 12 voluminum Minearum. De laboribus huius Congregationis a fundatione usque ad annum 1744 secretarius ANTONELLI breviter agit (1).

(1) *Archiv. Propag. Fide,* Congregationes super correctione libr..... vol. III (1734-44) fol. 4-7.

Benedictus xiv, scientiis orientalibus excultus et Orientis amator, Congregationem de correctione librorum ampliavit et labores de Euchologio Graecorum de novo incipi et ad finem perduci iussit. Cursu 6 annorum (1744-50), 18 congregationibus vel sessionibus habitis, Euchologium Graecorum corrigitur et prelo editur.

Numero librorum liturgicorum exhausto, cum non pauci errores in libros dissidentium irrepsissent, Pius Pp. ix Commissionem Pontificiam (Cardinalitiam) pro correctione Librorum Graecorum, iam praevisam in Const. Apostolica (1862): « *Romani Pontifices* » destinavit. Cardinale Pitra Praesidente et Ponente (1872-1886) correctio et editio magno cum successu processit; eduntur libri iam antea correcti: Euchologium, Apostolos, Evangelium, Psalterium; emendantur edunturque: Horologium, Menologium, Triodion, Pentecostarion et Paracleticon; incepta est impressio 12 voluminum Minearum (ultimum volumen in lucem prodiit anno 1904); Typicon vero emendatum et editum non fuit. De hac Commissione adhuc mentio fit in libro annuario 1908: *La Gerarchia Cattolica e la Famiglia Pontificia,* sub titulo: Commissione per la Revisione e Correzione dei libri della Chiesa Orientale, tratta dai Componenti la S. Congregazione per gli Affari del Rito Orientale.

B – De iis, in quibus Congregationes et Commissiones inter se conveniunt

Congregationes, de quibus nunc diximus, creatae quidem fuerunt pro correctione librorum liturgicorum totius Ecclesiae Orientalis. Hic tamen consideramus earum operam tantum, in quantum recensionem graecam attingunt, quin caeterum negemus, certis in quaestionibus necessarium fore, ut etiam documenta de aliis recensionibus inspiciantur, praesertim vero Ruthenorum, de quibus plura in archivis S. Congregationum asservantur.

Congregationes Commissionesque nominatae, quando examini serio subiciuntur, his in punctis convenire videntur:

1 - Prae aliis Congregationibus et Commissionibus certa quadam auctoritate independentiaque gaudent; proprium habent Praefectum et Secretarium, de earum activitate exstant: Acta, Rescripta, Audientiae (2).

2 - Rationes, cur S. Sedes tales Congregationes creaverit, sunt fere semper eaedem: in libros dissidentium errores dogmaticos irrepsisse; editiones catholicas vel nondum exstitisse vel iam absolutas fuisse; fervorem de reditu Orientalium augendum (3).

3 - Ab illis Commissionibus Congregationibusque non requirebatur emendatio critica, multo minus philologica librorum liturgicorum, sed potius practica et liturgica, ut fideles editiones ab erroribus contra fidem catholicam expurgatas haberent; quod ex primis sessionibus harum Congregationum clare apparet.

4 - In hoc opere emendationis fere semper adhibentur ultimae editiones dissidentium; annis 1636-45 Euchologium Maximi Margunii, Venetiis 1596 typis mandatum; annis 1744-1750 Euchologium, Venetiis 1727 editum; Commissio Cardinalitia 1873-1910 praeprimis libris liturgicis Venetiis nuper editis utebatur (4).

5 - Congregationes sub Urbano viii, sub Benedicto xiv et sub Pio ix et Leone xiii admittunt et practice sequuntur principium: in re rituali nihil esse innovandum. Quod etiam de prima Congregatione sub Urbano viii habita, affirmari potest, quamvis aliqui correctores, non satis theologia historica exculti, ortis difficultatibus apparenter insolubilibus, ad ritum latinum provocant.

(2) *Collectanea S. Congreg. Propag. Fide*, vol. I (1907) p. 668-672.

(3) *Archiv. Propag. Fide*, Congreg. Partic. super corr. vol. VII (1744-50) fol. 7; Bulla Benedicti xiv: « *Et quam primum* » § 2; *Archiv. S. Congreg. Orientalis*, Ponenze ex annis 1873-1886.

(4) *Archiv. Prop. Fide, Acta* vol. xii (1636-37) fol. 72; *Rescripta* vol. vii (1744-50) fol. 14; *Archiv. S. Congregationis Orientalis*, documenta anni 1873.

V. g. proponitur Congregationi (1637) dubium: num post consecrationem Corporis et Sanguinis adjungendum sit « amen »; Congregatio respondet: adjungendum, quia ita in manuscriptis graecis Vatic. Nr 1811, 1863; num in consecratione introducenda sit vox « enim », respondetur: negative; num inserendus sit textus: « Simili modo postquam coenatum est », respondetur: inserendus, quia invenitur in manuscriptis Vaticanis Nr. 1554, 1811, 1863; num addendus sit textus: « Hoc facite in meam commemorationem », respondetur: non addendus (5).

Aliud exemplum: proponitur Congregationi dubium, num toleranda sit infusio aquae ferventis in calicem post consecrationem et simul cum verbis a diacono proferendis: « Fervor fidei plenus Spiritus Sancti »; num saltem addenda sit rubrica: exigua quantitate infundendam esse aquam. Respondetur: « Censuit Congregatio, neque omittendum neque tollendum esse ritum Graecorum infundendi aquam ferventem in vinum consecratum, eos autem posse moneri, ut modicum seu parvum praefatae aquae infundant » (6).

6 - Commissiones et Congregationes multos textus, qui veritatem catholicam minus clare exhibebant et emendatione digni ab iis sunt putati, nihilominus non correxerunt, ea ratione permotae, ut libri correcti parvum differrent a libris dissidentium. Exempli gratia in quaestione de ordinatione proponitur dubium (sessio XXXI, anni 1639), num ritus Graecorum in hac re sufficiant necne; aliqui correctores annuerunt, alii negaverunt. — De judicio Cardinalis BARBERINI notat secretarius: « Eminentissimus Cardinalis BARBERINI dixit, considerandum esse, an Euchologium sit emendandum pro Italo-graecis tantum, an

(5) *Archiv. Propag. Fide, Acta* vol. XII (1936-37) fol. 269, 280; *Archiv. Vatic.* Borgiano latino 46, fol. 72; *Archiv. Prop. Fide,* Congr. Part. super corr.... vol. VII (1744-50) fol. 46-57; 107-122.

(6) *Archiv. Prop. Fide,* Congr. Part. super corr.... *Acta* vol. XII (1636-37) fol. 381-384; *Archiv. Vat.* Borgiano 46, fol. 97; *Archiv. Prop. Fide,* Congr. Part. super corr.... vol. VII (1744-50) fol. 127-131.

vero etiam pro Orientalibus; si pro primis, posse Euchologium corrigi, ut placebit Congregationi, pro secundis vero, ut emendatum recipiendum alliciantur, quantum fieri possit, Euchologium minus esse corrigendum. Eminentissimo Cardinali tutius videbatur ut pro utrisque Graecis emendaretur et solum exegesis et errores corrigerentur » (7).

7 - Desunt indicia, ex quibus colligi possit, Congregationes et Commissiones intendisse parare editionem typicam ad instar librorum liturgicorum ritus latini.

8 - Eminentissimi Patres Commissionum et Congregationum, rationibus supra allatis permoti, certa quadam haesitatione agebant de titulo librorum correctorum: num enuntiandus sit locus et annus editionis, num indicandum sit: libros esse correctos et iussu et auctoritate Romani Pontificis typis mandatos (8).

C — *De iis, in quibus supra dictae Congregationes et Commissiones ab invicem differunt*

Differentiae attingunt: 1 - ambitum Congregationum et Commissionum; 2 - gradum praeparationis scientificae membrorum; 3 - methodum laboris.

1 - Congregatio prima sub Urbano viii constabat ex 3-4 Emis Cardinalibus et 5-6 aliis membris, nempe ex praelatis et sacerdotibus cleri saecularis et regularis, omnes tamen cum voce deliberativa. In Congregatione sub Benedicto xiv numerus Cardinalium et membrorum multo augetur, omnes tamen cum voce deliberativa. Commissio vero seu Congregatio sub Pio ix et Leone xiii potius fuit

(7) *Archiv. Propag. Fide, Acta* vol. xiii (1638-39) fol. 321-326; Bulla Benedicti xiv « *Et quam primum* » § 75; *Archiv. S. Congreg. Orientalis*, documenta Comm. Cardinalitiae ex anno 1876.

(8) *Archiv. Propag. Fide, Acta* vol. xvi (1644-45) fol. 138; *Archiv. Vatic.* Borgiano latino 46, fol. 484-487; *Archiv. S. Congreg. Orientalis*, documenta Commissionis Cardin. ex anno 1873.

Commissio Cardinalitia, cum qua collaboraverunt consultores S. Congreg. Particularis pro Negotiis ritus Orientalis (9).

2 - Congregatio prima aggreditur opus suum bene instructa theologia speculativa, minus vero theologia historica; inde ortis difficultatibus, quae videbantur insolubiles, quaedam membra ad ritum latinum provocant; quod praesertim in quaestione de forma ordinationum minorum et maiorum valet. Membra Congregationis sub Benedicto xiv in rebus orientalibus et in theologia bene versata fuerunt et eximia opera de rebus orientalibus et liturgicis prae manibus habuerunt, ut opera Goarii, Assemani, Allatii; haec Congregatio correctionem Euchologii ex integro aggressa est, sed arcte in laboribus iam factis a Congregatione sub Urbano viii nitebatur. Commissio Cardinalitia (1873-1910) praeter theologiam historicam etiam scientia de indole poetica et lyrica librorum liturgicorum gaudet; hinc observatur quaedam humanitas et moderatio erga Orientales in illis textibus, quae quidem nihil contra dogma continent, sed tamen ratione indolis poeticae et lyricae non satis praecise fidem catholicam exprimunt (10).

3 - Alia et alia fuit methodus laboris. Sub Urbano viii conveniebant bis in mense, solvebant unaquaque vice 4-6 dubia; ita cursu annorum 1636-45 habitae sunt 82 (84) sessiones; e contra membra eiusdem Congregationis sub Benedicto xiv rarius conveniebant; interdum in una sessione 16-25 quaestiones proponebant solvebantque; tota correctio Euchologii Graecorum 18 sessionibus absolvitur. Commissio Cardinalium saeculo xix adhuc rarius ad hunc finem convocata est; libri corrigendi alicui Consultori, versato in

---

(9) *Archiv. Propag. Fide, Acta* vol. xii (1636-37) fol. 43, 71; Congreg. Partic. vol. vii (1744-50) fol. 3; *Archiv. S. Congreg. Orientalis*, documenta ex anno 1873.

(10) *Archiv. Propag. Fide, Acta* vol. xiii (1638-39) fol. 321-326; Bulla Benedicti xiv: «*Et quam primum*» § 75; Archiv. S. Congreg. Orientalis, documenta Commiss. Cardin. ex anno 1876.

lingua graeca et in ritu orientali, traduntur; labore expleto eius votum et iudicium aliorum a Commissione Cardinalitia discutitur, decernitur et Summo Pontifici ad approbationem proponitur (11).

II

RECENSIO RUSSICA LIBRORUM LITURGICORUM

Cardinalis Pitra, praesul et ponens Commissionis pro correctione librorum liturgicorum (1873-1886), ut emendatis libris graecis etiam libri recensionis russicae corrigerentur et ederentur, strenue intendebat, Proh dolor! praematura morte Cardinalis hoc opus eximium apostolatus erga Orientem slavicum exsecutioni mandatum non est. Congregationes Romanae saeculis elapsis textus byzantino-slavicos ex professo non correxerunt, potius editiones, a commissionibus vel synodis provincialibus emendatas (Zamoscii, Leopoli) examinaverunt et approbaverunt. Eo magis necesse esse videtur, ut de recensione russica fusius agatur. Sub hoc termino intelliguntur illi libri liturgici byzantini, quorum versio ex lingua graeca in linguam slavicam ab Apostolis Slavorum SS. Cyrillo et Methodio inchoata est; quorum numerus et ambitus textuum cursu saeculorum multum aucti sunt; praeterea textus variis ex causis saepius alterati et iterum correcti fuerunt.

In recensione russica sequentes libri liturgici enumerantur: Evangelie, Apostol, Psaltyr, Pareminik (lectiones S. Scripturae V. T., praesertim Prophetarum), Služebnik (missale), Činovnik (Caeremoniale episcoporum), Trebnik (Rituale, parvum et magnum), Typicon seu Ustav (Ordo Officiorum), Octoikh (Officium divinum ordinarium 8 tonorum), Triod postnaja (Officium divinum tempore Quadragesimae), Triod tsvetnaja (Officium divinum tempore

(11) *Archiv. Propag. Fide, Acta* vol. XVI (1644-45) fol. 138; *Archiv. Vat.* Borgiano 46 fol. 484-487; *Archiv. S. Congreg. Orientalis*, documenta Comm. Cardin. ex anno 1873.

Paschali), Minea obščaja (Commune Sanctorum), Minea Prazdničnaja (Officium festorum), 12 volumina Mineae (Proprium Sanctorum pro singulis mensibus anni), Časoslov (Horae canonicae), Irmologion, Akaphisty et Canones, Molitvoslov (Collectio orationum), Pomianik (adhibetur in cultu sanctorum et in officiis pro defunctis), Molebny (Functiones liturgicae variis occasionibus faciendae), Posledovanie pro I hebdomada Quadragesimae, pro Hebdomada sancta, pro diebus Paschalibus... Omittimus hic eos libros, qui medium inter editionem liturgicam et scholarem tenent, ut vg. Učebny octoikh, Psaltyr.

Hi libri recensiti non eiusdem valoris liturgici sunt neque aequo modo emendatione seu correctione indigent.

In Russia (Mosquae, 1564) Apostol, ut primus liber liturgicus prelo impressus est. De subsequentibus editionibus liturgicis habentur iam bonae bibliographiae generales et speciales, et quidem:

In genere: V. S. Sopikov, *Opyt rossiskoj bibliografii*, St. Petersburg, 1904, vol. I, p. XLIV-LVI.

Descriptio librorum: I. Karatajev, *Opisanie slavjano-russkikh knig 1491-1730*, St. Petersburg 1878.

A. I. Milovidov, *Staropečatnyja slavjano-russkija izdanija, vyšedšija iz zapadno-russkikh tipografij* XVI-XVIII *vv.* in *Čtenija Ist.i Drevn.*, Mosquae 1908, vol. I, sectio II/2, p. 1-27.

Aleksy Radossky, *Opisanie staropečatanykh i tserkovno-slovjanskikh knig, khranyavšikhsja v Biblioteke St. Peterb. Dukhovnoj Akademii*, in *Khristianskoje Čtenie;* series articulorum ab anno 1884.

V. M. Undolsky, *Očerk slavjano-russkoj Bibliografii 1491-1864*, Mosquae 1871.

I. Svencickij, *Katalog knig tserkovno-slovjanskoj pečati*, Zovkva 1908.

De s. Scriptura: Ios. Schweigl., *La Bibbia Slava del 1751 (56)* in «*Biblica*» XVIII (1937) p. 51-73.

Investigationem nostram de recensione russica per tres partes instituamus: A - Notae historicae de emendatione librorum liturgicorum byzant.-slavorum saeculis elapsis; B - Libri liturgici byzant.-slavici comparati cum libris litur-

gicis Graecorum; C - Recensio russica relate ad alias recensiones byzantinas.

A - *Notae historicae de emendatione librorum liturgicorum byzant.-slavicorum*

FONTES ET DOCUMENTA:

a - De corruptione et de primis conatibus emendationis librorum ad saeculum XVII vide: E. GOLUBINSKY, *Istoria russkoi Tserkvi* tom. II: Ot našestvija Mongolov do Mitropolita Makaria vkl. pars II, fasc. 1.

V. S. IKONNIKOV, *Maxim Grek i jego vremja*, Kiev 1913.

P. SYRKU, *Kistorii izpravlenija knig v Bolgarii v XIV veke*, praesertim vol. I, fasc. 2: Liturgičeskie trudy Patr. EUPHIMJA TERNOVSKAGO, St. Petersburg, 1890, XCVII-231.

b - De revisione et editione librorum saeculo XVII sub Patr. NICONE: N. KAPTEREV, *Patriarkh Nikon i jego protivniki v dele izpravlenija tserkovnikh obrjadov*, Mosquae 1887.

P. TH. NIKOLAEVSKY, *Moskowsky pečatny dvor pri Patr. Nikone*, in *Khristjanskoje Čtenie* 1890, I, p. 114-141; II, p. 434-467; 1891, I, p. 147-186; II, p. 151-186.

S. BELOKUROV, *Arsenij Sukhanov*, Mosquae 1891, I vol. IV, 440, CLX.

I. KARABINOV, *Postnaja Triod*, St. Petersburg, 1910.

c - De rubricis et textibus, in quibus editiones Niconianae ab non emendatis differunt:

N. SUBBOTIN, *Materialy dla Istorii raskola*, vol. II: Acta concilii 1666/67 et vol. IV. *Khristjanskoje Čtenie*, 1857, II, p. 99-172; p. 245-326.

d - De mutationibus introductis post reformam Niconianam.

PHILARET, *Istoria Russkoj Tserkvi*, Mosquae 1888, Period. V, p. 186.

Metropolitae Kiovienses reformationes revisionesque liturgicas Magnae Ecclesiae Constantinopolitanae receperunt et in Russiam introduxerunt, retentis tamen consuetudinibus territorialibus genti slavicae propriis (12).

Iam saeculo XI menda et errores in libros liturgicos slavos irrepserunt; de eorum vero correctione a saeculo XI usque ad finem saeculi XIII nil est notum (13). Primus co-

(12) J. HANSSENS, *Institutiones liturgicae de ritibus orientalibus;* Roma, 1930, vol. II pars 1, p. 484 ss.

(13) IKONNIKOV, p. 1-36.

natus talis revisionis in Bulgaria tempore Patr. Euphimii Ternovensis factus est; quam recensionem Euphimianam correctores russici ante patriarcham Niconem certo certius prae manibus habuerunt. Fatendum est tamen, hanc Euphimianam recensionem non in omnibus partibus fide dignam esse, vg. in Paroemiis ex Genesi 2, 2-19, legendis feria v hebdomadis i Quadragesimae, inter flumina Paradisi etiam enumeratur flumen Danubius (14).

Ortis in Russia diversis sectis, praesertim iudaizantibus, auctoritas ecclesiastica necessarium duxit, ut libri cultuales et imprimis sacra Scriptura examinarentur et emendarentur. Correctio librorum cultualium inchoata est sub Maximio Graeco et Metrop. Gennadio, continuata sub primis Patriarchis Mosquensibus usque ad Niconem. Opus tamen potius in emendatione Sacrae Scripturae quam in correctione librorum liturgicorum versari videbatur.

Revisio librorum et reformatio liturgica sub Patr. Nicone in historia russica omnino celebris evasit, non solum ratione insistentiae, qua Patr. Nicon correctionem librorum in conformitate cum libris Graecorum postulabat aut ratione celebris typographiae, qua Aula Patriarchalis gaudebat et quae admirationem etiam occidentalium excitabat, sed praesertim, quia ipsa concilia Mosquensia 1654, 1666/67 et Patriarchae Orientales revisionem librorum Niconis, etiam post eius depositionem, plene et sollemniter approbaverunt.

Caeterum celeberrima quoque facta est haec reformatio propter deplorandum schisma vetero-credentium (Raskolniki, Staro-vieri) et etiam quia fuit ultima huius generis usque ad nostra tempora (15).

Correctio librorum liturgicorum secundum originalia Ecclesiae Constantinopolitanae, ita uti vere formaretur vita

(14) *Khristjanskoie Čtenie*, 1911, i, p. 639.

(15) Vide Kapterev ut supra; cf. Aemil. Herman, *De fontibus juris ecclesiastici Russorum* (Fonti per la Codificazione canonica orientale); Romae, 1936, p. 60-64. J. Ledit art. *Nicon* in *Diction. de théol. cath.*; tom. xi, col. 646-655.

ecclesiastica convenienter cum Ecclesia Constantinopolitana, apparuit necessaria condicio ad approbationem patriarchatus Mosquensis ex parte Ecclesiae Constantinopolitanae. Principium ergo in concilio 1654 enuntiatum et in conciliis 1666/67 saepius repetitum, nempe libros liturgicos corrigendos esse adhibitis textibus graecis et antiquis textibus slavicis, statim exsecutioni mandatur. Starec Arsenius Sukhanov manuscripta et libros impressos, quae praesertim in Graecia collegit et procuravit, Mosquam attulit. Principalis adiutor Patr. Niconis in hoc opere et corrector librorum liturgicorum fuit Epiphanius Slavineckij, vir ingeniosus et maxime excultus (16). Decursu paucorum annorum (1655-1682) omnes libri liturgici editi sunt (17). Ab Epiphanio Slavineckij vel sub eius immediata directione emendati sunt: Triod postnaja et tsvetnaja, Minea obščaja, posled. Psaltyr, Kanonik, Irmologion, naprestolnoje Evangelie; eidem Epiphanio attribuuntur praefationes vel tractatus in appendice ad Služebnik (1655), ad Šestodnev (Officia ferialia) ad Škrižal (1656) (18). Caeterum notandum est, correctores non immediate textus ab originali graeco in slavicum traduxisse, sed saepius editiones dictione metropolitana Kiovensi correctas et editas adhibuisse, ita ut industria et labor correctionis Mosquensis interdum ad certum quoddam minimum reduceretur; quod certo de libro Postnaja Triod constat (19).

Differentiae inter libros non correctos et libros a Nicone emendatos atque editos facile colligi possunt ex accusationibus, quas Raskolniki statim post correctionem contra libros illos protulerunt et ex studio comparativo in Khristianskoje Čtenie supra memorato.

---

(16) K. V. Kharlampovic, *Malorossijskoje vljanie na velikorusskuju tserkovnuju zizn.* Kazan 1914, vol. I, p. 375.

(17) Sopikov, *Opyt russkoj bibliografii*, vol. I, *p.* LIV.

(18) *Slovar istoricesky o pisateljakh dukhovnago cina*, S. Petersburg, 1827, I, p. 172-183.

(19) J. Karabinov, p. 233 ss.

Reformationes liturgicae, correctiones librorum liturgicorum sive textuum sive linguae, introductae in recensionem russicam post emendationes Niconianas exiguae dicendae sunt sine dubio ex sequentibus rationibus: quia revisio Niconiana existimatur « diligenter et critice » facta (20); quia canonibus Regulae Petri Magni innovationes proscribuntur et difficiliores redduntur (21); praesertim vero quia hierarchia russica semper sollicita fuit, ne simile schisma oriretur, e contra ut Staro-vieri cum ecclesia orthodoxa reconciliarentur.

Parvae vero innovationes vel correctiones respiciunt: coronationem Imperatoris, nominationem et ordinationem episcoporum (1725), receptionem Vetero-credentium (1720) et catholicorum (1757) in sinum ecclesiae orthodoxae, festum « Orthodoxiae » (1761), caerimonias lotionis pedum (1765), praeparationem olei sancti seu myron (1767), correctionem S. Scripturae (1751/56), emendationem pericoparum biblicarum in libris ritualibus secundum correctam editionem S. Scripturae (1769), funeralia, quae sint eadem pro sacerdotibus et episcopis (1767) (22).

Saeculo XIX multa nova officia in honorem « Imaginum miraculosarum » vel *acaphistia*, canones in honorem Sanctorum nationis russicae componuntur et a S. Synodo approbata introducuntur; haec tamen nova officia reformationes vel innovationes liturgicae censenda non sunt, sed potius formae cultuales iam usitatae ad nova objecta extenduntur.

Monarchia abolita, S. Synodus decrevit, ut ex libris liturgicis commemorationes Aulae Imperialis delerentur, quibus aliae commemorationes potestatis saecularis substituerentur (23).

---

(20) Philaret, p. 186.

(21) *Regulamentum seu Statutum Spiritualis Collegii*, pars II: Munia communia 1-10, apud Tondini, *Réglement ecclés. de Pierre le Grand*, Paris 1874, p. 34-46.

(22) Karabinov, p. 234-243; Philaret ut supra p. 186; Jos. Schweigl, *La Bibbia Slava del 1751* (*56*) in « *Biblica* » XVIII (1937) 51-73.

(23) *Tserkovnyja Vedomosti*, 1917, Nr 22-23; ibidem etiam specimina textuum.

B - *Libri liturgici byzant.-slavici comparati cum libris liturgicis Graecorum*

Libri liturgici recensionis russicae congruenter cum libris graecis correcti fuerunt; immo etiam liturgistae russi moderni saepissime ad editiones graecas Venetiis vel Romae impressas provocant. Nihilominus non paucae sunt rationes, quibus inter se discrepant. Iam Patr. Constant. Paisius ad Patr. Niconem scripsit: necesse non esse, ut libri slavici cum libris graecis ad litteram concordent, sed proprietates nationales bene conservari posse, dummodo unitas in fide integra servetur (24).

Rationes, quibus libri liturgici byzant.-slavici (recensionis russicae) a libris recensionis graecae differant, spectant: 1 - structuram cultus divini, 2 - ipsos textus et rubricas liturgicas, 3 - versionem slavicam, 4 - quasdam alterationes in textibus graecis apposite admissas.

1 - Structura cultus divini

Quod ad structuram cultus divini pertinet, afferri possunt multae rationes, quibus ecclesia russica a graeca differat; quae discrepantiae attingunt imprimis ministros cultus, quorum munera, gradus et opera sunt alia in uno alia vero in altero ritu. Ipsae vestes sacrae liturgicae vel extraliturgicae Russorum distinguuntur a vestimentis Graecorum. Multae habentur differentiae in officiis divinis diei et hebdomadis (Vsenoščnoje Bdenie), etiam plures recensentur decursu anni liturgici (festa 1 octobris, 9 maii, commemoratio defunctorum, caerimoniae Hebdomadis Sanctae et Paschalis, festum exaltationis et adorationis crucis, benedictiones et alia). Plura de hac re collige ex ipsis libris liturgicis graecis et slavicis (25).

---

(24) *Litterae Patr. Paisii ad Patr. Niconem*, in *Skrizal* (Mosquae 1656) p. 639-753.

(25) Cf. *Khristianskoje Čtenie*, 1871, II, p. 530-580.

2 - De textibus et rubricis liturgicis

Sub hoc respectu libri, textus, rubricae possunt dividi in eas, quae *a* - exclusive ecclesiae graecae sunt propriae, quae *b* - solum in recensione russica inveniuntur et quae *c* - utrique quidem ecclesiae communes sunt, tamen in certis punctis differunt.

a - Unice in ecclesia graeca habentur ordinationes: ecclesiarchae, oeconomi episcopalis, destinationis patris spiritualis (seu confessarii), consecrationis altaris violati vel concussi, oratio et unctio in benedictione Iconum, oratio absolutionis pro defunctis in liturgia.

b - Libri, functiones, rubricae, orationes, quae inveniuntur solum in recensione russica, non vero in graeca: minea obščaja, Psaltyr s posledovaniem, liber cantus *Molebnorum,* ordo consecrationis ecclesiae sacerdoti faciendae, rubricae de diebus, quibus consecratio ecclesiae fieri potest, professio fidei a Saracenis emittenda, administratio sacramentorum baptismatis et communionis infirmorum in Brevi, orationes die Nativitatis Christi vel initio Quadragesimae dicendae, instructiones in fine Missalis; nova officia post reformationem Niconianam in ecclesia introducta.

c - Libri, textus, rubricae, quae utrique ecclesiae sunt communes, tamen in certis punctis differunt: in ecclesia russica fere exclusive adhibetur Ustav seu Typicon, qui dicitur Hierosolymitanus, in ecclesia vero graeca alii quoque in usu sunt; Octoikh recensionis russicae continet ea, quae inveniuntur in Octoikh et Paracleticon Graecorum simul sumptis; textus liturgici librorum slavicorum i. e. Služebnik, Trebnik, partes Cinovnik uno solo libro Graecorum, qui *Euchologium* inscribitur, continentur; plurimi sunt textus minores liturgici vel rubricae, quae conspiciuntur tantum in una ecclesia vel aliter in una aliter in altera v. g. in libro Služebnik: rubricae de usu panis, olei, tritici benedicti; de divisione Agni consecrati; in libro Trebnik: rubricae de nomine dando in baptismate, de ordine intro-

ductionis in ecclesiam, rubricae de Patrinis, de immissione digiti in benedictione aquae, rubricae de sacramento paenitentiae, de ordine, quo orationes inter se sequuntur, de duobus formulis absolutionis, de osculis praestandis in ordinatione sacerdotali, de nominatione et ordinatione episcopi, de traditione baculi pastoralis, de instauratione Higumeni, de traditione mitrae et crucis pectoralis archimandritis, de instructione sponsorum in caerimoniali matrimonii, de certis rubricis in extrema unctione observandis.

Alii textus minores et ritus, qui in ecclesia graeca non observantur, respiciunt: parvam et magnam benedictionem aquae, fundationem ecclesiae, professionem religiosam (parvum *skhima*) emittendam, caerimonias « lotionis pedum », lectionem orationum die Pentecostis, commendationem animae, magnam *ecteniam* et orationem « cum animis justorum » in officiis defunctorum, praeterea omnes illos textus, qui post correctionem Niconianam in ecclesia russa recepti sunt.

3 - De versione slavica

Accuratiore studio adhibito deteguntur variantes inter textum graecum et slavicum ratione versionis imperfectae vel quia libri cum sacra Scriptura anno 1751 emendata non concordant v. g. paroemiae ex libro Job cap. 42, legendae in Vesperis feriae VI in Parasceve (26).

Tales discrepantiae revera praesertim in libris, qui rarius adhibentur, locum habent; attamen etiam in aliis, qui quotidiani usus sunt, ut Služebnik, Trebnik etc., sat multi textus variantes observari possunt. Interdum versio slavica textum graecum tam indiligenter tradit, ut dogmatice dubius evadat. Vide secundam formulam professionis fidei in ordinatione episcopali (apud dissidentes) emittendae (27).

---

(26) *Triod postnaja*, feria VI in Parasceve, secunda lectio paroemiae in Vesperis dicenda; *Biblia* (1872) lib. Job, cap. 42, 12-17.

(27) GOAR, *Euchologium* (Venetiis, 1730) p. 253; *Sluzebnik Svjatitelskij* (Leopoli, 1886) p. 121 ss.; Ordo nominationis et consecrationis episcopi (St. Petersburg, 1867).

4 - De quibusdam alterationibus in textibus graecis apposite admissis

Recensio slavica prae graeca eo excellit, quod in libris slavicis, praesertim in editionibus antiquioribus, conservabantur fere integre textus, qui primatum S. Petri et Romanorum Pontificum eorumque infallibilitatem enuntiant. Graeci autem dissidentes tales textus in suis libris partim alteraverunt, partim expunxerunt. Notandum hic venit in libris liturgicis emendatis et Romae editis hos textus nondum esse sufficienter restitutos. Huc spectant quidam textus in officiis festorum S. Petri et Pauli (28), Dedicationis S. Petri ad vincula (29), S. Clementis papae (30), S. Silvestri papae (31), S. Leonis papae (32), S. Martini papae (33). Mentione omnino dignum est factum, quod in « Posledovanie S. Methodii de personis ab excommunicatione ad orthodoxam et veram fidem redeuntibus » clare textus de primatu S. Petri affirmatur, in textu graeco vero expunctus est. In graeco enim legitur oratio absolutionis (altera): « Dominator, Deus noster, qui tuis clavibus sanctis tuis discipulis et sanctis tuis apostolis creditis, sanctaque tua ecclesia super ipsos aedificata, eis tua gratia potestatem ligandi et solvendi super terram contulisti... » (34); in libris vero slavis textum genuinum legimus: « Dominator, Deus noster, qui tuis clavibus Petro, Apostolorum coriphaeo creditis, sanctaque tua ecclesia super eum aedificata, ei gratia tua potestatem ligandi et solvendi super terram contulisti... » (35).

(28) Minea mensis Junii, die 29: stichiri in Vesperis, cantus canonis.
(29) Minea Januarii, die 16: cantus canonis.
(30) Minea Novembris, die 25: stichiri in Vesperis, in Matutinis et cantus canonis.
(31) Minea Januarii, die 2: stichiri in Vesperis et cantus canonis.
(32) Minea Februarii, die 18: cantus canonis.
(33) Minea Aprilis, die 13: cantus canonis.
Cf. etiam Tondini, *The primacy of S. Peter demostrated from the greco-russian Church*, London, 1899; Schlosser, *Die morgenländische orth. Kirche Russlands*, Heidelberg 1845, p. 16-22; Preot. Dr. Joan Stanciu, *Marturiile Cartilor Bisericii Ortodoxe despre Papa*, Crajova 1936.
(34) Euchologium to Mega, Venetiis 1877, p. 593.
(35) Trebnik (magnum), Mosquae 1906, p. 233v; MG 100, 1310.

C - *Recensio russica relata ad alias recensiones byzantinas*

Antequam aliquod iudicium in hac re proferatur, praenotanda videntur sequentia: 1 - Liturgistae russi fere semper ad ritus et textus ecclesiae magnae Constantinopolitanae, editos sive Venetiis sive Romae, provocant. 2 - Editiones catholicae ab editionibus dissidentibus paucis in rebus, i. e. in iis, quae spectant fidem, differunt. 3 - Recensio Bulgarica et Serbica, utpote a russica dependens, cum hac fere convenit. 4 - Relatio, quam habent libri Vetero-credentium (Raskolniki) ad editiones russicas ex supra dictis colligi potest. 5 - Libri recensionis russicae multo magis cum editionibus graecis Venetiis et Romae editis concordant, quam cum libris liturgicis recentioribus Athenis vel Constantinopoli impressis, qui multis in locis alterationes passi sunt.

Quibus suppositis dicendum est, libros liturgicos byzantinos, non singillatim, sed cumulative sumptos et inter se comparatos sub respectu rubricarum et textuum, nulla ratione habita confessionis et linguae, forte hoc ordine ad recensionem russicam accedere: primo editiones Graecorum Venetiis vel Romae impressas, deinde recensionem Kioviensem saeculi XVI-XVII, libros Rumaenorum dissidentium, editiones catholicas Syro-melchitarum, Rumaenorum, Ruthenorum, Italo-graecorum.

Si vero eaedem editiones conferuntur inter se solum sub respectu textuum, nulla ratione habita rubricarum, confessionis, linguae, recensio russica forte non minus concordat cum editionibus catholicis Ruthenorum, Rumaenorum quam cum dissidentibus editionibus Graecorum.

III

COMMISSIONES ET TENTAMINA ECCLESIAE RUSSICAE PRO REVISIONE LIBRORUM LITURGICORUM ANNIS 1906-1935.

Promulgato decreto « Tolerantiae » (1905) simul cum desiderio reformandi supremum regimen ecclesiasticum orta est etiam spes reformandi cultum divinum et consequenter ipsos libros liturgicos revidendi. Commissiones ad hunc finem ab auctoritate ecclesiastica creatae numerari debent sequentes: I - Predsobornoje Prisutstvie (Conventus anteconciliaris) ab anno 1906-12; II - Predsobornoje Sovješčanie (Conferentia seu Commissio anteconciliaris) ab anno 1912-17; III - Concilium Panrussicum Mosquense 1917-18; IV - Documenta Hierarchiarum conservativarum et progressivarum post annum 1922.

I - *De « Predsobornoje Prisutstvie »*

DOCUMENTA:

Žurnaly i Protokoly zasedanij vysočajše učreždennago predsobornago prisutstvija, Petrogradii 1906-07, vol. 1-4.

A. A. PAPKOV, *Ob izpravlenii perevoda bogoslužebnykh knig i o preobrazovanijakh v našikh bogoslužebnykh činoposledovanijakh,* in *Tserkovn. Vedomosti* Nr. 37 (1907) p. 1580-82; Nr. 38 (1907) p. 1634-38.

Sectioni VII *huius* institutionis, cui praefuit SERGIUS, archiepiscopus Finniae, concreditum fuit munus praeparandi reformationem cultus divini. Rationes huius reformationis assignantur: obiectiva necessitas, edictum « Tolerantiae », factum quod multi orthodoxi ad fidem catholicam vel protestanticam transierunt. Ut remedium efficax ad hunc finem proponitur reformatio cultus divini et consequenter revisio librorum liturgicorum (36). Circa 20 epi-

(36) Žurnaly i Protokoly, vol. II p. 301.

scopi sua vota dederunt de emendatione librorum liturgicorum, quae professor A. A. Papkov, membrum huius sectionis breviter ita complectitur: 4 episcopos requisivisse, ut omnes libri ex integro verterentur ex lingua graeca in slavicam, quia multae partes sunt iam antiquatae et nimis multae sunt formae graecae; emendationem tamen non faciendam esse sicut sub Patr. Nicone, ne oriatur novum schisma, sed potius correctionem procurandam esse adhibitis antiquis libris prelo editis; emendationem esse necessariam; haberi textus, qui ne a doctis quidem intelligi possunt, ut v. g. Ikos III in acaphistio B. V. M.; expressiones quasdam intelligibiles non esse, ut v. g. negli nepščevati, tamjenie..., ex quibus aliquae habent iam omnino aliam significationem; fideles magis amare acaphistium quam cultum divinum officialem, quia illud facilius sequi possunt. Typicon ab anno 1682 mutatum non esse et exhibere « indolem dogmaticam »; multos episcopos affirmasse: typicum iam non observari, ne in monasteriis quidem; haberi nova officia, quae non contineantur in typico; hinc multos praesules eparchiarum tulisse votum, ut coarctarentur ecteniae, stichiri, cantus canonum, lectiones psalmorum...; liturgiam una ex parte contrahendam esse, altera ex parte complendam, v. g. omnes orationes etiam sic dictas « secretas » recitandas esse alta voce, ut populus eas audire possit; evangelium legendum esse versus populum; decisionem vero definitivam a solo concilio dari posse; proin penes S. Synodum Commissionem de revisione et emendatione librorum liturgicorum instituendam esse.

De quaestione, num typicum graecum anno 1864 Athenis impressum, tunc temporis iam quinta editione, in ecclesia russica sit adhibendum, agit ipse Sergius archiepiscopus Finniae. Enuntiatur adagium: melius esse contractiones in cultu divino stabilire auctoritate ecclesiastica quam id arbitrio ministrorum cultus relinquere (37).

(37) ibidem.

II - *De « Predsobornoje Sovješčanie »*

DOCUMENTA:

Tserkovnyja Vedomosti, commentarium officiale S. Synodi, Nr. IX (1912) p. 53-54.

E. GOLUBINSKY, *O reformie v bytii russkoj Tserkvi*, Mosquae 1913.

Opera Predsobornoje Prisutstvie post annum 1908 magis et magis minuitur. Anno 1912, 28 martii a S. Synodo instituitur « Predsobornoje Sovješčanie » (anteconciliaris Conferentia seu Commissio), ut labores Predsob. Prisutstvie redintegrentur, revideantur compleanturque. Praeses nominatus est SERGIUS, archiepiscopus Finniae. Pauca de activitate huius Commissionis cognita sunt.

Anno 1913 prelo editae sunt delineationes seu postulata quaedam professoris E. GOLUBINSKY de Ecclesia russica reformanda; proposita specialia de cultu divino his fere verbis indicari possunt: cultum divinum celebrandum esse magna diligentia dignitateque; magis convenire, ut functiones liturgicae auctoritate ecclesiastica approbante contrahantur, quam ut nimia celeritate peragantur; aliquos textus melius ex lingua graeca in slavicam vertendos esse (38).

III - *Concilium panrussicum Mosquense* 1917-1918

DOCUMENTA:

Svjaščennyi Sobor pravoslavnoj russiskoj Tserkvi, Dejanija, Mosquae 1918.

Sobranie opredelenij i postanovlenij Sv. Sobora pravosl. russiskoj Tserkvi, fasc. 1-4, Mosquae 1918.

Sectioni VII huius concilii titulus dabatur: Verbum Dei, cultus divinus, templum. Haec sectio constabat 6 membris, quibus praesidebat EULOGIUS, tunc temporis archiep. Volhyniensis (39). Concilium emanavit quaedam decreta de

(38) E. GOLUBINSKY, *O reformie...* p. 22 ss., p. 98 ss., p. 123-126, cf. PL. DE MEESTER, *La questione della Abbreviazione nel rito bizantino* in « *Roma e Oriente* » XX (1920) p. 104-114.

(39) *Svjascennyj Sobor...: Dejanija*, lib. I, fasc. 1 p. 135.

praedicatione Verbi Dei (40), de cultu sanctorum « pro aliquibus locis » et de festo « Omnium sanctorum Ecclesiae russicae » introducendo (41), de cultu divino in ecclesiis paroecialibus (42) et in monasteriis peragendo (43).

Cum tempora iam incerta essent, revisio librorum liturgicorum fieri non potuit. Concilio panrussico 1918 soluto, demptis in eodem anno typographiis synodalibus, defuit etiam modus et potestas libros edendi.

IV - *Documenta hierarchiarum conservativarum et progressivarum post annum* 1922

FONTES DE HIERARCHIIS CONSERVATIVIS:

a - Hierarchia patriarchalis sub Metrop. SERGIO:

Žurnal Moskovskoj Patriarkhii, Mosquae ab anno 1931.

Tserkovnyj Kalendar pro annis 1922 (Petrogradii), 1927 (Petrogradii), 1928 (Mosquae); eadem kalendaria adaptata pro annis 1933, 1934.

b - Hierarchia patriarchalis seu sic dicti « Starotserkovniki »:

Poslanie Episkopov-Starotserkovnikov, priznajuščikh Vremennyi Vyššij Tserkovnyj Sovet, Mosquae 1925.

Vtoroj Moskovskij S'jezd Starotserkovnikov priznajuščikh vyššij Vremennyj Sovet, Mosquae 1927.

c - Hierarchia synodalis Ucrainae:

Dokladnaja zapiska Sv. Synoda Ukrainskoj Pravosl. Tserkvi, Charkov, 1926.

FONTES DE HIERARCHIIS PROGRESSIVIS:

a - Hierarchia « Reformationis Ecclesiasticae »:

Trudy pervago vserossiskago s'jezda ili Sobora sojuza « Tserkovnoje Vozroždenie », Toropec, 1925.

b - Hierarchia « S. Synodi Ecclesiae orthodoxae russicae »:

Vestnik Sv. Synoda Pravosl. Rossiskoj Tserkvi, ab anno 1925.

Sobranie Božestvennikh Liturgij soveršaemykh Pravosl. Rossisk. Tserkviu, Sostavlen po suščestvujuščim perevodam, V. ADAMENKO, N.-Novgorod, 1924.

c - « Hierarchia » ecclesia nationalis Ucrainae:

Tserkovni visti, organ ukraiinskoj autokefalnoj Pravosl. Tserkvi, Charkov, fasc. 1-4, 1927.

---

(40) *Sobranie opredelenij...* fasc. 2, p. 9-12.
(41) ibidem fasc. 4, p. 25-27.
(42) ibidem fasc. 3, p. 10-12.
(43) ibidem fasc. 4, p. 34-35.

FONTES DE PRIMIS CONVENTIBUS CLERI RUSSICI CATHOLICI:
Decreta Synodi (catholicae) Petropolitanae anno 1917, in « Bogoslovia » IX (1931) p. 289-297;
Regulae statutae ab conventu sacerdotum catholicorum Romae habito, diebus 27-30 Octobris 1930, in « Blagovest » Nr. 3 (1931) p. 8-15 vel in « *Orientalia Christiana* » XXII (1931) p. 125-131.

Saeviente persecutione in ipsa ecclesia russica, magnum schisma ortum est anno 1922. Ex hoc tempore distinguendae sunt hierarchiae, quae patriarchatum profitentur (i. e. maxima pars episcoporum et fidelium) vel eum non reiciunt, ut Staro-tserkovniki, ab hierarchiis, quae quidem remanent « conservativae », sed patriarchatum reiciunt et multis in quaestionibus redire optant ad saeculum XVII; praeterea habentur hierarchiae « progressivae » indolis diversae.

Hierarchiae patriarchales stricte praxim tenent, quae vigebat ante revolutionem, nisi forte sequentes excipias innovationes: celebrationem liturgiae S. IOANNIS CHRYSOSTOMI diebus ferialibus Quadragesimae ut fideles possint ad s. communionem accedere (44), quasdam mutationes ratione crebrae confessionis et communionis fidelium (45), ratione praescriptionum sanitatis ab auctoritate civili impositarum in funeribus et in administratione sacramentorum observandarum (46), permissionem adhibendi certis ex causis linguam russicam in cultu divino loco linguae ecclesiastico-slavicae (47).

Postulata hierarchiarum progressivarum, turbulento modo vel via pacifica introducenda, in his fere punctis conveniunt: cultum divinum magis ad exigentias contemporaneas adaptandum esse, in multis contrahendum, lingua vernacula peragendum, videntibus et audientibus fidelibus celebrandum in media ecclesia vel in presbyterio sublata

---

(44) *Žurnal Moskovskoj Patriarchii,* Nr. 7-8 (1932) p. 5-6.
(45) *Žurnal Moskovskoj Patriarchii,* Mosquae Nr. 2 (1931) p. 1; Nr. 5 (1931) p. 3-5.
(46) *Bulletin postojannoj Tsentralnoj Komissii pri Presidjume VZIK, po voprosam Kultov « Kult-K »,* Mosquae 1931, Nr. 1, p. 25-26.
(47) *Žurnal Moskovskoj Patriarchii,* Mosquae, Nr. 5 (1931) p. 2-3.

iconostasi; omnes orationes, etiam sic dictas « secretas » alta et perceptibili voce proferendas esse; loco chori conducti introducendum cantum populi; sacerdotibus licere extra functiones liturgicas veste saeculari uti (48).

Iis, quae spectant correctionem librorum liturgicorum saeculis elapsis breviter expositis, imminens emendatio et revisio librorum liturgicorum ritus byzant.-slavici seu recensionis russicae his fere condicionibus circumscribitur: Agitur hic de correctione librorum slavicorum, non vero graecorum; proin aliae et aliae erunt difficultates et rationes philologicae et rituales; ecclesia graeca gaudet quidem antiquis et pretiosis manuscriptis codicibusque liturgicis, ecclesia vero russica amplis et optimis litteraturis liturgicis excellit, quae in operibus et laboribusque liturgicis negligi nequeunt. Scientia de rebus orientalibus (dogma, historia, liturgia) saeculis elapsis in Occidente privilegium paucorum fuit, nunc autem partem formationis in Seminariis et Facultatibus theologicis occidentalibus constituit. Habentur tractatus dogmatici, historici et liturgici, immo etiam in quaestionibus particularibus optimae monographiae elaboratae sunt, ut v. g. de Epiclesi, de « Sobornost »... Editiones ritus latini et rutheni sub respectu technico exemplo esse possunt. Forte non longe abest tempus, quando libri liturgici orientales, plene approbati ad editionem « typicam » prope accedent.

Revisio et editio librorum liturgicorum byzant.-slavicorum, en, nobilis non minus ingeniosa quam necessaria forma Apostolatus Ecclesiae Catholicae pro Oriente Slavico.

Ios. Schweigl, S. I.

(48) cf. Jos. Schweigl, *Die Hierarchien der Getrennten Orthodoxie in Sowietrussland, Orientalia Christiana*, fasc. 46 (Romae 1928) et fasc. 54 (Romae 1929).

De infirmitate, quae non est causa sufficiens ad dimittendum religiosum professum votorum temporalium

I - In decreto *Sanctissimus* diei 12 iun. 1858 Pii IX, seu S. Congregationis super statu regularium nº 5 statuitur: « Nemo autem ex causa infirmitatis *post* professionem votorum simplicium superventae dimitti potest ». Quod autem non solummodo infirmitas *post* professionem obveniens sed infirma valetudo quoque, quae professionem temporalem *praecessit*, per se non sufficientem praebeat causam, ob quam professus votorum temporalium dimitti possit a superioribus, clare demonstratur ex decisione S. Congr. Episcoporum et Regularium diei 13 maii 1904. Superiores enim obiciebant morbum, « quem ingressu in religionem antiquiorem praedicabant, ne attingi viderentur declaratione 12 iunii 1858 » (1), S. Congregatio vero respondebat: « In casu solam infirmitatem non esse causam sufficientem dimissionis ». Tandem causam infirmitatis non concedere superioribus ius dimittendi, tam durante triennio votorum temporalium quam triennio absoluto, dilucide probatur ex *negativo* responso S. Congreg. de Rel. 5 febr. 1925 (2) ad quaestionem: « Utrum professus votorum simplicium in Ordine vel in Congregatione, qui durante triennio amens evaserit, iudicio medicorum etiam insanabiliter, possit, *finito triennio*, ad suos vel ad saeculum remitti? ». Unica tamen in *CIC* can. 647 § 2, 2º affertur ratio, ob quam infirmitatis causa posset juste ad dimissionem concludi, si nempe certo constaret infirmam valetudinem « ante professionem fuisse dolose reticitam vel dissimulatam ».

(1) *Periodica* I p. 83.
(2) *Periodica* XIV p. 34.

II - Putant aliqui auctores posse novicium aegrotantem vel dubia valetudine laborantem, qui statum infirmae valetudinis ante professionem minime dolose dissimulavit aut reticuit, tamen forsan in fine triennii vel eo durante legitime dimitti, valetudine peiore facta vel plena convalescentia non obtenta, si scil. sponte consensum dedit novicius ante professionem superiori declaranti, quod a Religione legitime possit dimitti si valetudo non in melius mutetur. Dicit PRUEMMER (3): « Quare si quis religiosus ante professionem candide exposuit statum suae valetudinis, nequit postea dimitti eam ob causam quia eius valetudo peior effecta est, *nisi tamen superior legitimus ante receptionem expresse dixerit candidato laboranti dubia valetudine ipsum dimissum iri, si valetudo effecta fuerit peior* ». Scribit autem BERUTTI (4): « Si ipse sponte consentit, novicius aegrotans ad primam professionem legitime admitti posse videtur *pacto inito quod a Religione libere dimitti poterit expleto votorum tempore si nondum convaluerit* ».

Liceat huic sententiae tam clarissimorum auctorum modeste sequentes opponere rationes:

1 - Si bene rem intelligo, permittunt hi auctores adiungere professioni saltem implicitam condicionem de praesenti, vel modum, quo superioribus remanet ius dimittendi professum religiosum, qui in fine tertii anni professionis temporalis plenam non recuperavit corporis salutem. Licetne hanc condicionem vel hunc modum professioni adicere? Recte notat SCHÄFER (5) contractum in professione temporali ex ipso iure obnoxium esse tacitae condicioni resolutivae (6), « *nisi causa gravis superveniat* ». Quid autem dicendum de aliis condicionibus vel modis

---

(3) *Manuale iuris canonici* Q. 258.
(4) *Institutiones juris canonici* vol. III De religiosis no. 149.
(5) *De religiosis* no. 579.
(6) Potius et clarius dici potest (iuxta mentem auctoris) hanc tacitam condicionem praebere superiori ius resolvendi professionem, quae gravi superveniente causa non ipso facto resolvitur,

professioni inserendis vel adiciendis? Quamvis, ut ait Schäfer (7) « condiciones honestas professioni apponere liceat, dummodo acceptentur », tamen iuxta plures auctores ne facile talis condicio permittatur, nam: *primo* forma condicionata est professioni parum conformis, est aliena a moribus omnium religionum (8), ac *deinde*, sicuti pro matrimonio non facile admittenda est condicio etiam honesta propter « plurium incommodorum pericula » (Gasparri *De matrimonio* II no. 878), eodem modo talis condicio ne passim admittatur quoque in professione, cum in professione quoque condicio, ut ait Piatus *l. c.*, « litibus et tricis occasionem praeberet ». Atque, etiamsi quis iam admittat sententiam non paucorum auctorum, qui condicionem honestam per se licitam dicunt, *rationabilis* tamen causa semper exquiri videtur, ut quis rationabiliter ad professionem condicionem vel modum sive apponat sive apponendam exigat. Iamvero in casu, de quo agimus, unica causa cur condicio vel modus a superioribus ordinis vel congregationis optatur haec est, ne suscipiat ordo vel congregatio in admissione ad professionem periculum valetudinis subditi; hoc autem periculum assumendum esse videtur ab ordine vel congregatione iuxta praescriptum *CIC* can. 647 § 2, 2°, excepta unica causa dissimulationis vel reticentiae, quae in casu nostro non verificatur; unde videtur deficere causa rationabilis admittendi condicionem vel modum.

2 - Secundum sententiam supra propositam initur aliquod pactum novicium inter et superiores, quo novicius per suum consensum agnoscit in superioribus ius ipsum dimittendi, si « valetudo effecta fuerit peior », vel si « expleto votorum tempore nondum convaluerit », Codex autem videtur in can. 647 § 2, 2° agnoscere illud ius superiorum solummodo in casu reticentiae vel dissimula-

(7) *De religiosis* no. 266. 5.
(8) Wernz *Ius decr.* III no. 644 not. 333; Piatus *Prael. iur. reg.* I Q. 172. 4o.

tionis, sive novicius ante professionem sit firmae sive dubiae valetudinis; unde, deficiente in casu unica causa, quae excipitur in canone 647 § 2 2°, videtur pactum praehabitum nullum sortiri effectum, atque dimissionem esse invalidam.

3 - Si iam in casu *dubiae* valetudinis novicii licet tale pactum conficere, cuius effectus est quod saltem valide postea ob causam infirmitatis possit dimitti professus, non videtur ratio cur non semper etiam in casu *firmae* valetudinis posset saltem valide illud pactum professioni praemitti, cum in can. 647 § 2 2° absolute dimissio ob causam infirmitatis non admittatur, nulla facta distinctione inter casum dubiae vel firmae valetudinis novicii; iamvero sic inutilis redderetur legislatio praedicti canonis 647 § 2, 2°.

4 - Opponi posset Ecclesiam nolle urgere suam legislationem in casu, quo religio ex misericordia, ut praebeat novicio dubia valetudine laboranti possibilitatem manendi in religione, ipsum non dimittit ante professionem primam, sed ad professionem admittit praemisso tamen pacto; unde pactum esset validum, condicio esset rationabiliter apposita, neque legislatio can. 647 § 2, 2° esset inutilis, quippe quae pactum reiicit in casu firmae valetudinis novicii. Videtur tamen responderi posse verba canonis 647 § 2, 2° esse absoluta, quae unam tantum admittunt exceptionem reticentiae et dissimulationis, atque non nimis urgendum esse argumentum ex actu misericordiae a parte religionis, quae, si in fine triennii valetudo bona est, retinet bonum et utile membrum ordinis vel congregationis, quod post dimissionem ante primam professionem non retinuisset.

5 - Improbandus denique in ipsa religione omnino videtur hic modus proponendi pactum ante professionem, quo stabilitas, una ex primariis vitae religiosae notis (can. 487, can. 488 1°), in periculum vocatur; etenim ut « stabilis in communi vivendi modus » in tuto collocetur prohibet

can. 647 § 2, 2° absolute, ac nullo condicioni cuilibet relicto loco, ob solam infirmam valetudinem dimittere professum religiosum.

HUB. BEIJERSBERGEN, S. I.

Quaesitum in re Liturgica
De Patrono Principali loci

Quaeritur: Patronus principalis loci quid sibi vult? — Quomodo constituitur; lege vel traditione? — An pro sola ecclesia consecrata, vel etiam benedicta? — An constituitur pro toto territorio, vel pro sola ecclesia?

C.-K. G. F.

Respondetur:

PATRONUS LOCI sensu liturgico est ille Sanctus qui ut peculiaris intercessor propriusque suffragator, sive legitima facta electione, sive perpetuo usu ac traditione a maioribus accepta ab universo loci alicuius clero et populo colitur et honoratur (d. 3048).

Dicitur *Sanctus;* etenim cum Patronus sit intercessor et quasi intermedius inter Deum et populum, patet ipsum Deum, vel Personam divinam, aut Mysterium Christi Domini nullo modo posse esse patronum. Ex alia parte neque Beati nondum canonizati constitui possunt Patroni sine peculiari Sedis Apostolicae Indulto (can. 1278). Immo, sine Indulto eligi non possunt nisi Sancti canonizati in Martyrologio Romano vel in eius Appendice pro Dioecesi approbata descripti (d. 3876 ad 5).

Locus hic intellegi potest vel Regnum, aut Provincia, aut Dioecesis, vel Civitas, Oppidum aut Pagum. Ordinarie tamen sub nomine Patroni loci venit Patronus Civitatis, Oppidi vel Pagi.

Antiquitus, ad constituendum Patronum nulla formalitas exigebatur; sed ab anno 1630 adamussim servari de-

bent quae sanciuntur decreto generali 526 ab URBANO VIII approbato, nempe: electio fieri debet a populo, mediante consilio generali illius Civitatis vel Loci, non autem ab officialibus solum; accedere debet consensus expressus Episcopi et cleri illius loci; electio tandem confirmari debet et approbari a S. R. C. Attamen, Patroni ante annum 1630 constituti sua iura servant et etiam nunc ut legitimi Patroni sunt honorandi. Patet Patronos etiam constitui posse a Sancta Sede, non servata forma praescripta ab URBANO VIII. Patronus legitime electus et constitutus nullo modo iam potest mutari absque speciali Indulto Apostolicae Sedis (d. 1061).

Privilegia liturgica

Privilegia liturgica Patroni loci sunt haec:

1 - Festum Patroni principalis loci celebratur ritu duplici 1 classis, cum octava communi quidem ab universo clero saeculari et a regularibus ibidem degentibus qui Kalendarium dioecesanum sequuntur, sine octava vero a regularibus in hoc loco degentibus et qui proprium habent Kalendarium, nisi tamen octava iis alio titulo debeatur (Add. Brev. IX, 3), vel nisi Patronus sit Sanctus Ordinis vel Congregationis, quia tunc a Religiosis eiusdem Ordinis seu Congregationis celebrabitur cum octava ut a clero saeculari (d. 4317, III).

2 - In Missa Patroni principalis, etiam in festis secundariis, dummodo saltem sub ritu duplici celebrentur, dicitur *Credo* (Add. Miss. VII, 3) in toto loco Patronatus.

3 - Antiquitus, festum Patroni principalis adnexam habebat feriationem. Nunc autem ecclesiastico praecepto dies festi Patronorum iam non subiacent (can. 1247 § 2). Liturgice tamen, festa Patronorum principalium Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis adhuc habenda sunt ut feriata (cf. tabellam in initio Breviarii), et in die S. Patroni Regni, necnon in festo S. Patroni loci

(h. e. Civitatis vel Oppidi, non autem Dioecesis) iuxta praescriptum can. 399 § 1 et can. 466 § 1 pastores pro grege celebrare tenentur (1).

4 - Ordinarii locorum possunt sollemnitatem externam festi Patroni principalis transferre ad dominicam sequentem (can. 1247 § 2), et de sollemnitate translata tunc cani potest Missa et de ea pariter legi unica Missa, nisi occurrat dominica maior, aut duplex 1 classis; quo casu missa de sollemnitate externa quidem prohibetur, sed in missa cantata de die, etsi conventuali, et in altera Missa lecta, fieri potest commemoratio de sollemnitate sub prima conclusione, nisi tamen occurrat duplex 1 classis Domini primarium Universalis Ecclesiae; et in Missa cum commemoratione Sollemnitatis peracta fiunt tantum commemorationes et adduntur orationes quae missae sollemnitatis conveniunt (Add. Miss. IV, 3).

5 - Festum Patroni principalis loci non cedit nisi officiis quae excludunt festa duplicia 1 classis et duplicibus 1 classis primariis Universalis Ecclesiae (Addit. Brev. II, 1). Quod si per accidens impediatur, in sua die tamen de eo permittitur una missa in cantu, extra Dominicas 1 classis, Vigilias Nativitatis Domini et Pentecostes, Ferias privilegiatas, Duplicia 1 classis Universalis Ecclesiae et Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, quo casu, nisi officium impediens sit Comm. Omnium Fidelium Defunctorum, aut Duplex 1 classis Domini primarium Universalis Ecclesiae, praeter Fer. II et III Paschae et Pentecostes, in quibus id permittitur, in Missa cantata diei currentis, etsi conventuali, oratio Patroni addi potest sub unica conclusione orationi Missae (Add. Miss. IV, 1).

Festa *Patronorum secundariorum* recoluntur a clero saeculari et regularibus Kalendarium dioecesanum sequentibus sub ritu duplici maiori (Tabella in initio Breviarii); nullo modo vero a regularibus proprium Kalendarium habentibus (d. 4312, IV et d. 4087).

(1) Resp. S. Congr. Conc. 28 dec. 1919 - *AAS* 2 feb. 1920 (XII) p. 42.

Non est confundendus Patronus loci cum Titulari ecclesiae, qui, infeliciter, passim appellatur Patronus, etiam ab auctoribus optimae notae.

Titularis ecclesiae

is dicitur sub cuius nomine ecclesia fundata est et a quo appellatur (3048). Hic potest esse sanctissima Trinitas, vel Persona divina aut Mysterium vel res sacra ad Christum Dominum pertinens, Beata Maria Virgo sub diversis denominationibus, sancti Angeli, sive omnes, sive quos singulos colit Ecclesia, tandem Sancti omnes sive collective sumpti, sive singuli qui in Martyrologio Romano vel in eius appendice pro dioecesi vel pro ordine aut congregatione approbata describuntur (d. 3876 ad 5). Beati vero nondum canonizati in Titulares assumi non possunt sine Sedis Apostolicae Indulto (can. 1168 § 3).

Unaquaeque ecclesia consecrata vel benedicta suum habere debet Titularem (can. 1168 § 1), qui, electus a Fundatoribus vel ab Episcopo, in benedictione primarii lapidis iam designatur, sed proprie constituitur cum ecclesia benedicitur vel consecratur. Peracta consecratione, Titulus iam mutari nequit (can. 1168 § 1) sine Indulto Sanctae Sedis, quae tamen generatim non permittit nisi ut priori Titulari superaddatur novus, qui tunc iisdem iuribus gaudet ac prior. In ecclesiis consecratis titulus altaris maioris idem esse debet ac ecclesiae (can. 1201 § 2).

Festum Tituli quotannis celebrari debet ad normam legum liturgicarum (can. 1168), hoc est sub ritu duplici 1 classis cum octava communi ab omnibus qui huic ecclesiae canonice sunt adscripti (d. 3863 ad 2), non vero ab aliis, etiam in paroecia degentibus. Attamen titulus ecclesiae cathedralis celebratur per totam dioecesim a clero saeculari quidem et a regularibus qui Kalendarium dioecesanum adhibent sub ritu duplici 1 classis cum octava communi, a regularibus vero proprium Kalendarium habentibus sub

ritu duplici 1 classis sed absque octava, nisi haec ex alio titulo sit celebranda (Add. Brev. IX, 1), vel nisi, ut supra diximus pro Patrono loci, Titularis ecclesiae cathedralis sit Sanctus huius ordinis seu congregationis (d. 4317, III).

Titularis festum per se annexam *non* habet feriationem ac proin in eo pastores non tenentur celebrare pro grege. Eius sollemnitas tamen transferri potest in dominicam sequentem cum iisdem privilegiis quae supra enumeravimus pro Patrono principali loci. Item, si in propria die est impeditum, missa tamen celebrari poterit iisdem condicionibus ac dictum est pro Patrono.

In Missa Titularis dicitur *Credo* (Add. Miss. VII, 3) sed, nisi Symbolum ei debeatur alia ex causa, tantum in ecclesia propria (d. 2189).

Nomen Titularis ecclesiae in qua celebratur addendum est in oratione *A cunctis* in missa; in officio vero nomen Titularis ecclesiae cui quis est adscriptus.

Si plures habentur Titulares, omnes eodem ritu celebrantur.

Differentiae inter Patronum principalem loci et Titularem ecclesiae

Ex his patent praecipuae differentiae inter Patronum principalem loci et Titularem ecclesiae:

1 - Diverso modo constituuntur.

2 - Patronus loci totum afficit territorium cum universo clero et populo ibi degente et sine necessario respectu ad aliquam ecclesiam in territorio sitam, ita ut fieri possit nullam in toto territorio huic Patrono esse dedicatam. Titularis vero immediate respicit ecclesiam cui nomen dat et consequenter tantum personas ad hanc ecclesiam pertinentes.

3 - Festum Patroni per se adnexam habet feriationem, non item Titularis.

4 - Tamquam Patronus constitui potest tantum Sanctus

canonizatus, non autem Persona divina aut Mysterium, contra, illi etiam possunt esse Titulares.

5 - Patronus loci non est necessario constituendus, cum unaquaeque ecclesia consecrata vel benedicta suum debeat habere Titularem.

Nihilominus non numquam difficillime resolvitur quaestio utrum Sanctus titularis ecclesiae principalis simul habendus sit ut Patronus vel non. Plerumque respondendum est affirmative si ipse locus nomen suum ab isto Sancto accepit; ceterum videndum num antiquitus eius festum feriatum fuerit in populo (1).

Ios. Pauwels, S. I.

Quaesitum in re Liturgica
De privilegiis honorificis Vicario Apostolico debitis

Ex c. 308 Vicariis Apostolicis, charactere episcopali auctis, privilegia competunt quae ius concedit Episcopis titularibus. Vi facultatis 50 extraordinariae S. C. de P. F. uti possunt throno cum baldachino necnon cappa magna in pontificalibus. *Quaeritur*:

1 - Quaenam reverentia debetur Vicario Apostolico quando sacrum peragit pontificaliter utens throno cum baldachino? Potestne exigere genuflexionem sicut Episcopus Residentialis vel sufficitne inclinatio profunda?

2 - Vicarius Apostolicus potestne erigere thronum stabilem vel tantum per modum actus si celebrat pontificaliter et vi huius facultatis 50 potestne uti diaconis assistentibus?

3 - Potestne cedere thronum episcopo extraneo et ei dare licentiam utendi cappa magna? Vicarius Apostolicus

(1) Cf. C. Callewaert, *Liturgicae Institutiones. Tractatus secundus De Breviarii Romani Liturgia*, nn. 375 et seq.

vi huius facultatis 50 potestne assistere missae sollemni, indutus pluviali vel cappa magna?

4 - Quaenam sint privilegia Vicarii Apostolici quando assistit missae lectae? Assistitne missae cantatae vel sollemni indutus mozetta?

5 - Provicarius potestne concedere extraneo Episcopo licentiam utendi throno et cappa magna in pontificalibus?

A. R.

Respondetur:

De iure, Vicariis Apostolicis, charactere episcopali auctis, competunt privilegia honorifica, quae ius concedit episcopis titularibus (can. 308); ergo, inter alia:

1 - Gaudent titulo *Excellentiae Reverendissimae* (S. C. Caerem. 31 dec. 1930).

2 - Possunt induere habitum praelaticium (violaceum) vel pianum, necnon ubique gestare crucem pectoralem detectam (S. R. C. 4035 ad 1) et annulum cum gemmis.

3 - Possunt induere rochettum, etiam si e clero regulari sint assumpti, quem tamen regulariter debent deferre coopertum mantaletto.

4 - Possunt assumere pileolum violaceum, etiam infra missam, praeterquam a Praefatione usque ad Sumptionem S. Sanguinis, necnon biretum item coloris violacei.

5 - Ubique in celebratione Missae possunt sequi proprium Kalendarium (can. 349 § 1 1°), et in Canone, loco verborum *et Antistite nostro N.*, dicere *et me indigno servo tuo;* item in Precibus ferialibus ad Laudes et Vesperas omittere versiculum *Oremus pro Antistite nostro N.* cum suo Responsorio (S. R. C. 4288 ad 1).

Contra, privilegiis episcoporum residentialium in propria dioecesi de iure non fruuntur. Attamen, cum post Codicem Vicarii Apostolici dicendi sint habere territorium proprium in quo iisdem iuribus et privilegiis gaudent quae in propriis dioecesibus competunt episcopis residentialibus

nisi quid Apostolica Sedes reservaverit (can. 294 § 1), ibique iurisdictionem habeant ordinariam, etsi vicariam, ita ut vere sint Ordinarii loci (can. 197 et 198), vi facultatum specialium ipsis a S. Congr. de Prop. Fide tributarum, pleraque ex iis quae per se competunt episcopis dioecesanis in propria dioecesi etiam permittuntur Vicariis Apostolicis in proprio territorio, ita ut, quod attinet ad honores liturgicos, nulla iam fere inter Vicarium Apostolicum in proprio territorio et Episcopum in propria dioecesi intercedat differentia:

1 - Eo ipso quod Vicario Apostolico liceat induere cappam magnam et in Pontificalibus uti throno cum baldachino, concludendum videtur ipsi quoque deberi genuflexio ab omnibus qui praelati non sunt.

2 - Itemque, quando pontificaliter in throno celebrat, ei competit assistentia duorum diaconorum assistentium (1). In casu tamen necessitatis, ob paucitatem scilicet sacerdotum, posset sine illis pontificaliter in throno celebrare (S. R. C. 3114 ad 3).

3 - Potest, sicut Episcopus Residentialis, Missae sollemni assistere in throno, sive indutus pluviali cum mitra et baculo, sive in cappa magna, eique tunc competunt omnia quae in casu praestat episcopus in propria dioecesi, nempe ei assistunt presbyter, et duo diaconi in habitu chorali, vel saltem duo diaconi; - una cum Celebrante recitat preces ante gradum altaris; - ex Missali legit Introitum, Epistolam et reliqua usque ad Evangelium inclusive, Offertorium, Communionem; - cum Assistentibus dicit *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei;* - ipsius est benedicere incensum, subdiaconum, diaconum, aquam, et post Evangelium osculari librum. Si assistit pluviali indutus, incensatur ad Introitum, post Evangelium et ad Offertorium; si vero in cappa magna, ad Offertorium tantum. - Tandem, in fine sollemnem benedictionem impertitur.

---

(1) Negat tamen STERCKX, *Les Fonctions Pontificales* (4 edit) II, n. 419 in nota.

Si vero Missae sollemni vel cantatae assistit indutus mozetta, thronum ascendere non potest, sed stabit vel sedebit in primo stallo, nec ullam partem directam habebit in caerimonia quae tota a Celebrante expletur quasi Vicarius non adesset; ipsi tamen a Celebrante et Ministris exhibetur debita reverentia in initio Sacri, quoties a scamno eundum est ad altare et in fine ante regressum in sacristiam. Item, si est Missa sollemnis, vel cum incensatione, ad Offertorium tantum incensatur triplici ductu post Celebrantem qui praesente Vicario incensatur duplici ductu tantum.

4 - Sicut omnis episcopus, potest thronum suum cedere episcopo extraneo (can. 337 § 3) cum assistentia diaconorum (S. R. C. 4023) eique dare licentiam utendi cappa magna (S. R. C. 4355, III, 2).

5 - Si Vicarius Apostolicus mozetta indutus assistit in proprio territorio Missae lectae, per totum Sacrum, excepto utroque Evangelio, genuflexus manet in genuflexorio ante medium altaris vel in alio congruo loco disposito. Celebrans omnia servat quae praescribuntur pro Missa celebrata coram Episcopo in propria dioecesi. Post Evangelium, Vicarius osculatur librum quem ei affert minister. Non ipse sed Celebrans benedicit aquam. Post primam orationem ante Communionem minister ei affert instrumentum pacis dicens *Pax tecum*, quod Vicarius, genuflexus manens, osculatur respondendo *Et cum spiritu tuo*. In fine Missae non Vicarius, sed ipse Celebrans dat benedictionem.

6 - Cum Vicarius Apostolicus proprie cathedralem non habeat, stricte ei erigendus non est thronus stabilis, verum improbandus non videtur si talem habeat in ecclesia sua principali quae pro cathedrali habetur.

7 - Certe Pro-Vicario non licet quod in dioecesi non licet Vicario Capitulari; iamvero hic nec potest ipse throno uti, nec illum aliis concedere (can. 435 § 2); et idem dicendum videtur de cappa magna.

Ios. Pauwels, S. I.

Nova S. Congregationis Sancti Officii decisio de significatione vocis « Acatholicorum »

Apud *Theologisch-praktische Quartalschrift* XC (1937) p. 321, hanc notam, a R. D. Karl Kronlachner conscriptam, invenimus: quaerenti, die 18 maii 1936, Exmo et Revmo D. Sigismundo Waitz, Episcopo Salisburgensi, utrum etiam *Apostatae,* ii scilicet, qui nati et baptizati in Ecclesia Catholica, postea a vera Fide deficientes, vel nomen dederint sectae acatholicae vel « sine religione » esse sese declaraverint, sint recensendi, in ordine ad ius accusationis in causis matrimonialibus, inter *acatholicos,* S. Congregatio Sancti Officii, die 27 februarii 1937, Nr. 294/1936 rescripsit:

« Suprema haec Sacra Congregatio omnibus rite perpensis respondendum mandavit: *Affirmative* — seu Apostatas a Fide ad effectus declarationis Sancti Officii diei 18 Ianuarii 1928, recensendos esse inter acatholicos ».

Ios. C., S. I.

MONUMENTA

50 - SS. D. N. Pius Pp. XI

Litterae Encyclicae (1) *Mit brennender Sorge*

14 martii 1937

DE ECCLESIAE CATHOLICAE CONDICIONE

IN REGNO GERMANIAE

(*AAS* XXIX (1937) p. 145 ss.)

AD VENERABILES FRATRES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS GERMANIAE ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS (2) PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

PROLOGUS

In commodum lectorum vertimus Encyclicas Litteras in linguam latinam; versio nostra quam proxime ad textum germanicum authenticum accedit. Divisiones et tituli desumpti sunt ex textu originali; numeri autem marginales manu nostra appositi sunt.

1 - ANXITUDINE URENTI et suspicione crescenti iam per multum temporis observitamus tam viam dolorosam Ecclesiae quam augescentem tribulationem utriusque sexus confessorum, corde et opere eidem Ecclesiae constanter

MIT BRENNENDER SORGE und steigendem Befremden beobachten Wir seit geraumer Zeit den Leidensweg der Kirche, die wachsende Bedrängnis der ihr in Gesinnung und Tat treubleibenden

(1) Litterae encyclicae: germanice *Rundschreiben.* Etiam litterae ad Episc. Mexicanum sunt *Encyclicae;* in textu verum hispano vocantur *carta apostólica.*

(2) Nota differentem positionem verborum *aliosque locorum ordinarios* (Oberhirten) in hac Encyclica et in Encyclica de re Mexicana, cf. *Periodica* 26 (1937) pag. 299.

adhaerentium, in patria illius populi, cui olim S. Bonifacius lucem atque laetum nuntium Christi Regnique Dei adportavit.

2 - Haec nostra anxitudo iis diminuta non est, de quibus, cum Nos in aegritudine Nostra visitarent, vicem gerentes venerabilis Episcopatus Germanici (3), secundum veritatis et conscientiae dictamen, Nos certiores fecerunt. Multa quidem Nobis narraverunt de fidelibus, in confessione Christi colluctantibus, sublimia et consolationis plena; sed non obstante omni amore gentis et patriae, non obstante omni conamine moderate ponderandi iudicii, plura immo perplura dura atque taetra silere non potuerunt. Quibus expositionibus auditis, intima cordis gratitudine erga Deum affecti, cum Apostolo caritatis dicere potuimus: *Maiorum horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare* (3 *Ioh.* 4). Ex altera tamen parte tum libertas consentanea muneri Nostro apostolico, cuius gravissima a Nobis ratio expostulabitur,

Bekenner und Bekennerinnen inmitten des Landes und des Volkes, dem St. Bonifatius einst die Licht- und Frohbotschaft von Christus und dem Reiche Gottes gebracht hat.

Diese Unsere Sorge ist nicht vermindert worden durch das, was die Uns an Unserem Krankenlager besuchenden Vertreter des hochwürdigsten Episkopats wahrheits- und pflichtgemäss berichtet haben. Neben viel Tröstlichem und Erhebendem aus dem Bekennerkampf ihrer Gläubigen haben sie bei aller Liebe zu Volk und Vaterland und bei allem Bestreben nach abgewogenem Urteil auch unendlich viel Herbes und Schlimmes nicht übergehen können. Nachdem Wir ihre Darlegungen vernommen, durften Wir in innigem Dank gegen Gott mit dem Apostel der Liebe sprechen: « Eine grössere Freude habe ich nicht, als wenn ich höre: meine Kinder wandeln in der Wahrheit ». Der Unserem verantwortungsvollen apostolischen Amt ziemende Freimut und der Wille, Euch

(3) Loquitur Papa de visitatione, ad quam tres Cardinales, Archiepiscopi scil. Monacensis, Vratislavensis, Coloniensis et Episcopi duo, Monasteriensis videlicet et Berolinensis, ab ipso Pontifice — teste Card. FAULHABER, Archiepiscopo Monacensi, in oratione die 14 febr. habita occasione coronationis Pii XI — sunt arcessiti, immediate post conventum plenarium Episcoporum Germaniae, die 12 et 13 ian. Fuldae peractum.

tum etiam voluntas et Vobis et toti mundo Christiano res ipsas manifestandi in tota earum gravitate, a Nobis expostulant ut et aliud addamus: maiorem anxietatem, acerbiorem dolorem in corde Nostro pastorali non habemus, quam ex notitia accepta: *multi relinquunt viam veritatis* (cf. 2 *Petr.* 2, 2).

I - *Concordatus*

3 - Cum aestate anni 1933, Venerabiles Fratres, tractationes de ineundo concordato, Nobis a gubernio Regni propositas, ratione habita schematis iam prius plures ante annos confecti, suscipiendas et non sine omnium vestrum voluptate sollemni pacto concludendas curavimus: ducti sumus cura et officio pastorali, ut libertatem missionis salutiferae Ecclesiae in Germania et salutem animarum eidem Ecclesiae concreditarum in tuto poneremus, tum etiam sincero desiderio ut pacificae evolutioni et prosperitati populi Germanici veram praestaremus operam.

4 - Licet gravibus dubiis oppressi, tunc temporis Nobismet ipsis consilium excussimus non abnuendi. Quantum

und der gesamten christlichen Welt die Wirklichkeit in ihrer ganzen Schwere vor Augen zu stellen, fordern von Uns aber auch, dass Wir hinzufügen: Eine grössere Sorge, ein herberes Hirtenleid haben Wir nicht, als wenn Wir hören: viele verlassen den Weg der Wahrheit.

1 - *DAS REICHSKONKORDAT*

Als Wir, Ehrwürdige Brüder, im Sommer 1933 die Uns von der Reichsregierung in Anknüpfung an einen jahrealten früheren Entwurf angetragenen Konkordatsverhandlungen aufnehmen und zu Euer aller Befriedigung mit einer feierlichen Vereinbarung abschliessen liessen, leitete Uns die pflichtgemässe Sorge um die Freiheit der kirchlichen Heilsmission in Deutschland und um das Heil der ihr anvertrauten Seelen — zugleich aber auch der aufrichtige Wunsch, der friedlichen Weiterentwicklung und Wohlfahrt des deutschen Volkes einen wesentlichen Dienst zu leisten.

Trotz mancher schwerer Bedenken haben Wir daher Uns damals den Entschluss abgerungen, Unsere Zustimmung nicht zu ver-

pro humana condicione fieri potuit, a fidelibus Nostris filiis filiabusque germanicis spasmos doloresque istos averruncare voluimus, qui concordato reiecto, datis tunc temporis condicionibus, absque ullo dubio fuissent aspectandi. Re ipsa demonstrare voluimus, Nos unice quaerentes Christum et quod Christi est, prohibere non velle, ut dexteram pacificam Matris Ecclesiae arriperet quilibet, qui eam ipse non renueret (4).

5 - Quodsi arbor pacis, pura intentione a Nobis in terra Germanica plantatus, fructus illos non protulit, quos Ipsi pro salute populi vestri sitienter exspectabamus, nemo eorum in universo mundo, qui oculos habeat videndi et aures audiendi, sustinere hodie poterit, culpam esse ex parte Ecclesiae eiusque Summi Pastoris. Quae annis praeteritis facta sunt nimis manifeste prae oculis ponunt, in cuiusnam caput eventuum malitia recidat; nimis manifeste aperiunt inde ab initio res compositas fuisse, quibus nil aliud intenderetur quam pugna exitialis. In sulcos, in quibus Nos semina pacis sincerae deponere conabamur, alii — haud

sagen. Wir wollten Unsern treuen Söhnen und Töchtern in Deutschland im Rahmen des Menschenmöglichen die Spannungen und Leiden ersparen, die andernfalls unter den damaligen Verhältnissen mit Gewissheit zu erwarten gewesen wären. Wir wollten allen durch die Tat beweisen, dass Wir, einzig Christus suchend und das was Christi ist, niemandem die Friedenshand der Mutterkirche verweigern, der sie nicht selbst zurückstösst.

Wenn der von Uns in lauterer Absicht in die deutsche Erde gesenkte Friedensbaum nicht die Früchte gezeitigt hat, die Wir im Interesse Eures Volkes ersehnten, dann wird niemand in der weiten Welt, der Augen hat, zu sehen, und Ohren, zu hören, heute noch sagen können, die Schuld liege auf Seiten der Kirche und ihres Oberhauptes. Der Anschauuungsunterricht der vergangenen Jahre klärt die Verantwortlichkeiten. Er enthüllt Machenschaften, die von Anfang an kein anderes Ziel kannten als den Vernichtungskampf. In die Furchen, in die Wir den Samen aufrichtigen Friedens zu pflanzen bemüht waren, streuten andere — wie der ini-

(4) Quoad num. 3 et 4 vide infra pag. 454-456.

aliter ac inimicus ille homo Sacrae Scripturae (*Math.* 13, 25) — seminaverunt zizania malae suspicionis, discordiae, odii, opprobrii, absconditae atque apertae inimicitiae erga Christum eiusque Ecclesiam: et quidem inimicitiae vi principiorum expostulatae, mille fontibus nutritae, nulla re intentata remanente. Istis et unice istis, sicut et eorum tacitis et clamitosis armigeris, respondendum erit, cur in horizonte Germaniae non arcus pacis sed nubis fulminans luctae et dissolutionis religiosae appareat.

6 - Nunquam desivimus, Venerabiles Fratres, iis quibus vi muneris ratio reddenda erit de futura sorte patriae vestrae, prae oculis ponere, quam gravia ex talibus motibus permittendis, immo iuvandis, necessario consequi deberent. Nihil omisimus, ut sanctitatem fidei sollemniter datae, inviolabilitatem obligationis sponte contractae, defenderemus contra theorias et praxes, quae, si ab auctoritate ipsa probantur, omnem fiduciam mutuam occidant, et omnem fidem etiam in futuro dandam enervent necesse est. Quod si suo tempore hora advenerit, ad hos Nostros conatus mundi oculis manifestandos, omnes bonae volun-

micus homo der Hl. Schrift — die Unkrautkeime des Misstrauens, des Unfriedens, des Hasses, der Verunglimpfung, der heimlichen und offenen, aus tausend Quellen gespeisten und mit allen Mitteln arbeitenden grundsätzlichen Feindschaft gegen Christus und seine Kirche. Ihnen und nur ihnen, sowie ihren stillen und lauten Schildhaltern fällt die Verantwortung dafür zu, dass statt des Regenbogens des Friedens am Horizont Deutschlands die Wetterwolke zersetzender Religionskämpfte sichtbar ist.

Wir sind, Ehrwürdige Brüder, nicht müde geworden, den verantwortlichen Lenkern der Geschicke Eures Landes die Folgen darzustellen, die aus dem Gewährenlassen oder gar aus der Begünstigung solcher Strömungen sich zwangsweise ergeben müssten. Wir haben alles getan, um die Heiligkeit des feierlich gegebenen Wortes, die Unverbrüchlichkeit der freiwillig eingegangenen Verpflichtungen zu verteidigen gegen Theorien und Praktiken, die — falls amtlich gebilligt — alles Vertrauen töten und jedes auch in Zukunft gegebene Wort innerlich entwerten müssten. Wenn einmal die Zeit gekommen sein wird, diese Unsere Bemühungen vor den

tatis scient, ubinam fautores pacis, ubinam pacis perturbatores inveniendi sint. Omnibus, quorum mentes nondum plene clausae sunt amori veritatis, omnibus, quorum corda vel umbram iustitiae servaverunt, tunc concedendum erit in hisce gravibus annis, qui tot eventuum pleni concordatum initum sunt subsecuti, singula nostra dicta singulasque nostras actiones legi servandae fidei fuisse subiectas. Sed pariter, animo stupenti et intima cordis repudiatione, iisdem erit testificandum, quomodo parti alteri, foederis mala interpretatio, foederis fraus, foederis excavatio, tandem aliquando foederis magis minusve aperta laesio (5), factae sint norma et lex agendi.

7 - Haec Nostra non obstantibus omnibus a Nobis demonstrata moderatio, non dictata erat considerationibus emolumenti terrestris vel etiam debilitatis improbandae, sed sola voluntate, ne cum zizaniis etiam pretiosa seges eradicaretur; consilio non prius palam iudicii proferendi, quam mentes ad ineluctabilem vim huius iudicii perspiciendam essent maturae; firmo decreto non prius aliorum

Augen der Welt offen zu legen, werden alle Gutgesinnten wissen, wo sie die Friedenswahrer und wo die Friedensstörer zu suchen haben. Jeder, dessen Geist sich noch einen Rest von Wahrheitsempfinden, dessen Herz sich noch einen Schatten von Gerechtigkeitsgefühl bewahrt hat, wird dann zugeben müssen, dass in diesen schweren und ereignisvollen Jahren der Nachkonkordatszeit jedes Unserer Worte und jede Unserer Handlungen unter dem Gesetz der Vereinbarungstreue standen. Er wird aber auch mit Befremden und innerster Ablehnung feststellen müssen, wie von der anderen Seite die Vertragsumdeutung, die Vertragsumgehung, Vertragsaushöhlung, schliesslich die mehr oder minder öffentliche Vertragsverletzung zum ungeschriebenen Gesetz des Handelns gemacht wurden.

Die von Uns trotz allem bezeigte Mässigung war nicht eingegeben von Erwägungen irdischer Nützlichkeit oder gar unziemlicher Schwäche, sondern lediglich von dem Willen, mit dem Unkraut nicht etwa wertvolles Wachstum auszureissen; von der Absicht, nicht eher öffentlich zu urteilen, als bis die Geister für die Unent-

(5) Cf. num. 7 de schola necnon 8 et 41 de associationibus iuventutis.

fidem definitive negandi, quam ferreae factorum ipsorum voces tegumenta solvissent, quibus systematica obnubilatio impetum contra Ecclesiam coeptum mira dexteritate celabat atque celat hodie. Immo et hoc ipso momento, quo aperta pugna inita contra scholam confessionalem, ipso concordato defensam; quo electionis libertas catholicorum eorum, ad quos iuventutis educatio iure ipso spectat, prorsus destructa, in re quae Ecclesiae ipsius vitam tangit, tam clare demonstrant, ad quam terribilem gravitatem res pervenerit et quibus conflictibus hucusque inauditis conscientiae fidelium Christianorum torqueantur: hoc ipso quoque momento Nobis salute animarum permotis suadet cura paterna, ne vel spem exiguam, ut ad fidem datam denuo redeatur, vel conventio in conscientiae foro Nobis acceptabilis offeratur, inconsideratam relinquamus. Precibus Venerabilis Episcopatus obsecundantes etiam in posterum non desinemus apud gubernatores populi vestri Nosmet ipsos defensorem laesi iuris profiteri, et — minime anxii, quid bonae quid malae fortunae dies afferat — unice oboedientes conscientiae Nostrae et missioni Nostrae pa-

rinnbarkeit dieses Urteils reif geworden wären; von der Entschlossenheit, die Vertragstreue anderer nicht eher endgültig zu verneinen, als bis die eiserne Sprache der Wirklichkeit die Hüllen gesprengt hätte, in die eine planmässige Tarnung den Angriff gegen die Kirche zu hüllen verstanden hatte und versteht. Auch heute noch, wo der offene Kampf gegen die konkordatsgeschützte Bekenntnisschule und wo die vernichtete Abstimmungsfreiheit der katholischen Erziehungsberechtigten auf einem besonders wesentlichen Lebensgebiet der Kirche den erschütternden Ernst der Lage und die beispiellose Gewissensnot gläubiger Christen kennzeichnen — rät Uns die Vatersorge um das Heil der Seelen, die etwa noch vorhandenen, wenn auch geringen Aussichten auf Rückkehr zur Vertragstreue und zu verantwortbarer Verständigung nicht unberücksichtigt zu lassen. Den Bitten des hochwürdigsten Episkopates folgend werden Wir auch weiterhin nicht müde werden, bei den Lenkern Eures Volkes Sachwalter des verletzten Rechts zu sein und Uns — unbekümmert um den Erfolg oder Misserfolg des Tages — lediglich Unserem Gewissen und Unserer Hirtenmission gehorchend einer Geisteshaltung zu widersetzen, die

storali, menti illi resistere, qua ius conscriptum vi aperta vel larvata strangulare conantur.

8 - Finis autem harum litterarum, Venerabiles Fratres, ad aliam rem spectat. Sicut Vos Nos aegrotantes pio amore visitastis, sic et Nos hodie ad Vos convertimus et Vestra opera ad fideles catholicos Germaniae (6), qui — haud aliter ac omnes infantes, qui doloribus et afflictionibus opprimuntur — Cordi Patris communis peculiariter sunt propinqui. In hac hora, qua eorum fides in igne tribulationis et apertae vel latentis persecutionis tamquam aurum verum probatur; qua sexcentis modis oppressionis religiosae eaeque organizatae circumdantur; qua defectu fidelis informationis et armaturae ordinariae defensionis graviter deprimuntur: duplici iure aspectant verbum veritatis et spiritualis confortationis ex ore illius, cuius primo decessori Salvator verbum illud tam ponderosum direxit: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* 22, 32).

verbrieftes Recht durch offene oder verhüllte Gewalt zu erdrosseln sucht.

Der Zweck des gegenwärtigen Schreibens aber, Ehrwürdige Brüder, ist ein anderer. Wie Ihr Uns an Unserm Krankenlager liebevollen Besuch abgestattet habt, so wenden Wir Uns heute an Euch und durch Euch an die katholischen Gläubigen Deutschlands, die — wie alle leidenden und bedrängten Kinder — dem Herzen des gemeinsamen Vaters besonders nahe stehen. In dieser Stunde, wo ihr Glaube im Feuer der Trübsal und der versteckten und offenen Verfolgung als echtes Gold erprobt wird, wo sie von tausend Formen organisierter religiöser Unfreiheit umgeben sind, wo der Mangel an wahrheitsgetreuer Unterrichtung und normaler Verteidigungsmöglichkeit schwer auf ihnen lastet, haben sie ein doppeltes Recht auf ein Wort der Wahrheit und der seelischen Stärkung von dem, an dessen ersten Vorgänger das inhaltsschwere Heilandswort gerichtet war: « Ich habe für dich gebetet, dass dein Glaube nicht wanke, und du hinwiederum stärke deine Brüder ».

(6) Cf. infra pag. 453 de destinatariis Encyclicae.

II — *Genuina fides Dei*

9 - Attendite, Venerabiles Fratres, ut prae ceteris fides in Deum, qua primum et inalterabile ponitur omnis religionis fundamentum, in regionibus germanicis pure et inadulterate custodiatur. Non is in Deum credit, qui vocem Dei rhetorice adhibeat, sed is solus, qui cum hac voce sublimi veram et dignam notionem Dei coniungat.

10 - Qui ambiguitate pantheistica Deum cum universo identificat, Deum in mundo mundum facit, vel mundum in Deo Deum, non est ex numero eorum, qui in Deum credunt.

11 - Qui secundum ideas, quae praechristianum patrimonium primitivorum Germanorum exhiberent, tetricum fatum impersonale loco Dei personalis ponit, negat Dei sapientiam et providentiam, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* (*Sap.* 8, 1). Talis sibi vindicare non potest, ut iis adcenseatur qui in Deum credunt.

2 - *REINER GOTTESGLAUBE*

Habet acht, Ehrwürdige Brüder, dass vor allem der Gottesglaube, die erste und unersetzbare Grundlage jeder Religion, in deutschen Landen rein und unverfälscht erhalten bleibe. Gottgläubig ist nicht, wer das Wort Gott rednerisch gebraucht, sondern nur, wer mit diesem hehren Wort den wahren und würdigen Gottesbegriff verbindet.

Wer in pantheistischer Verschwommenheit Gott mit dem Weltall gleichsetzt, Gott in der Welt verweltlicht und die Welt in Gott vergöttlicht, gehört nicht zu den Gottgläubigen.

Wer nach angeblich altgermanisch-vorchristlicher Vorstellung das düstere unpersönliche Schicksal an die Stelle des persönlichen Gottes rückt, leugnet Gottes Weisheit und Vorsehung, die « kraftvoll und gütig von einem Ende der Welt bis zum andern waltet » und alles zum guten Ende leitet. Ein solcher kann nicht beanspruchen, zu den Gottgläubigen gerechnet zu werden.

12 - Qui stirpem (7), vel populum, vel rempublicam, vel formam reipublicae, vel ipsos qui reipublicae auctoritatem (8) gerunt, vel alia elementa quibus humanae societatis fundamenta constituuntur — licet intra fines ordinis terrestris essentialem et venerabilem locum occupent — extra scalas valorum terrestrium ponit, eaque normam facit omnium valorum, etiam eorum quae in ordine religioso sunt, et idololatrice divinizat: ipse invertit et adulterat rerum ordinem, qualis a Deo creatus est hominibusque impositus. Talis a vera fide, qua in Deum credimus, et a recta vivendi ratione, quae tali ordini correspondeat, longe est alienus.

13 - Attendite, Venerabiles Fratres, ad abusum illum cum voce tum scriptis in dies crescentem, nomen Dei ter sanctum adhibendi ut pittacium vanum, quo creatio magis minusve arbitraria sitis ac desiderii cuiusdam humani insigniatur. Id agite, ut fideles vestri istis erroribus tali respondeant vigilantia et repudiatione, qualem merentur. Deus Noster est Deus personalis (9), humana transcendens,

Wer die Rasse, oder das Volk, oder den Staat, oder die Staatsform, die Träger der Staatsgewalt oder andere Grundwerte menschlicher Gemeinschaftsgestaltung — die innerhalb der irdischen Ordnung einen wesentlichen und ehrengebietenden Platz behaupten — aus dieser ihrer irdischen Wertskala herauslöst, sie zur höchsten Norm aller, auch der religiösen Werte macht und sie mit Götzenkult vergöttert, der verkehrt und fälscht die gottgeschaffene und gottbefohlene Ordnung der Dinge. Ein solcher ist weit von wahrem Gottesglauben und einer solchem Glauben entsprechenden Lebensauffassung entfernt.

Habet acht, Ehrwürdige Brüder, auf den in Rede und Schrift zunehmenden Missbrauch, den dreimal heiligen Gottesnamen anzuwenden als sinnleere Etikette für irgend ein mehr oder minder willkürliches Gebilde menschlichen Suchens und Sehnens. Wirkt unter Euren Gläubigen dahin, dass sie solcher Verirrung mit der wachsamen Ablehnung begegnen, die sie verdient. Unser Gott ist

(7) Voce *stirpis* reddimus vocem germ. *Rasse*. Nobis magis placet quam *genus*.

(8) Nota influxum doctrinae Hegelianae.

(9) Vide iusiurandum contra errores modernistarum: *Denzinger* 2145.

omnipotens, infinite perfectus, unus in Trinitate personarum, trinus in unitate divinae essentiae, creator omnis creaturae, Dominus et Rex finem imponens historiae universi, qui alios deos iuxta se nec sinere potest nec sinit.

14 - Hic Deus dominio supremo sua praecepta dedit, quorum vis non pendet a tempore et spatio, regione et stirpe. Sicut sol Dei omnes illuminat, qui faciem hominis gerunt, sic et lex Dei non novit privilegia et exceptiones. Gubernatores et gubernati, coronati et incoronati, principes et humiles, divites et pauperes aequo iure verbo Dei subsunt. Ex totalitate iurium, quibus ut Creator gaudet, essentialiter fluit totalitas illius oboedientiae, qualem sibi vindicat cum a singulis tum a qualibet societate (10). Haec oboedientiae vindicatio attingit omnes vitae manifestationes, in quibus quaestiones morales solvantur necesse est ad normas legis divinae, et consequenter expostulat, ut omnis lex humana mutabilis harmonice legi divinae immutabili conformetur.

der persönliche, übermenschliche, allmächtige, unendlich vollkommene Gott, einer in der Dreiheit der Personen, dreipersönlich in der Einheit des göttlichen Wesens, der Schöpfer alles Geschaffenen, der Herr und König und letzte Vollender der Weltgeschichte, der keine Götter neben sich duldet noch dulden kann.

Dieser Gott hat in souveräner Fassung seine Gebote gegeben. Sie gelten unabhängig von Zeit und Raum, von Land und Rasse. So wie Gottes Sonne über allem leuchtet, was Menschenantlitz trägt, so kennt auch Sein Gesetz keine Vorrechte und Ausnahmen. Regierende und Regierte, Gekrönte und Ungekrönte, Hoch und Niedrig, Reich und Arm stehen gleichermassen unter Seinem Wort. Aus der Totalität Seiner Schöpferrechte fliesst seinsmässig die Totalität Seines Gehorsamsanspruchs an die Einzelnen und an alle Arten von Gemeinschaften. Dieser Gehorsamsanspruch erfasst alle Lebensbereiche, in denen sittliche Fragen die Auseinandersetzung mit dem Gottesgesetz fordern und damit die Einordnung wandelbarer Menschensatzung in das Gefüge der unwandelbaren Gottessatzung.

---

(10) Adhibetur vox *totalitatis*, in sociologia moderna frequentissima. Cf. Fr. Huerth. *Totalitätsforderung und Totalitätsgesetz* in *Scholastik* 10 (1935) p. 321-339.

15 - Leves solummodo homines haeresi ea irretiuntur, qua nationalis Deus, nationalis religio nuncupetur; ii soli stulte conantur, ut Deum, mundi Creatorem, Regem et Legislatorem omnium populorum, ante cuius celsitudinem gentes evanescunt *quasi stillae situlae* (*Is.* 40, 15), finibus unius populi unici, sanguine coarctato unius stirpis unicae incarceratum habeant.

16 - Episcopi Ecclesiae Christi, constituti *in iis quae sunt ad Deum* (*Hebr.* 5, 1), vigilare debent, ne tales errores perniciosi, quos praxes vel perniciosiores immediate sequi solent, in agro Christiano radices capiant. Sacro tenentur officio, quantum in eorum potestate est, vim omnem adhibendi, ut praecepta Dei tamquam fundamentum obligatorium totius vitae moralis cum privatae tum publicae honorentur et exsecutioni mandentur; ne iura divinae maiestatis, nomen Dei et *verbum Dei, blasphementur* (*Tit.* 2, 5); ut blasphemiis — quae verbis, scriptis, imaginibus prolatae, aliquando innumerae sunt ut arena maris — silentium imponatur; ut Promethea illa superbia, qua nega-

Nur oberflächliche Geister können der Irrlehre verfallen, von einem nationalen Gott, von einer nationalen Religion zu sprechen, können den Wahnversuch unternehmen, Gott, den Schöpfer aller Welt, den König und Gesetzgeber aller Völker, vor dessen Grösse die Nationen klein sind wie Tropfen am Wassereimer, in die Grenzen eines einzelnen Volkes, in die blutmässige Enge einer einzelnen Rasse einkerkern zu wollen.

Die Bischöfe der Kirche Christi, aufgestellt « für das, was sich auf Gott bezieht », müssen darüber wachen, dass solche verderblichen Irrtümer, denen noch verderblichere Praktiken auf dem Fusse zu folgen pflegen, innerhalb der Gläubigen nicht Boden fassen. Ihre heilige Amtspflicht ist es, soviel an ihnen liegt, alles zu tun, damit die Gebote Gottes als verpflichtende Grundlage des sittlich geordneten privaten und öffentlichen Lebens geachtet und befolgt werden; dass die Majestätsrechte Gottes, der Name und das Wort Gottes nicht verunehrt werden; dass die Gotteslästerungen — in Wort und Schrift und Bild, zeitweise zahlreich wie der Sand am Meere — zum Schweigen gebracht werden; dass dem trotzenden Prometheusgeist der Gottesverneiner, Gottesverächter und

tores, contemptores, osores divinae Maiestatis Deum provocant, semper precibus expiatoriis fidelium superetur (11), quippe quae sicut ascensum horis singulis ad Altissimum ascendunt et manum Dei poenas minitantem cohibent.

17 - Gratias Vobis agimus, Venerabiles Fratres, Vestrisque sacerdotibus et omnibus iis fidelibus, qui in defendendis iuribus Maiestatis divinae colluctantes contra neo-paganismum, a maioris auctoritatis personis eheu haud raro adiutum, officia sua Christiana impleverunt et implere non desinunt. Hae gratiae duplo cordis affectu nec sine laude atque admiratione debita ad eos spectant, qui in hoc suo officio exercendo digni habiti sunt pro nomine Dei terrestria sacrificia doloresque terrestres in sese suscipere.

III — *Genuina fides Christi*

18 - Nulla fides, qua in Deum creditur, diu genuina et inadulterata servabitur, nisi sustentetur fide in Christum (12). *Nemo novit Filium nisi Pater, et nemo novit Patrem nisi*

Gotteshasser gegenüber das Sühnegebet der Gläubigen nie erlahme, das wie Rauchwerk Stunde um Stunde zum Allerhöchsten emporsteigt und Seine strafende Hand aufhält.

Wir danken Euch, Ehrwürdige Brüder, Euren Priestern und all den Gläubigen, die in der Verteidigung der Majestätsrechte Gottes gegen ein angriffslüsternes, von einflussreicher Seite leider vielfach begünstigtes Neuheidentum ihre Christenpflicht erfüllt haben und erfüllen. Dieser Dank ist doppelt innig und mit anerkennender Bewunderung für diejenigen verknüpft, die in Ausübung dieser ihrer Pflicht gewürdigt wurden, um Gottes willen irdische Opfer und irdisches Leid auf sich nehmen zu dürfen.

3 - *REINER CHRISTUSGLAUBE*

Kein Gottesglaube wird sich auf die Dauer rein und unverfälscht erhalten, wenn er nicht gestützt wird vom Glauben an Christus. « Niemand kennt den Sohn ausser dem Vater, und nie-

(11) Vide consecrationem cotidianam *Apostolatus Orationis.*
(12) Cf. num. 21 et 25.

Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Math.* 11, 27). *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant Te, solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum* (*Ioh.* 17, 3). Nemini igitur dicere fas est: Credo in Deum, haec mihi religio sufficit. Verbum Salvatoris huius generis excusationes non admittit. *Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet* (1 *Ioh.* 2, 23).

19 - In Iesu Christo, Filio Dei incarnato, plenitudo divinae revelationis apparuit. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio* (*Hebr.* 1, 1 sq.). Sacri libri Veteris Testamenti toti sunt Verbum Dei, pars organica revelationis eius. Secundum indolem revelationis, gradatim crescentis, super eos effusum iacet diluculum illius periodi, qua homines praeparabantur ad plenam meridiem redemptionis. Sicut in libris historicis et legalibus aliter fieri nequit, in multis particularibus reflectunt humanam imperfectionem, debilitatem, praevaricationem. Dum nobis narrant innumera celsitudinis et sublimitatis

mand kennt den Vater ausser dem Sohn, und wem es der Sohn offenbaren will ». « Das ist das ewige Leben, dass sie Dich erkennen, den allein wahren Gott, und den Du gesandt hast, Jesus Christus ». Es darf also niemand sagen: Ich bin gottgläubig, das ist mir Religion genug. Des Heilands Wort hat für Ausflüchte dieser Art keinen Platz. « Wer den Sohn leugnet, hat auch nicht den Vater; wer den Sohn bekennt, hat auch den Vater ».

In Jesus Christus, dem menschgewordenen Gottessohn, ist die Fülle der göttlichen Offenbarung erschienen. « Auf vielerlei Art und in verschiedenen Formen hat Gott einst zu den Vätern durch die Propheten gesprochen. In der Fülle der Zeiten hat Er zu uns durch den Sohn geredet ». Die heiligen Bücher des Alten Bundes sind ganz Gottes Wort, ein organischer Teil Seiner Offenbarung. Der stufenweisen Entfaltung der Offenbarung entsprechend liegt auf ihnen noch der Dämmer der Vorbereitungszeit auf den vollen Sonnentag der Erlösung. Wie es bei Geschichts- und Gesetzbüchern nicht anders sein kann, sind sie in manchen Einzelheiten ein Spiegelbid menschlicher Unvollkommenheit, Schwäche und Sünde. Neben unendlich vielem Hohen und Edlen erzählen sie auch von der

plena, simul loquuntur de spiritu carnali et mundano, qui in populo electo Foederis Antiqui, cui revelatio et repromissiones Dei erant concreditae, iterum atque iterum prorumpit. Cui vero oculi praeiudicio et passione obcaecati non sunt, ex deficientia humana, quam historia biblica nobis narrat, eo lucidius apparet claritas divinae illius oeconomiae, quae tandem aliquando de omni praevaricatione et peccato agit triumphum. Sane in huiusmodi recesso obscuro saepe ac tetrico multo lucidius depicta haeret Dei aeterni salutaris illa paedagogia, plena prospectuum, quibus dirigimur simul et monemur, profligimur simul et in beatitatem erigimur. Non nisi obcaecatione et superbia oculi clauduntur, ut thesauros non videant salutares et educatores in Vetere Testamento absconditos. Qui historiam biblicam necnon doctrinam et sapientiam Foederis Antiqui ex Ecclesia et schola relegatam desiderat, Verbo Dei maledicit, consilio salutari Omnipotentis maledicit, cogitationes humanas arctas et limitatas iudices facit oeconomiae divinae; negat fidem Christi realis, qui in carne nobis apparuit, naturam humanam ex populo illo assumens,

Veräusserlichung und Verweltlichung, die in dem die Offenbarung und die Verheissung Gottes tragenden alttestamentlichen Bundesvolk immer wieder hervorbrachen. Für jedes nicht durch Vorurteil und Leidenschaft geblendete Auge leuchtet jedoch aus dem menschlichen Versagen, von dem die biblische Geschichte berichtet, um so strahlender das Gotteslicht der über alle Fehle und Sünde letztlich triumphierenden Heilsführung hervor. Gerade auf solchem, oft düsterem Hintergrund wächst die Heilspädagogik des Ewigen in Perspektiven hinein, die wegweisend, warnend, erschütternd, erhebend und beglückend zugleich sind. Nur Blindheit und Hochmut können ihr Auge vor den heilserzieherischen Schätzen verschliessen, die das Alte Testament birgt. Wer die biblische Geschichte und die Lehrweisheit des Alten Bundes aus Kirche und Schule verbannt sehen will, lästert das Wort Gottes, lästert den Heilsplan das Allmächtigen, macht enges und beschränktes Menschendenken zum Richter über göttliche Geschichtsplanung. Er verneint den Glauben an den wirklichen, im Fleische erschienenen Christus, der die menschliche Natur aus dem Volke annahm, das ihn ans Kreuz

qui Eum erat crucifixurus. Non intellegit illam universi saeculi tragoediam, qua Filius Dei facinori crucifigentium actum divinum sacerdotalem mortis redemptricis opposuit, vi cuius Veteri Testamento in Testamento Novo adimpletionem, finem et exaltationem procuravit.

20 - Culmen autem, quod revelatio in Iesu Christi evangelio accepit, definitivum est, omnes obligans per tempus omne. Haec revelatio non novit humanae inventionis additamenta multoque minus surrogata et suffectiones per « revelationes » arbitrarias, quas certi quidam huius horae auctores ex mytho, quem vocant stirpis et sanguinis, volunt deducere. Ex quo Christus, unctus, opus redemptionis complevit, dominium peccati fregit, ac nobis gratiam meruit ut fieremus filii Dei: ex hac hora *nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* 4, 12), nisi nomen Iesu. Nullus homo, licet omnia sciat, omnia possit, licet incarnatio sit omnis visibilis potestatis huius mundi, *fundamentum aliud potest ponere praeter id, quod iam positum est* in Christo Iesu (1 *Cor.* 3, 11). Qui sacrilege negans essentialem differentiam, qua

schlagen sollte. Er steht verständnislos vor dem Weltdrama des Gottessohnes, welcher der Meintat seiner Kreuziger die hohepriesterliche Gottestat des Erlösertodes entgegensetzte und damit den Alten Bund im Neuen Bunde seine Erfüllung, sein Ende und seine Ueberhöhung finden liess.

Der im Evangelium Jesu Christi erreichte Höhepunkt der Offenbarung ist endgültig, ist verpflichtend für immer. Diese Offenbarung kennt keine Nachträge durch Menschenhand, kennt erst recht keinen Ersatz und keine Ablösung durch die willkürlichen « Offenbarungen », die gewisse Wortführer der Gegenwart aus dem sogenannten Mythus von Blut und Rasse herleiten wollen. Seitdem Christus der Gesalbte das Werk der Erlösung vollbracht, die Herrschaft der Sünde gebrochen und uns die Gnade verdient hat, Kinder Gottes zu werden — seitdem ist kein anderer Name unter dem Himmel den Menschen gegeben, durch den sie selig werden können, als der Name Jesus. Kein Mensch — möge auch alles Wissen, alles Können, alle äusserliche Macht der Erde in ihm verkörpert sein, kann einen andern Grund legen als den, der in Christus bereits

Deus et creatura, Filius Dei et filii hominis inter sese distinguuntur, qualemcumque mortalium, etiamsi maximus esset omnium temporum, Christo iuxtaponere audet, immo superponere vel opponere, ipse ne recuset vocari pseudopropheta, cui applicatur terribile Scripturae verbum: *Qui habitat in coelis, irridebit eos* (*Ps.* 2, 4).

IV — *Genuina fides Ecclesiae*

21 - Nec fides, qua in Christum credimus, genuine et inadulterate servabitur, nisi sustentetur et saepiatur fide, qua Ecclesiam credimus (13), quae est *columna et firmamentum veritatis* (1 *Tim.* 3, 15). Ipse Christus, Deus benedictus in saecula, hanc fidei columnam erexit. Eius praeceptum audiendi Ecclesiam (*Matt.* 18, 17), ex verbis et praeceptis Ecclesiae auscultandi propria ipsius verba et praecepta (*Luc.* 10, 16), valet pro hominibus omnium temporum et zonarum. Una est Ecclesia a Redemptore fundata, pro omnibus populis et nationibus. Sub eius tholo sicut

gelegt ist. Wer in sakrilegischer Verkennung der zwischen Gott und Geschöpf, zwischen dem Gottmenschen und den Menschenkindern klaffenden Wesensunterschiede irgend einen Sterblichen, und wäre er der Grösste aller Zeiten, neben Christus zu stellen wagt, oder gar über Ihn und gegen Ihn, der muss sich sagen lassen, dass er ein Wahnprophet ist, auf den das Schriftwort erschütternde Anwendung findet: « Der im Himmel wohnt, lachet ihrer ».

4 - *REINER KIRCHENGLAUBE*

Der Christusglaube wird sich nicht rein und unverfälscht erhalten, wenn er nicht gestützt und umhegt wird vom Glauben an die Kirche, « die Säule und Grundfeste der Wahrheit ». Christus selbst, Gott hochgelobt in Ewigkeit, hat diese Säule des Glaubens aufgerichtet. Sein Gebot, die Kirche zu hören, aus den Worten und Geboten der Kirche Seine eigenen Worte und Gebote herauszuhören, gilt für die Menschen aller Zeiten und Zonen. Die von dem Erlöser gestiftete Kirche ist eine — für alle Völker und Nationen. Unter

(13) Cf. num. 18 et 25.

Dei firmamentum totam terram concamerante, locum et patriam inveniunt omnes populi et linguae; sub eius tholo plane expandi possunt omnes singulares eae capacitates, qualitates, vocationes, destinationes, quae a Deo Creatore et Salvatore singulis hominibus et singulis populorum societatibus sunt inditae. Cor maternum Ecclesiae sat amplitudinis et magnanimitatis habet, ut in incremento illarum indolum et capacitatum, prout Dei regitur voluntate, magis divitias videat varietatis quam separationis periculum. Gaudet de spirituali cultura cum singulorum tum populorum. In veris culturae profectibus non sine laetitia et gloria materna fructus videt educationis et progressus, quibus favet et benedicit, ubicumque non prohibet conscientiae dictamen. Nec tamen ignorat, huic libertati limites esse impositos maiestate praecepti divini, quo ipsa Ecclesia in constitutione tota sua essentiali ut unum quid et indivisibile est volita et fundata. Qui hanc tangit unitatem et indivisibilitatem, Sponsam Christi uno diadematum privat, quibus ab Ipso Deo est coronata; et aedificium divinum Ecclesiae, in fundamentis aeternis constructum, subiicit censurae et

ihrem Kuppelbau, der wie Gottes Firmament die ganze Erde überwölbt, ist Platz und Heimat für alle Völker und Sprachen, ist Raum für die Entfaltung aller von Gott dem Schöpfer und Erlöser in die Einzelnen und in die Volksgemeinschaften hineingelegten besondern Eigenschaften, Vorzügen, Aufgaben und Berufungen. Das Mutterherz der Kirche ist weit und gross genug, um in der gottgemässen Entfaltung solcher Eigenarten und Eigengaben mehr den Reichtum der Mannigfaltigkeit zu sehen als die Gefahr von Absonderungen. Sie freut sich des geistigen Hochstands der Einzelnen und der Völker. Sie sieht in ihren echten Leistungen mit Mutterfreude und Mutterstolz Erziehungsfrüchte und Fortschritte, die sie segnet und fördert, wo immer sie es im Gewissen kann. Aber sie weiss auch, dass dieser Freiheit Grenzen gezogen sind durch die Majestät des Gottesgebotes, das diese Kirche in allem Wesenhaften als untrennbare Einheit gewollt und gegründet hat. Wer an diese Einheit und Untrennbarkeit rührt, nimmt der Braut Christi eines der Diademe, mit denen Gott selbst sie gekrönt hat. Er unterwirft ihren auf ewigen Fundamenten ruhenden Gottes-

reformationi architectorum, quibus Pater Coelestis aedificandi mandatum dedit numquam (14).

22 - Missio divina Ecclesiae, quippe quae agit inter homines et agat oportet per homines, dolorose obscurari potest per defectus humanos humanosque nimis, qui suis temporibus iterum atque iterum tamquam zizania granum Regni Dei luxuriose pervadunt. Qui verbum Salvatoris non ignorat de scandalis et scandalizantibus, scit quomodo et Ecclesia et singulus quisque diiudicare debeat id quod peccatum erat et peccatum est. Qui autem propter has aberrationes condemnandas, quibus fides et vita, verba et opera, habitus exterior et mens interna singulorum, licet perplurium, inter sese opponuntur, obliviscitur, vel quod peius est, conscie silet ingentem illum thesaurum spiritus virtutis, sacrificii, amoris fraterni et heroici conatus sanctitatis, miserandam manifestat caecitatem et iniustitiam. Quod si insuper clare apparet, quomodo durae illius normae, quam Ecclesiae odiosae applicat, eo ipso momento

bau der Ueberprüfung und Umgestaltung durch Baumeister, denen der Vater im Himmel keine Bauvollmacht erteilt hat.

Die göttliche Sendung der Kirche, die unter Menschen wirkt und durch Menschen wirken muss, mag schmerzlich verdunkelt werden durch das Menschlich-Allzumenschliche, das zu Zeiten immer und immer wieder als Unkraut unter dem Weizen des Gottesreiches durchwuchert. Wer des Heilands Wort über die Aergernisse und die Aergernisgeber kennt, weiss, wie die Kirche und wie jeder Einzelne über das zu urteilen hat, was Sünde war und Sünde ist. Wer aber über diesen verurteilenswerten Abweichungen zwischen Glauben und Leben , zwischen Wort und Tat, zwischen äusserer Haltung und innerer Gesinnung bei Einzelnen — und wären es ihrer auch viele — die Unsumme von echtem Tugendstreben, von Opfersinn, von Bruderliebe, von heldenhaftem Heiligkeitsdrang vergisst oder gar wissentlich verschweigt, der enthüllt eine bedauernswerte Blindheit und Ungerechtigkeit. Wenn dann vollends erkennbar wird, dass er den harten Masstab, den er an die gehasste Kirche anlegt,

(14) Vide Encyclicam non satis cognitam LEONIS XIII *Satis Cognitum* de Ecclesiae Unitate: *ASS* 28(1896) pag. 708-739.

obliviscatur, quo de alterius generis societatibus agitur, quae ei cordi vel emolumento sunt: sese in sua quam praetendit laesa puritate iis affinem ostendit, qui secundum verbum acerbum Domini prae festuca in oculo fratris trabem in proprio oculo non vident. Quamquam vero haud pura est intentio eorum, qui ex re humana Ecclesiae pertractanda quaestum, immo quaestum sordidum faciunt; et auctoritas magistratuum ecclesiasticorum a Deo provenit, ideoque non dependet ab humana vel morali perfectione eorum, qui illam auctoritatem gestant: tamen nulla periodus est, in qua sive individui, sive societates liberentur ab obligatione sinceri propriae conscientiae examinis, inexorabilis purificationis, efficacis renovationis cordis et operum. In nostra Encyclica de Sacerdotio, in nostris epistolis de Actione Catholica promovenda (15) omnes Ecclesiae subditos, prae aliis autem eos, qui statui sacerdotali, statui religioso et laicorum apostolatui addicti sunt, obsecravimus et graviter monuimus, ipsorum esse officium sacrum, ut praxin vitae professioni fidei adsimilent

in dem selben Augenblick vergisst, wo es sich um Gemeinschaften anderer Art handelt, die ihm aus Gefühl oder Interesse nahestehen, dann offenbart er sich in seinem angeblich verletzten Reinlichkeitsgefühl als verwandt mit denen, die nach des Heilands schneidendem Wort über dem Splitter im Auge des Bruders den Balken im eigenen Auge übersehen. So wenig rein aber auch die Absicht derer ist, die aus der Beschäftigung mit dem Menschlichen in der Kirche einen Beruf, vielfach sogar ein niedriges Geschäft machen, und obgleich die in Gott ruhende Gewalt des kirchlichen Amtsträgers nicht abhängig ist von seiner menschlichen und sittlichen Höhe, so ist doch keine Zeitepoche, kein Einzelner, keine Gemeinschaft frei von der Pflicht ehrlicher Gewissenserforschung, unerbittlicher Läuterung, durchgreifender Erneuerung in Gesinnung und Tat. In Unserer Enzyklika über das Priestertum, in Unseren Sendschreiben über die Katholische Aktion haben Wir mit beschwörender Eindringlichkeit auf die heilige Pflicht aller Angehörigen der Kirche, und allen voran der Angehörigen des Priester- und

(15) Encycl. de Sacerdotio cf. *Periodica* 24 (1935) pag. 142-192. De A. C. *ibidem* passim, tum maxime supra pag. 299-342.

ea conformitate, quam praecepta Dei expostulant et numquam exigere desinit Ecclesia. Nec minus hodie repetimus severa gravitate: non sufficit Ecclesiae Christi adnumerari. Membrum vivum huius Ecclesiae esse oportet, in spiritu et veritate. Membra autem viva soli ii sunt, qui in gratia Dei exsistant et continuo ambulent in praesentia Dei, — in innocentia vel in sincera et efficaci poenitentia. Si Apostolus gentium, illud *vas electionis*, castigavit corpus suum et in servitutem redegit, ne forte, cum aliis praedicasset, ipse reprobus efficeretur (1 *Cor.* 9, 27): num fieri potest, ut alii, quorum manibus custodia et incrementum Regni Dei concredita sunt, aliam viam ineant quam viam intimae coniunctionis apostolatus et suimet sanctificationis? Hac sola ratione hominibus huius temporis et imprimis adversariis Ecclesiae ostenditur, sal terrae et fermentum Christianismi non evanuisse, sed prompta esse atque parata, ut homines hodiernos, dubiis et erroribus, indifferentia et consilii inopia, lassitudine religiosa et Dei alienatione

Ordensstandes und des Laienapostolats hingewiesen, Glaube und Lebensführung in die von Gottes Gesetz geforderte, von der Kirche mit nimmermüdem Nachdruck verlangte Uebereinstimmung zu bringen. Und auch heute wiederholen Wir mit tiefem Ernst: Es genügt nicht, zur Kirche Christi zu zählen, Man muss auch lebendiges Glied dieser Kirche sein — im Geiste und in der Wahrheit. Und das sind nur die, die in der Gnade des Herrn stehen und unausgesetzt in Seiner Gegenwart wandeln — in Unschuld oder in aufrichtiger und tätiger Busse. Wenn der Völkerapostel, das « Gefäss der Auserwählung », seinen Leib unter der Zuchtrute der Abtötung hielt, um nicht, nachdem er andern gepredigt, selbst verworfen zu werden, kann es dann für die übrigen, in deren Hände die Wahrung und Mehrung des Reiches Gottes gelegt ist, einen anderen Weg geben als den der innigsten Verbindung von Apostolat und Selbstheiligung? Nur so wird der Menschheit von heute und in erster Linie den Widersachern der Kirche gezeigt, dass das Salz der Erde, dass der Sauerteig des Christentums nicht schal geworden, sondern fähig und bereit ist, den in Zweifel und Irrtum, in Gleichgültigkeit und geistiger Ratlosigkeit, in Glaubensmüdigkeit und Gottesferne befangenen Menschen der Gegenwart

oppressos, renovent atque reforment ea renovatione ac reformatione spirituali, quarum hodie — sive concedant sive negent — magis egent quam umquam alias. Quod si gens Christiana sese in membris suis omnibus recolligat, omnem spiritum levem et mundanum abiciat, praecepta Dei et Ecclesiae sincere impleat, in amore Dei et efficaci amore proximi fixam sese manifestet: mundo in intima sua constitutione aegrotanti, auxilium quaerenti et manuductionem, exemplo et ductu esse poterit et debebit. Secus ineffabile malum irruet et catastropha omnes descriptiones longe exsuperans.

23 - Omnis vera et stabilis reformatio tandem aliquando prodiit ex sanctuario; ope hominum, amore Dei et proximi ut erant accensi et instigati. Ex prompta magnitudine animi, qua omnem vocem Dei auscultarent et imprimis in semet ipsis exsecutioni mandarent, humili illa certitudine affecti, qua vere vocati discernuntur, illuminatores et reformatores sui temporis gradatim effecti sunt. Ubi studium reformationis non ortum duxit ex puro germine propriae puritatis, sed ut vehemens manifestatio prorupit impetuo-

die seelische Erneuerung und Verjüngung zu bringen, deren sie — ob eingestanden oder geleugnet — dringender bedürfen als je zuvor. Eine sich in allen ihren Gliedern auf sich selbst besinnende, jede Veräusserlichung und Verweltlichung abstreifende, mit den Geboten Gottes und der Kirche ernst machende, in Gottesliebe und tätiger Nächstenliebe sich bewährende Christenheit wird der im tiefsten Grunde kranken, nach Halt und Wegweisung suchenden Welt Vorbild und Führerin sein können und müssen, wenn nicht unsagbares Unglück, wenn nicht ein alle Vorstellungen hinter sich lassender Niedergang hereinbrechen soll.

Jede wahre und dauernde Reform ging letzten Endes vom Heiligtum aus; von Menschen, die von der Liebe zu Gott und dem Nächsten entflammt und getrieben waren. Aus ihrer grossmütigen Bereitschaft heraus, auf jeden Ruf Gottes zu hören und ihn zunächst in sich selbst zu verwirklichen, sind sie in Demut und mit der Selbstsicherheit von Berufenen zu Leuchten und Erneuerern ihrer Zeit herangewachsen. Wo der Reformeifer nicht aus dem reinen Schoss persönlicher Lauterkeit geboren wurde, sondern

sarum passionum, perturbavit, non illuminavit; destruxit, non aedificavit; haud raro initium fuit errorum, qui perniciosiores erant damnis iis, quorum reformatio intendebatur vel praetendebatur. Sane: *Spiritus Dei, ubi vult spirat* (*Ioh.* 3, 8); de lapidibus suscitare potest, qui consiliis ipsius viam praeparent (*Matth.* 3, 9; *Luc.* 3, 8). Eligit instrumenta suae voluntatis secundum propria placita et non secundum placita hominum. Sed Is, qui Ecclesiam fundavit et in spiritu vehementi Pentecostes ad vitam vocavit, non destruit Is fundamenta instituti salutaris, quod ipse voluit. Qui a Spiritu Dei agitur, eo ipso interne et externe debitam exhibet reverentiam Ecclesiae, quae tamquam fructus preciosissimus ex Crucis arbore exorta, dono festivo data est die Pentecostes a Spiritu Dei mundo illi, qui tantopere egebat ductu Altissimi (16).

24 - In vestris regionibus, Venerabiles Fratres, altius in dies voces audiuntur, quae excitant ad Ecclesiam derelinquendam. Inter instigatores saepe eiusmodi inveniuntur,

Ausdruk und Ausbruch leidenschaftlicher Anwandlungen war, hat er verwirrt, statt zu klären; niedergerissen, statt aufzubauen; ist er nicht selten der Ausgangspunkt für Irrwege gewesen, die verhängnisvoller waren als die Schäden, die man zu bessern beabsichtigte oder vorgab. Gewiss — Gottes Geist weht, wo Er will. Er kann sich aus Steinen Wegbereiter seiner Absichten erwecken. Er wählt die Werkzeuge Seines Willens nach eigenen Plänen und nicht nach denen der Menschen. Aber Er, der die Kirche gegründet und sie im Pfingststurm ins Dasein gerufen hat, Er sprengt nicht das Grundgefüge der von Ihm selbst gewollten Heilsstiftung. Wer vom Geiste Gottes getrieben ist, hat von selbst die gebührende innere und äussere Haltung gegenüber der Kirche, der Edelfrucht am Baume des Kreuzes, dem Pfingstgeschenk des Gottesgeistes an die führungsbedürftige Welt.

In Euren Gegenden, Ehrwürdige Brüder, werden in immer stärkerem Chor Stimmen laut, die zum Austritt aus der Kirche aufrufen. Unter den Wortführern sind vielfach solche, die durch

(16) Cf. Encycl. LEONIS XIII *Divinum illud*: *ASS* 29 (1897) pag. 645 et 649-654.

qui munere publico quo gaudent, id pectoribus imprimere conantur, ac si haec desertio Ecclesiae et quae cum ea coniungitur perfidia erga Christum, evidentissimam et summe meritoriam fidei professionem erga praesentem constitueret rempublicam. Velatis et apertis coactionibus, intimidationibus, minitationibus damnorum cum aliorum tum socialium, professionalium, civilium, fides Catholicorum et imprimis quarundam classium magistratuum Catholicorum, pressui subicitur, qui haud aliter iustitiam quam dignitatem humanam offendat. Tota Nostra misericordia paterna et summa Nostra compassio ad eos exit, qui fidem Christi et Ecclesiae, tanto solvere debent pretio. Hic autem eo perventum est, ubi agitur de supremo et ultimo, de vita vel interitu; ubi consequenter fidelibus via heroicae fortitudinis est unica via salutis. Si ad fidelem tentator vel persecutor accedit, incitans eum, ut Iudam secutus Ecclesiam exeat: tali, etiamsi pretium rogaretur ingentium sacrificiorum terrestrium, non nisi verbum Domini obicere potest: *Vade satana*: *scriptum est enim*: *Dominum Deum*

ihre amtliche Stellung den Eindruck zu erwecken suchen, als ob dieser Kirchenaustritt und die damit verbundene Treulosigkeit gegen Christus den König eine besonders überzeugende und verdienstvolle Form des Treubekenntnisses zu dem gegenwärtigen Staate darstelle. Mit verhüllten und sichtbaren Zwangsmassnahmen, Einschüchterungen, Inaussichtstellung wirtschaftlicher, beruflicher, bürgerlicher und sonstiger Nachteile wird die Glaubenstreue der Katholiken und insbesondere gewisser Klassen katholischer Beamten unter einen Druck gesetzt, der ebenso rechtswidrig wie menschlich unwürdig ist. Unser ganzes väterliches Mitgefühl und tiefstes Mitleid begleitet diejenigen, die ihre Treue zu Christus und Kirche um so hohen Preis bezahlen müssen. Aber — hier ist der Punkt erreicht, wo es um Letztes und Höchstes, um Rettung oder Untergang geht, und wo infolgedessen dem Gläubigen der Weg heldenmütigen Starkmutes der einzige Weg des Heiles ist. Wenn der Versucher oder Unterdrücker an ihn herantritt mit dem Judasansinnen des Kirchenaustritts, dann kann er ihm nur — auch um den Preis schwerer irdischer Opfer — das Heilandswort entgegenhalten: « Weiche von mir, Satan, denn es steht geschrieben: den Herrn deinen Gott sollst

tuum adorabis, et illi soli servies (*Matth.* 4, 10; *Luc.* 4, 8). Ecclesiae autem dicet: Tu mater mea inde a diebus infantiae meae, consolatrix vitae meae, advocata mea in moriendi hora, adhaereat lingua mea faucibus meis, si illecebris vel minis terrestribus permotus, vota mea baptismalia tradam. Qui vero existiment, se cum externa Ecclesiae desertione internam Ecclesiae fidem coniungere posse, documento sit severum verbum Salvatoris: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et eum coram Patre meo, qui in coelis est* (*Luc.* 12, 9) (17).

V — *Genuina fides Primatus*

25 - Fides qua credimus Ecclesiam non genuine et pure servatur, nisi fulciatur fide Primatus Romani Pontificis (18). Quo ipso momento Petrus, omnes praeveniens apostolos et discipulos, Christum Filium Dei vivi confessus est, a Christo tamquam responsum et praemium suae fidei et confessionis verbum accepit de Ecclesia Christi, de uni-

du anbeten und Ihm allein dienen ». Zu der Kirche aber wird er sprechen: Du meine Mutter von den Tagen meiner Kindheit an, mein Trost im Leben, meine Fürbitterin im Sterben — mir soll die Zunge am Gaumen kleben, wenn ich — irdischen Lockungen oder Drohungen weichend an meinem Taufgelübde zum Verräter würde. Solchen aber, die vermeinen, sie könnten mit äusserlichem Kirchenaustritt das innere Treuverhältnis zur Kirche verbinden, möge des Heilands Wort ernste Warnung sein: « Wer mich vor den Menschen verleugnet, den werde auch ich vor meinem Vater verleugnen, der im Himmel ist ».

5 - *REINER GLAUBE AN DEN PRIMAT*

Der Kirchenglaube wird nicht rein und unverfälscht erhalten, wenn er nicht gestützt wird vom Glauben an den Primat des Bischofs von Rom. In dem gleichen Augenblick, wo Petrus, allen Aposteln und Jüngern voran, den Glauben an Christus, den Sohn des lebendigen Gottes bekannte, war die seinen Glauben und sein Bekenntnis belohnende Antwort Christi das Wort von dem Bau Seiner Kirche,

(17) Textus ad litteram: *Matth.* 10, 33.
(18) Cf. num. 18 et 21.

ca Ecclesia, aedificanda, et quidem super Petrum petram (*Matth.* 16, 18). Fides igitur Christi, Ecclesiae, Primatus, sancto inter sese nexu coniunguntur. Vera et legalis auctoritas est vinculum unitatis, fons fortitudinis, remedium ruinae et divisionis, cautio futuri; ubique quidem, sed sensu supremo et sublimissimo, ubi — ut unice in Ecclesia accidit —, tali auctoritati repromissa sunt gratia, ductus, invincibile auxilium Spiritus Sancti. Quod si homines, qui ne in fide Christi quidem unius sententiae sunt, vobis ut votum et escam imaginem proponunt ecclesiae germanicae nationalis: scitote eam nil aliud esse nisi negationem unius Ecclesiae Christi; apertam defectionem a praecepto illo missionis, quod Christus toti mundo direxit, cuique unice Ecclesia universalis sufficere et exsecutionem praestare queat. Progressus historicus aliarum ecclesiarum nationalium, earum torpor spiritualis, angustiae et servitus, quibus a dominatoribus terrestribus premuntur, sterilitatem demonstrant, cui omni spe orbati omnes palmites, qui sese a viva vite Ecclesiae separent, ineluctabili certitudine incidunt. Qui talibus abortibus iam inde ab initio vigilanter

der einen Kirche, und zwar auf Petrus dem Felsen. Der Glaube an Christus, an die Kirche, an den Primat stehen also miteinander in einem geheiligten Zusammenhang. Echte und legale Autorität ist überall ein Band der Einheit, eine Quelle der Kraft, ein Gewähr gegen Zerfall und Splitterung, eine Bürgschaft der Zukunft; im höchsten und hehrsten Sinne da, wo, wie einzig bei der Kirche, solcher Autorität die Gnadenführung des Hl. Geistes, Sein unüberwindlicher Beistand verheissen ist. Wenn Leute, die nicht einmal im Glauben an Christus einig sind, euch das Wunsch- und Lockbild einer deutschen Nationalkirche vorhalten, so wisset: sie ist nichts als eine Verneinung der einen Kirche Christi, ein offenkundiger Abfall von dem an die ganze Welt gerichteten Missionsbefehl, dem nur eine Weltkirche genügen und nachleben kann. Der geschichtliche Weg anderer Nationalkirchen, ihre geistige Erstarrung, ihre Umklammerung oder Knechtung durch irdische Gewalten zeigen die hoffnungslose Unfruchtbarkeit, der jeder vom lebendigen Weinstock der Kirche sich abtrennende Rebzweig mit unentrinnbarer Sicherheit anheimfällt. Wer solchen Fehlentwicklungen daher gleich

et inexorabiliter aditum denegat, bene meretur non solum de puritate propriae fidei Christianae, sed etiam de populi sui sana vitalitate.

VI — *Nulla transformatio sacrorum terminorum et conceptuum*

26 - Oculo summopere vigilanti, Venerabiles Fratres, Vobis erit attendendum, ubi conceptus fundamentales religionis suo significato essentiali privantur vel sensu profano transformantur (19).

27 - Revelatio sensu Christiano est verbum Dei ad homines. Hoc idem verbum adhibere ad significandas « insusurrationes » sanguinis et stirpis, vel eradiationes historiae nationalis, quoque modo creat confusiones. Aes tale adulterinum non meretur ingredi in thesaurum linguae fidelis Christiani.

von den ersten Anfängen an sein wachsames und unerbittliches Nein entgegensetzt, dient nicht nur der Reinhelt seines Christenglaubens, sondern auch der Gesundheit und Lebenskraft seines Volkes.

6 - *KEINE UMDEUTUNG HEILIGER WORTE UND BEGRIFFE*

Ein besonders wachsames Auge, Ehrwürdige Brüder, werdet Ihr haben müssen, wenn religiöse Grundbegriffe ihres Wesensinhaltes beraubt und in einem profanen Sinne umgedeutet werden.

Offenbarung im christlichen Sinn ist das Wort Gottes an die Menschen. Dieses gleiche Wort zu gebrauchen für die « Einflüsterungen » von Blut und Rasse, für die Ausstrahlungen der Geschichte eines Volkes ist in jedem Fall verwirrend. Solch falsche Münze verdient nicht, in den Sprachschatz eines gläubigen Christen überzugehen.

---

(19) Periculum abusus terminorum religiosorum in omni regione adest, ubi natio, respublica, status idololatrice divinizatur, cf. num. 12. Eminet in hac arte funesta E. BERGMANN, *Die 25 Thesen der Deutsch-religion: ein Katechismus*, Breslau, 1934. Cf. thes. 4 de fide, 5 de revelatione, 15 de peccato originali, 18 de gratia, 19 de redemptione, 20 de heroicitate cet.

28 - Fides est assensus, quo firmiter verum esse credimus, quod Deus revelavit et per Ecclesiam credendum proponit: *argumentum non apparentium* (*Hebr.* 11, 1). Spes laeta et magnanima, qua quis dubitare nequit de futura sui populi sorte, spes omni homini carissima, totaliter differt a fide sensu religioso accepta. Unam igitur ideam alteri opponere, unam ideam altera surrogare velle et ex hoc titulo postulare, ut quis a Christianis, de veritate religionis suae convictis, tamquam « fidelis » agnoscatur, inanis est lusus verborum et deliberata terminorum mutatio, ne peius dicamus.

29 - Immortalitas sensu Christiano est perduratio hominis post mortem terrestrem et quidem per modum personae individuae — sive in praemium aeternum sive in poenam aeternam. Qui voce immortalitatis nil aliud significare intendit nisi collectivam comperdurationem in proprii populi exsistentia, per tempus indefinitum his in terris prolonganda, falsificat et adulterat veritatem quandam fundamentalem fidei Christianae, labefactat ipsa fundamenta omnis sapientiae religiosae, quae ordinem moralem in universo expostulat. Qui Christianus esse renuit,

Glaube ist das sichere Fürwahrhalten dessen, was Gott geoffenbart hat und durch die Kirche zu glauben vorstellt: « die feste Ueberzeugung vom Unsichtbaren ». Das freudige und stolze Vertrauen auf die Zukunft seines Volkes, das jedem teuer ist, bedeutet etwas ganz anderes als der Glaube im religiösen Sinne. Das eine gegen das andere ausspielen, das eine durch das andere ersetzen wollen und daraufhin verlangen, von dem überzeugten Christen als « gläubig » anerkannt zu werden, ist ein leeres Spiel mit Worten oder bewusste Grenzverwischung oder Schlimmeres.

Unsterblichkeit im christlichen Sinn ist das Fortleben des Menschen nach dem irdischen Tode als persönliches Einzelwesen — zum ewigen Lohn oder zur ewigen Strafe. Wer mit dem Worte Unsterblichkeit nichts anderes bezeichnen will als das kollektive Mitfortleben im Weiterbestand seines Volkes für eine unbestimmt lange Zukunft im Diesseits, der verkehrt und verfälscht eine der Grundwahrheiten christlichen Glaubens, rührt an die Fundamente jeder religiösen, eine sittliche Weltordnung fordernden Welt-

saltem ab ea agendi ratione abstineat, qua vocabularium suae infidelitatis, thesauris linguae Christianae ditare conetur.

30 - Peccatum originale est culpa hereditaria, licet non personalis (20), filiorum Adae, qui in Ada peccaverunt (*Rom.* 5, 12), amissio gratiae et consequenter vitae aeternae, accedente concupiscentia, quam singulus quisque gratia, poenitentia, pugna, conatu morali comprimat et vincat necesse est. Passio et mors Filii Dei mundum a maledictione hereditaria peccati et mortis liberavit. Fides, qua creduntur hae veritates, quae hodie in patria vestra iocis sat vilibus adversariorum Christi perstringuntur, pars est inalienabilis religionis Christianae depositi.

31 - Crux Christi, etsi iam mere nomen multis stultitia et scandalum factum est (1 *Cor.* 1, 23), Christianis manet sacrum signum redemptionis, vexillum magnitudinis et virtutis moralis. In eius umbra vivimus. In eius osculo

anschauung. Wenn er nicht Christ sein will, sollte er wenigstens darauf verzichten, den Wortschatz seines Unglaubens aus christlichem Begriffsgut zu bereichern.

Erbsünde ist die erbliche, wenn auch nicht persönliche Schuld der Nachkommen Adams, die in ihm gesündigt haben, Verlust der Gnade und damit des ewigen Lebens, mit dem Hang zum Bösen, den jeder durch Gnade, Busse, Kampf, sittliches Streben zurückdrängen und überwinden muss. Das Leiden und Sterben des Gottessohnes hat die Welt vom Erbfluch der Sünde und des Todes erlöst. Der Glaube an diese Wahrheiten, denen heute in Eurem Vaterlande der billige Spott der Christusgegner gilt, gehört zum unveräusserlichen Bestand der christlichen Religion.

Das Kreuz Christi, mag auch schon sein blosser Name vielen eine Torheit und ein Aergernis geworden sein, es bleibt für den Christen das geheiligte Zeichen der Erlösung, die Standarte sittlicher Grösse und Kraft. In seinem Schatten leben wir. In seinem Kusse sterben wir. Auf unserem Grabe soll es stehen als Künder unseres

---

(20) In textu italico habetur: *la colpa ereditaria*, propria, *sebbene personale*, di' ciascuno *dei figli di Adamo*.

morimur. In sepulchro nostro stabit ut nuntius fidei nostrae, ut testis spei, qua tendimus in lucem aeternam.

32 - Humilitas in spiritu Evangelii haud aliter ac gratiae divinae imploratio cum dignitatis conscientia, sui fiducia, heroismo optime componuntur. Ecclesia, quae omnibus temporibus usque ad novissima plures confessores ac voluntarios martyres enumerat quam ulla alia societas mentium, ab eiusmodi hominibus de magnitudine heroica et virtute heroica edocenda non est. Levitate ipsa, qua ad nauseam usque superbi novatores illi de humilitate Christiana nugantur, perinde acsi indolem abiectam monstraret atque ignavam, sibimet ipsis ludibrio sunt.

33 - Gratia sensu improprio omne id vocari potest, quod creaturae a Creatore suppeditatur. Gratia vero sensu proprio et Christiano complectitur supernaturalia dona amoris divini, benevolentiam divinam, et eam operationem, qua Deus hominem elevat ad intimam illam communionem vitae divinae, quae in Novo Testamento filiatio Dei vocatur: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater: ut filii Dei nominemur et simus* (1 *Ioh.* 3, 1). Negare nos

Glaubens, als Zeuge unserer dem ewigen Licht zugewandten Hoffnung.

Demut im Geist des Evangeliums und Gebet um Gottes Gnadenhilfe sind mit Selbstachtung, Selbstvertrauen und heldischem Sinn wohl vereinbar. Die Kirche Christi, die zu allen Zeiten bis in die jüngste Gegenwart hinein mehr Bekenner und freiwillige Blutzeugen zählt, als irgendwelche andere Gesinnungsgemeinschaft, hat nicht nötig, von solcher Seite Belehrungen über Heldengesinnung und Heldenleistung entgegenzunehmen. In seinem seichten Gerede über christliche Demut als Selbstentwürdigung und unheldische Haltung spottet der widerliche Hochmut dieser Neuerer seiner selbst.

Gnade im uneigentlichen Sinne mag alles genannt werden, was dem Geschöpf vom Schöpfer zukommt. Gnade im eigentlichen und christlichen Sinne des Wortes umfasst jedoch die übernatürlichen Erweise göttlicher Liebe, die Huld und das Wirken Gottes, durch das Er den Menschen zu jener innersten Lebensgemeinschaft mit Sich erhebt, die das Neue Testament Gotteskindschaft nennt. «Seht, wie grosse Liebe der Vater uns erwiesen hat: Wir heissen

gratia Dei elevari supernaturaliter, idque ob praetextam quandam indolem germanicam, error est, quo aperte bellum indicitur veritati fundamentali Christianismi. Qui gratiam supernaturalem cum donis naturae aequiparat, vim facit thesauro locutionum ipsa religione creato et consecrato. Pastores et custodes populi Dei recte facient, hisce sacrarii spoliationibus et hisce mentalis confusionis conatibus, vigilanter resistendo.

VII — *Doctrina morum et ordo moralis*

34 - In vera et genuina fide, qua in Deum credimus, fundatur generis humani vita moralis (21). Conatus omnes, quibus doctrina morum et ordo moralis a fidei petra solvantur et super agitatam arenam aedificentur canonum humanorum, post longum vel breve temporis spatium individuos et societates conducunt ad interitum moralem. Insipiens, qui in corde suo dicit: « Non est Deus », in viis ambulabit perversitatis moralis (*Ps.* 13, 1). Stultorum ta-

Kinder Gottes, und wir sind es auch ». Die Ablehnung dieser übernatürlichen Gnadenerhebung aus angeblich deutscher Wesensart heraus ist Irrtum, eine offene Kampfansage an eine Kernwahrheit des Christentums. Die Gleichsetzung der übernatürlichen Gnade mit den Gaben der Natur ist Eingriff in den durch die Religion geschaffenen und geweihten Wortschatz. Die Hirten und Hüter des Volkes Gottes werden gut daran tun, diesem Raub am Heiligtum und dieser Arbeit an der Verwirrung der Geister mit Wachsamkeit entgegenzuwirken.

7 - *SITTENLEHRE UND SITTLICHE ORDNUNG*

Auf dem wahren und rein bewahrten Gottesglauben ruht die Sittlichkeit der Menschheit. Alle Versuche, die Sittenlehre und die sittliche Ordnung vom Felsenboden des Glaubens abzuheben und auf dem wehenden Flugsand menschlicher Normen aufzubauen, führen früher oder später Einzelne und Gemeinschaften in moralischen Niedergang. Der Tor, der in seinem Herzen spricht, es gibt keinen Gott, wird Wege der sittlichen Verdorbenheit wandeln. Die

(21) Vide ideas falsas ethicae apud BERGMANN, *l. c.* thes. 17.

lium, qui moralitatem et religionem inter sese separare audeant, legiones hodie numerantur. Non vident vel videre nolunt, eo ipso, quod Christianismus confessionalis, i. e. Christianismus clare circumscriptus, e iuventutis institutione et educatione eiciatur, idemque impediatur, quominus ad vitam socialem et publicam constituendam suum quoque contribuat, vias iniri paupertatis spiritualis et ruinae. Nulla reipublicae coercitio, nulla contentio pure humana, licet in se sublimissima et maxime idealis, diu in hoc permanere poterit, ut vices gerat earum virium motricium, quae omnium ultimae et maxime decisivae, e fide Christi et Dei proveniunt. Quod si homo, ad suprema sacrificia vocatus, ad devovendum semet ipsum ut exiguum ens quoddam bono communitatis, eo auxilio morali privatur, quod ex contemplatione aeterni et divini, ex fide sincera et consolatione plena remuneratoris omnis boni et vindicatoris omnis mali hauritur: sane innumeri ultimatim non eo pervenient, ut officio adhaereant sed officium effugiant. Sincera conscientia observare decem praecepta Dei et praecepta Ecclesiae, — quae ultima nil aliud constituunt nisi directiva, quibus exsecutioni man-

Zahl solcher Toren, die heute sich unterfangen, Sittlichkeit und Religion zu trennen, ist Legion geworden. Sie sehen nicht oder wollen nicht sehen, dass mit der Verbannung des bekenntnismässigen, d. h. klar und bestimmt gefassten Christentums aus Unterricht und Erziehung, aus der Mitgestaltung des gesellschaftlichen und öffentlichen Lebens Wege der geistigen Verarmung und des Niedergangs beschritten werden. Keine Zwangsgewalt des Staates, keine rein irdischen, wenn auch in sich edlen und hohen Ideale, werden auf die Dauer imstande sein, die aus dem Gottes- und dem Christusglauben kommenden letzten und entscheidenden Antriebe zu ersetzen. Nimmt man dem zu höchsten Opfern, zur Hingabe des kleinen Ich an das Gemeinwohl Aufgerufenen den sittlichen Rückhalt aus dem Ewigen und Göttlichen, aus dem aufrichtenden und tröstenden Glauben an den Vergelter alles Guten und Ahnder alles Bösen — dann wird für Ungezählte das Endergebnis nicht sein die Bejahung der Pflicht, sondern die Flucht vor ihr. Die gewissenhafte Beobachtung der zehn Gebote Gottes und der Kirchengebote, welch letztere

dantur normae Evangelii —, singulis hominibus schola incomparabilis est disciplinae mensuratae fortitudinis moralis, firmae educationis ingenii. Schola qua multa rogantur, sed non nimia, cum Deus benevolus, qui ut legislator dicit: « tu debes » (22), gratia sua etiam praestet posse et perficere. Qui virtutes tam profunde animas penetrantes ad vitam moralem efformandam adhibere renuit, immo conscie prohibet, quominus vim suam exerceant in provincia educationis popularis, iniquissimo modo cooperatur ad gentem ac societatem spirituali inedia debilitandam. Ubi doctrinae morales non radicantur in sancta voluntate Dei aeterni et in praeceptis divinis, sed traduntur opinionibus subiectivis, quae mutantur mutante cursu temporum, viribus exitialibus aperiuntur portae omnes. Sic enim via sternitur, ut normae aeternae illae derelinquantur, quibus obiective fundatur doctrina morum, formatur conscientia, excolitur omnis cultura et ratio vivendi: quibus omnibus peccatum committitur contra populi sortem futuram; pec-

nichts anderes sind als Ausführungsbestimmungen zu den Normen des Evangeliums, ist für jeden Einzelmenschen eine unvergleichliche Schule planvoller Selbstzucht, sittlicher Ertüchtigung und Charakterformung. Eine Schule, die viel verlangt; aber nicht zuviel. Der gütige Gott, der als Gesetzgeber spricht: « Du sollst », gibt in Seiner Gnade auch das Können und Vollbringen. Sittlichkeitsbildende Kräfte von so starker Tiefenwirkung ungenützt lassen oder ihnen den Weg in die Bezirke der Volkserziehung gar bewusst versperren, ist unverantwortliche Mitwirkung an der religiösen Unterernährung der Volksgemeinschaft. Die Auslieferung der Sittenlehre an subjektive, mit den Zeitströmungen wechselnde Menschenmeinung, statt ihrer Verankerung im heiligen Willen des ewigen Gottes, in Seinen Geboten, öffnet zersetzenden Kräften Tür und Tor. Die hiermit eingeleitete Preisgabe der ewigen Richtlinien einer objektiven Sittenlehre zur Schulung der Gewissen, zur Veredlung aller Lebensbereiche und Lebensordnungen ist eine Sünde an der Zukunft des

(22) Cf. notissimum illud Kantianum: *du sollst.*

catum cuius fructus amari generationibus mox sequentibus erunt gustandi.

VIII — *Agnitio iuris naturalis*

35 - Nefasta est proprietas huius temporis, quod haud aliter ac doctrina morum, sic etiam fundamenta iuris et iurisdictionis (23), a vera Dei fide et praeceptis Dei revelatis, magis atque magis dissociantur. Imprimis prae oculis habemus ius naturale, quod vocatur, quod digito ipsius Creatoris in tabulis cordis humani conscriptum est (*Rom.* 2, 14 sq.), et a mente sana, non obcaecata peccatis et passionibus, ex tabulis istis legi potest. Ex praeceptis huius iuris naturalis valor moralis omnis iuris positivi a quolibet legislatore conditi, diiudicari potest, et consequenter quatenus polleat vi imperandi constringendique conscientias. Leges humanae, quae iuri naturali adaptari nequaquam possunt, defectu originis laborant, qui nulla coactione, nulla externa vi ac potestate sanari potest. Secundum hanc

Volkes, deren bittere Früchte die kommenden Geschlechter werden kosten müssen.

8 - *ANERKENNUNG DES NATURRECHTS*

Im verhängnisvollen Zug der Zeit liegt es, wie die Sittenlehre, so auch die Grundlegung des Rechtslebens und der Rechtspflege vom wahren Gottesglauben und von den geoffenbarten Gottesgeboten mehr und mehr abzulösen. Wir denken hier besonders an das sogenannte Naturrecht, das vom Finger des Schöpfers selbst in die Tafeln des Menschenherzens geschrieben wurde und von der gesunden, durch Sünde und Leidenschaft nicht verblendeten Vernunft von diesen Tafeln abgelesen werden kann. An den Geboten dieses Naturrechts kann jedes positive Recht, von welchem Gesetzgeber es auch kommen mag, auf seinen sittlichen Gehalt, damit auf seine sittliche Befehlsmacht und Gewissensverpflichtung nachgeprüft werden. Menschliche Gesetze, die mit dem Naturrecht in unlösbarem Widerspruch stehen, kranken an einem Geburtsfehler, den kein Zwangsmittel, keine äussere Machtentfaltung sanieren

(23) Germ.: *des Rechtslebens und der Rechtspflege;* ital.: *del diritto e della sua amministrazione.*

normam etiam iudicandum est de principio: « Ius est, quod prodest populo ». Quae quidem sententia recte intellegi potest, scilicet si supponitur, moraliter illicitum numquam vero populi bono servire posse. Attamen, iam pagani antiqui viderunt, sententiam, ut plene recta censeatur, potius inverso ordine sic esse exprimendam: *Est nihil utile, quod idem non honestum* (24). *Nec quia utile honestum est; sed quia honestum, utile* (Cicero, *De officiis* 3, 30). Quod si praedictum adagium ab hac morum regula solvitur, in vita internationali conducit ad perpetuum statum belli inter varias nationes. Quod verum ad vitam internam singularum nationum attinet, ex confusione utilis et iusti, qua adagium laborat, res fundamentalis perit, hominem scilicet qua personam a Deo iura accepisse, quae strenue vindicari debeant ab omni impetu societatis, quo vel negari vel dissolvi vel infructuosa reddi possint. Qui hanc veritatem transcurat, eum fugit bonum commune ultimatim determinari et cognosci ex ipsa humana natura,

kann. Mit diesem Masstab muss auch der Grundsatz: « Recht ist, was dem Volke nützt » gemessen werden. Zwar kann dem Satz ein rechter Sinn gegeben werden, wenn man unterstellt, dass sittlich Unerlaubtes nie dem wahren Wohle des Volkes zu dienen vermag. Indes hat schon das alte Heidentum erkannt, dass der Satz, um völlig richtig zu sein, eigentlich umgekehrt werden und lauten muss: « Nie ist etwas nützlich, wenn es nicht gleichzeitig sittlich gut ist. Und nicht weil nützlich, ist es sittlich gut, sondern weil sittlich gut, ist es auch nützlich ». Von dieser Sittenregel losgelöst würde jener Grundsatz im zwischenstaatlichen Leben den ewigen Kriegszustand zwischen den verschiedenen Nationen bedeuten. Im innerstaatlichen Leben verkennt er, Nützlichkeits- und Rechtserwägungen miteinander verquickend, die grundlegende Tatsache, dass der Mensch als Persönlichkeit gottgegebene Rechte besitzt, die jedem auf ihre Leugnung, Aufhebung oder Brachlegung abzielenden Eingriff vonseiten der Gemeinschaft entzogen bleiben müssen. Die Missachtung dieser Wahrheit übersieht, dass das wahre Gemeinwohl letztlich bestimmt und erkannt wird aus der Natur des Menschen mit ihrem harmonischen Ausgleich zwischen persönlichem

(24) Germ.: *sittlich gut;* ital.: *moralmente buono.*

in qua iura personalia et obligationes sociales harmonice combinantur, haud aliter ac ex fine societatis, ope eiusdem humanae naturae definiendo. Societas ab ipso Creatore volita est ut medium evolvendi capacitates illas individuales et sociales, quas singuli homines dando et accipiendo fructuosas reddere debent ad proprium bonum et aliorum. Etiam bona illa universaliora et altiora, quae non a singulis sed a sola societate realizari possunt, a Creatore ultimatim volita sunt propter hominem, ut naturaliter et supernaturaliter evolvatur et perficiatur. Qui ab hoc ordine recedit, labefactat columnas, quibus societas innititur, et periculum affert quieti, securitati, immo exsistentiae ipsius reipublicae.

36 - Fidelis iure inalienabili gaudet, ut fidem suam profiteatur eamque formis sibi convenientibus exerceat. Leges, quibus professio vel praxis fidei supprimantur vel molestentur, legi naturali contradicunt.

37 - Parentes religiosi, bene sibi conscii de officio suo, quo ad prolis educationem teneantur, iure potiori et nativo

Recht und sozialer Bindung, sowie aus dem durch die gleiche Menschennatur bestimmten Zweck der Gemeinschaft. Die Gemeinschaft ist vom Schöpfer gewollt als Mittel zur vollen Entfaltung der individuellen und sozialen Anlagen, die der Einzelmensch, gebend und nehmend, zu seinem und aller anderen Wohl auszuwerten hat. Auch jene umfassenderen und höheren Werte, die nicht vom Einzelnen, sondern nur von der Gemeinschaft verwirklicht werden können, sind vom Schöpfer letzten Endes des Menschen halber gewollt, zu seiner natürlichen und übernatürlichen Entfaltung und Vollendung. Ein Abweichen von dieser Ordnung rüttelt an den Tragpfeilern, auf denen die Gemeinschaft ruht, und gefährdet damit Ruhe, Sicherheit ja Bestand der Gemeinschaft selbst.

Der gläubige Mensch hat ein unverlierbares Recht, seinen Glauben zu bekennen und in den ihm gemässen Formen zu betätigen. Gesetze, die das Bekenntnis und die Betätigung dieses Glaubens unterdrücken oder erschweren, stehen im Widerspruch mit einem Naturgesetz.

Gewissenhafte, ihrer erzieherischen Pflicht bewusste Eltern haben ein erstes und ursprüngliches Recht, die Erziehung der ihnen

gaudent, educationem infantium, quos a Deo acceperunt, in spiritu verae fidei et secundum principia eiusdem fidei determinandi. Leges et aliae dispositiones, quae in re scholastica rationem non habeant voluntatis parentum, ipso iure naturali sancitae, vel minis et coactione illam inefficacem reddant, iuri naturali contradicunt, et ratione intima atque ultima immorales sunt.

38 - Ecclesia igitur, electa custos et explicatrix iuris divini naturalis, non potest non declarare inscriptiones scholasticas nuperrime habitas cum evidenti privatione libertatis, nil aliud esse nisi effectum violentiae absque ullo valore iuridico.

IX — *Iuventutis exhortatio*

39 - Ut illius vices gerentes, qui in Evangelio dixit cuidam iuveni: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (*Matth.* 19, 17), ad iuventutem dirigimus verbum speciale paternum.

von Gott geschenkten Kinder im Geiste des wahren Glaubens und in Uebereinstimmung mit seinen Grundsätzen und Vorschriften zu bestimmen. Gesetze oder andere Massnahmen, die diesen naturrechtlich gegebenen Elternwillen in Schulfragen ausschalten oder durch Drohung und Zwang unwirksam machen, stehen im Widerspruch zum Naturrecht und sind im tiefsten und letzten Kern unsittlich.

Die Kirche, die berufene Hüterin und Auslegerin des gottlichen Naturrechts, kann daher gar nicht anders, als die im Zustand notorischer Unfreiheit erfolgten Schuleinschreibungen der jüngsten Vergangenheit als ein Zwangsprodukt zu erklären, dem jeglicher Rechtscharakter abgeht.

9 - *AN DIE JUGEND*

Als Stellvertreter dessen, der im Evangelium zu einem Jungmann gesprochen hat: « Willst du zum Leben eingehen, so halte die Gebote », richten Wir ein besonders väterliches Wort an die Jugend.

40 - Mille linguis auribus vestris hodie evangelium annuntiatur, quod a Patre coelesti revelatum non est. Mille calami addicti sunt servitio pseudochristianismi, qui non est Christianismus Christi. Prelum et radii sonantes per singulos dies vos obruunt productis fidei et Ecclesiae adversis, et seposita omni clementia ac reverentia ea oppugnant, quae vobis sacra ac sancta esse debent.

41 - Scimus multos, multos vestrum ob fidem religionis et Ecclesiae, ob nomina data associationibus ecclesiasticis ipso concordato protectis (25), moestos dies infamiae, suspicionis, ignominiae peregisse atque peragere, crimini laesi amoris patriae vexationibusque professionalibus et socialibus subiectos fuisse et subici hodie. Non ignoramus inter vestra agmina militare multos innominatos milites Christi, qui corde moesto sed capite erecto infaustam sortem non renuant, quorum unica consolatio in cogitatione versetur, se pro nomine Iesu contumeliam pati (*Act.* 5, 41).

Von tausend Zungen wird heute vor euren Ohren ein Evangelium verkündet, das nicht vom Vater im Himmel geoffenbart ist. Tausend Federn schreiben im Dienst eines Scheinchristentums, das nicht das Christentum Christi ist. Druckerpresse und Radio überschütten euch Tag für Tag mit Erzeugnissen glaubens- und kirchenfeindlichen Inhalts und greifen rücksichts- und ehrfurchtslos an, was euch hehr und heilig sein muss.

Wir wissen, dass viele, viele von euch um der Treue zu Glauben und Kirche, um der Zugehörigkeit zu kirchlichen, im Konkordat geschützten Vereinigungen willen düstere Zeiten der Verkennung, der Beargwöhnung, der Schmähung, der Verneinung euerer vaterländischen Treue, vielfacher Schädigung im beruflichen und gesellschaftlichen Leben ertragen mussten und müssen. Es ist Uns nicht unbekannt, wie mancher ungenannte Soldat Christi in euren Reihen steht, der trauernden Herzens, aber erhobenen Hauptes sein Schicksal trägt und Trost allein findet in dem Gedanken, für den Namen Jesu Schmach zu leiden.

---

(25) Concord. art. 31, cf. infra pag. 446.

42 - Hodie, quo nova pericula novique conflictus impendent minitabundi, huic iuventuti dicimus: *Si quis vobis evangelizaverit, praeter id, quod accepistis* — in sinu piae matris, e labiis fidelis patris, ex institutione educatoris Deo et Ecclesiae sincere addicti — *anathema sit* (*Gal.* 1, 9). Quod si respublica organizationem nationalem iuventutis creat, omnibus obligatoriam, certo certius — salvis iuribus associationum religiosarum — ipsis iuvenibus et parentibus, qui de filiis suis rationem reddere debent Deo, ius inalienabile competit exigendi, ut haec organizatio obligatoria ab omni isto processu purgetur, qui spiritui Christianismi et Ecclesiae adversus, usque ad tempora nuperrima, immo usque ad hodiernam horam, parentes fideles conflictibus insolubilibus conscientiae obicit. Nam reipublicae dare non possunt, quod nomine reipublicae exigitur, nisi Deo denegent quod Dei est (26).

43 - Nemini in mentem venit, ut iuventuti germanicae viam obsaepiat, qua conducatur ad actuandam veram uni-

Heute, wo neue Gefahren drohen und neue Spannungen, sagen Wir dieser Jugend: « Wenn jemand euch ein anderes Evangelium verkünden wollte als jenes, das ihr empfangen habt » auf den Knieen einer frommen Mutter, von den Lippen eines gläubigen Vaters, aus dem Unterricht eines seinem Gotte und seiner Kirche treuen Erziehers — « der sei ausgeschlossen ». Wenn der Staat eine Staatsjugend gründet, die Pflichtorganisation für alle sein soll, dann ist es — unbeschadet der Rechte der kirchlichen Vereinigungen — selbstverständlicher und unveräusserlicher Rechtsanspruch der Jungmannen selbst und ihrer für sie vor Gott verantwortlichen Eltern, zu fordern, dass diese Pflichtorganisation von all den Betätigungen christentums- und kirchenfeindlichen Geistes gesäubert werde, die bis in die jüngste Vergangenheit, ja bis in die Gegenwart hinein die gläubigen Eltern in unlösbare Gewissenskonflikte zwingen, da sie dem Staat nicht geben können, was im Namen des Staats verlangt wird, ohne Gott zu rauben, was Gottes ist.

Niemand denkt daran, der Jugend Deutschlands Steine in den Weg zu legen, der sie zur Verwirklichung wahrer Volksgemeinschaft

(26) Cf. *Matth.* 22, 21; *Marc.* 12, 17; *Luc.* 20, 25.

tatem nationalem, ad colendum amorem libertatis, ad servandam inviolabilem fidem patriae. Id Nos aggredimur et aggredi debemus, quod consulto et conscie creantur oppositiones, quibus finis educationis nationalis a fine educationis religiosae solvatur. Et hac de re huic iuventuti adclamamus: Cantate hymnos vestros in gloriam libertatis, sed nolite prae iis oblivisci libertatem filiorum Dei! Ne sinatis, ut nobilitas huius libertatis, quam nulla alia surrogare potest, evanescat in catenis peccati vel pravae sensuum concupiscentiae. Qui hymnum fidelitatis cantat patriae terrestri, is infidelis transfuga Deum, Ecclesiam, patriam coelestem ne tradat! Vobis multum sermocinantur de magnanimitate heroica, quae conscie et false opponitur humilitati et patientiae evangelicis. Cur vos celatur, etiam heroismum exsistere fortitudinis moralis? Conservationem puritatis baptismalis esse actum heroicum, tum in campo religioso, tum in campo naturali laude debita minime privandum? Multum vobis sermocinantur de debilitatibus humanis in historia Ecclesiae apparentibus. Cur vos celantur

führen soll, zur Pflege edler Freiheitsliebe, zu unverbrüchlicher Treue gegen das Vaterland. Wogegen Wir Uns wenden und Uns wenden müssen, ist der gewollte und planmässig geschürte Gegensatz, den man zwischen diesen Erziehungszielen und den religiösen aufreisst. Und darum rufen Wir dieser Jugend zu: Singt eure Freiheitslieder; aber vergesst über ihnen nicht die Freiheit der Kinder Gottes! Lasst den Adel dieser unersetzbaren Freiheit nicht hinschwinden in den Sklavenketten der Sünde und Sinnenlust. Wer das Lied der Treue zum irdischen Vaterland singt, darf nicht in Untreue an seinem Gott, an seiner Kirche, an seinem ewigen Vaterland zum Ueberläufer und Verräter werden. Man redet zu euch viel von heldischer Grösse — in bewusstem und unwahrem Gegensatz zur Demut und Geduld des Evangeliums. Warum verschweigt man euch, dass es auch ein Heldentum gibt im sittlichen Kampf? Dass die Bewahrung der Reinheit des Tauftages eine heldische Tat darstellt, die im religiösen und im natürlichen Bereich der verdienten Wertung sicher sein sollte? Man redet euch viel vor von menschlichen Schwächen in der Geschichte der Kirche. Warum verschweigt man euch die Grosstaten, die ihren Weg durch die Jahr-

actus magnifici, qui Ecclesiae viam per saecula adornant; Sancti, quos procreavit; emolumenta, quae vitalis unio huius Ecclesiae et populi vestri culturae attulit occidentali? Multum vobis sermocinantur de exercitiis corporalibus. Quod si moderate et ex fine debito adhibetur, corporis cultura ac firmamentum iuventuti non prodesse nequit. Sed corporis culturae hodie haud raro provincia tam ampla assignatur, ut neve coeducationis harmonicae corporis et animae, neve culturae debitae vitae familiaris, neve praecepti diei dominicae sanctificandae ratio habeatur. Indifferentia quadam, quae ad despectum proxime accedat, dies dominica illa sanctitate et recollectione privatur, quae nobilissimae traditioni germanicae tantopere congruit. Exspectamus cum firma fiducia ut iuventus catholicae fidei addicta, in sphaera illa molesta, organizationibus obligatoriis reipublicae creata, ius sanctificandi diem dominicum strenue vindicet neve prae cura corporis obliviscatur animae immortalis, ut in pugna adversus malum invicta, immo in bono malum vincere conans (*Rom.* 12, 21), hanc supremam et sanctissimam sibi ambitionem

hunderte begleiteten, die Heiligen, die sie hervorbrachte, den Segen, der aus der lebendigen Verbindung zwischen dieser Kirche und eurem Volke für die abendländische Kulturwelt floss? Man redet zu euch viel von sportlichen Uebungen. Mit Mass und Ziel betrieben, bedeutet die körperliche Ertüchtigung eine Wohltat für die Jugend. Ihrem Betätigungsraum wird jetzt aber vielfach ein Umfang gegeben, der weder der harmonischen Gesamtausbildung von Körper und Geist, noch der gebührenden Pflege des Familienlebens, noch dem Gebot der Sonntagsheiligung Rechnung trägt. Mit einer an Nichtachtung grenzenden Gleichgültigkeit werden dem Tag des Herrn so seine Weihe und Sammlung genommen, wie sie bester deutscher Ueberlieferung entsprechen. Wir erwarten vertrauensvoll von der gläubigen katholischen Jugend, dass sie in der schwierigen Umwelt der staatlichen Pflichtorganisationen ihr Recht auf christliche Sonntagsheiligung nachdrücklich geltend macht, dass sie über der Ertüchtigung des Leibes ihrer unsterblichen Seele nicht vergisst, dass sie sich nicht vom Bösen überwinden lässt, vielmehr durch das Gute das Böse zu überwinden trachtet, dass ihr höchster und

habeat, ut in stadio vitae aeternae bravium accipiat (1 *Cor.* 9, 24 sq.).

X — *Exhortatio sacerdotum et religiosorum*

44 - Speciale verbum agnitionis, confortationis, admonitionis dirigimus ad sacerdotes Germaniae, quibus subordinati ut sunt episcopis suis, in gravibus durisque temporum condicionibus officium incumbit, ut gregem Christi veram viam doceant doctrina et exemplo, devoto labore cotidiano, patientia apostolica. Ne desinatis, filii carissimi et comparticipes divinorum mysteriorum, aeternum et summum Sacerdotem Iesum Christum imitari in cura et amore, quibus sese monstravit bonum Samaritanum. Conservate vosmet ipsos cotidie in vita immaculata coram Deo, in disciplinae et perfectionis studio continuo, in caritate ac misericordia eorum omnium, qui vobis concrediti sunt, prae ceteris periclitantium, infirmorum, vacillantium. Estote duces fidelium, consolatores dolentium, adiutores et consiliarii omnium absque ullo lucri studio. Pericula et

heiligster Ehrgeiz der bleibt, in der Rennbahn des ewigen Lebens den Siegerkranz zu erringen.

10 - *AN DIE PRIESTER UND ORDENSLEUTE*

Ein besonderes Wort der Anerkennung, der Aufmunterung, der Mahnung richten Wir an die Priester Deutschlands, denen in Unterordnung unter ihre Bischöfe in schwerer Zeit und unter harten Umständen die Aufgabe obliegt, der Herde Christi die rechten Wege zu weisen in Lehre und Beispiel, in täglicher Hingabe, in apostolischer Geduld. Werdet nicht müde, geliebte Söhne und Mitteilhaber an den heiligen Geheimnissen, dem Ewigen Hohenpriester Jesus Christus zu folgen in Seiner Samariterliebe und Samaritersorge. Bewähret euch Tag für Tag in makellosem Wandel vor Gott, in unablässiger Selbstzucht und Selbstvervollkommnung, in erbarmender Liebe zu allen euch Anvertrauten, insbesondere zu den Gefährdeten, den Schwachen und Schwankenden. Seid die Führer der Treuen, die Stütze der Strauchelnden, die Lehrer der Zweifelnden, die Tröster der Trauernden, die uneigennützigen Helfer und Berater aller. Die Prüfungen und Leiden, durch die

miseriae, quas populus vester tempore subbellico subiit, non abiere quin animam populi intactam relinquerent. Reliquerunt spasmos amaros internos, pedetentim solummodo sanandos, quorum vera eradicatio unice fieri potest in spiritu caritatis operosae, non quaerentis quae sua sunt. Hanc caritatem, quae armatura indispensabilis est apostoli, summopere in mundo hodierno agitato odiisque discerpto, vobis omnibus a Domino exoptamus et efflagitamus in mensura uberrima. Haec caritas apostolica efficiet, ut obliviscamini vel saltem condonetis multas res amaras easque immeritas, hodie frequentius quam umquam antea vobis contingentes in cursu sacerdotali et apostolico. Sed haec caritas, qua errantium, immo et maledicentium animos intellegere et misericordia afficere conamini, minime secum fert vel secum ferre potest, ut ulla ratione praedicationem, auctoritatem, strenuam defensionem veritatis cedatis eiusque liberam ad vitam realem applicationem. Primum et magis obvium donum pietatis, quod a sacerdote mundo ambienti offertur, adiumentum est veritatis et quidem totius veritatis, delarvatio et refutatio erroris cuius-

euer Volk in der Nachkriegszeit hindurchgeschritten ist, sind nicht spurlos an seiner Seele vorübergegangen. Sie haben Spannungen und Bitterkeiten hinterlassen, die erst langsam ausheilen können, deren echte Ueberwindung nur möglich sein wird im Geiste uneigennütziger und tätiger Liebe. Diese Liebe, die das unentbehrliche Rüstzeug des Apostels ist, zumal in der aufgewühlten und hassverzerrten Welt der Gegenwart, wünschen und erflehen Wir euch vom Herrn in überreichem Masse. Diese apostolische Liebe wird euch viele unverdiente Bitterkeiten, wenn nicht vergessen, so doch verzeihen lassen, die auf euren Priester- und Seelsorgspfaden heute zahlreicher sind als je zuvor. Diese verstehende und erbarmende Liebe zu den Irrenden, ja selbst zu den Schmähenden bedeutet allerdings nicht und kann nicht bedeuten irgendwelchen Verzicht auf die Verkündigung, die Geltendmachung, die mutige Verteidigung der Wahrheit und ihre freimütige Anwendung auf die euch umgebende Wirklichkeit. Die erste, die selbstverständlichste Liebesgabe des Priesters an seine Umwelt ist der Dienst an der Wahrheit und zwar der ganzen Wahrheit, die Entlarvung und Widerlegung des

libet formae, cuiuslibet vestimenti, cuiuslibet fuci. Haec iura cedere non solummodo est tradere Deum sanctamque vestram vocationem, sed etiam peccare in verum bonum populi vestri et patriae. Omnes istos, qui fidem servaverunt Episcopis datam in consecratione sacerdotali, omnes istos, qui ob exercitium officii pastoralis passiones et persecutiones subierunt et subeunt, prosequitur — haud paucos usque in carcerem et castra concentrationis — gratitudo et testimonium Patris populi Christiani.

45 - Easdem gratias paternas tribuimus utriusque sexus religiosis, et corde intimo condolemus cum sorte infausta, qua eorum multi, ob rationes adversas contra religiosorum ordines initas, ex ministeriis salutaribus sibique carissimis electi sunt. Quod si aliqui peccaverint et sese vocatione sua indignos monstraverint, haec eorum delicta, quae etiam vindictae subsunt Ecclesiae, minime minuunt merita infinite plurium, qui absque sui lucro in paupertate voluntaria continuo studio et sacrificio Deo et populo suo serviebant. Zelus, fidelitas, perfectionis studium, caritas ope-

Irrtums, gleich in welcher Form, in welcher Verkleidung, in welcher Schminke er einherschreiten mag. Der Verzicht hierauf wäre nicht nur ein Verrat an Gott und eurem heiligen Beruf; er wäre eine Sünde an der wahren Wohlfahrt eures Volkes und Vaterlandes. All denen, die ihren Bischöfen die bei der Weihe versprochene Treue gehalten, all denen, die wegen Ausübung ihrer Hirtenpflicht Leid und Verfolgung tragen mussten und müssen, folgt — für manche bis in die Kerkerzelle und das Konzentrationslager hinein — der Dank und die Anerkennung des Vaters der Christenheit.

Den katholischen Ordensleuten beiderlei Geschlechts gilt ebenfalls Unser väterlicher Dank, verbunden mit inniger Anteilnahme an dem Geschick, das infolge ordensfeindlicher Massnahmen viele von ihnen aus segensreicher und liebgewonnener Berufsarbeit herausgerissen hat. Wenn einzelne gefehlt und sich ihres Berufes unwürdig erwiesen haben, so mindern ihre auch von der Kirche geahndeten Vergehen nicht die Verdienste der gewaltigen Ueberzahl, die in Uneigennützigkeit und freiwilliger Armut bemüht war, ihrem Gott und ihrem Volk mit Hingabe zu dienen. Der Eifer, die Treue, das Tugendstreben, die tätige Nächstenliebe und

rosa, sedulitas earum religionum, quae operam dant curae animarum vel nosocomiis et scholis addictae sunt, gloriosum contributum attulerunt et afferunt prosperitati privatae et publicae, de quo absque ullo dubio in quiete temporum futurorum maiore aequitate iudicabitur quam in turbine praesenti. Confidimus fore ut moderatores religionum difficultates et tribulationes arripiant, ut duplicato zelo, dilatata oratione, sancto amore vocationis et disciplina vere religiosa, benedictiones novas Omnipotentis novamque fertilitatem duris suis laboribus advocent.

XI — *Exhortatio laicorum fidelium*

46 - Ante oculos nostros habemus magnam illam immensamque turbam filiorum filiarumque fidelium, tribulatione Ecclesiae germanicae et propria tribulatione nulla ratione frustratam, ut plene sese dedicantes causae Dei, tenero amore prosequentes Patrem Christianitatis, perfecte oboedientes Episcopis et Sacerdotibus, promptum servent animum, etiam in futuro - - quidquid adveniet — fidei re-

Hilfsbereitschaft der in Seelsorge, Krankendienst und Schule wirkenden Orden sind und bleiben ein ruhmwürdiger Beitrag zur privaten und öffentlichen Wohlfahrt, dem zweifellos eine spätere, ruhigere Zeit mehr Gerechtigkeit wird widerfahren lassen als die aufgewühlte Gegenwart. Wir haben das Vertrauen zu den Leitern der Ordensgenossenschaften, dass sie die Schwierigkeiten und Prüfungen zum Anlass nehmen, um durch verdoppelten Eifer, vertieftes Gebetsleben, heiligen Berufsernst und echt klösterliche Zucht von dem Allmächtigen neuen Segen und neue Fruchtbarkeit auf ihre schwere Arbeit herabzurufen.

11 - *AN DIE GETREUEN AUS DEM LAIENSTANDE*

Von Unserem Auge steht die unübersehbar grosse Schar treuer Söhne und Töchter, denen das Leid der Kirche in Deutschland und ihr eigenes Leid nichts geraubt hat von ihrer Hingabe an die Sache Gottes, nichts von ihrer zärtlichen Liebe gegen den Vater der Christenheit, nichts von ihrem Gehorsam gegen Bischöfe und Priester, nichts von ihrer freudigen Bereitschaft, auch in Zukunft — komme, was da wolle — dem treu zu bleiben, was sie geglaubt

tinendae, quam inde ab infantia professi, tamquam hereditatem pretiosam a maioribus acceperunt. Iis omnibus commoto animo salutem nostram mittimus paternam.

47 - Prae ceteris autem salutamus socios organizationum ecclesiasticarum, qui strenue et saepe non absque sacrificiis dolorosis, in fide Christi permanserunt, nulla ratione parati ad iura ea sacrificanda, quae sollemni conventione, fide data et accepta, Ecclesiae et ipsis sociis decreta erant (27).

48 - Salutem maxime teneram damus parentibus catholicis, quorum iura et officia, in bonum prolis educandae a Deo provenientia, hoc ipso momento focum constituunt pugnae, qua gravior nulla cogitatur. Absit, ut Ecclesia tunc solum dolere et plangere incipiat, quando videt altaria dirui et templa sacrilegis manibus tradi ignis et flammis. Ubi conamina fiunt, ut tabernacula spiritualia animarum tenerarum, baptismate Deo consecrata, educatione antichristiana profanentur; ut ex istis vivis templis Dei aeterna lampas fidei Christianae eiciatur, quae locum

und von ihren Voreltern als heiliges Erbe erworben haben. Ihnen allen senden Wir aus gerührtem Herzen Unsern Vatergruss.

Allen voran den Mitgliedern der kirchlichen Verbände, die tapfer und um den Preis vielfach schmerzlicher Opfer Christus die Treue hielten und sich nicht bereit fanden, die Rechte preiszugeben, die ein feierliches Abkommen der Kirche und ihnen nach Treu und Glauben gewährleistet hatte.

Ein besonders inniger Gruss ergeht an die katholischen Eltern. Ihre gottgegebenen Erzieherrechte und Erzieherpflichten stehen gerade im gegenwärtigen Augenblick im Mittelpunkt eines Kampfes, wie er schicksalsvoller kaum gedacht werden kann. Die Kirche Christi kann nicht erst anfangen, zu trauern und zu klagen, wenn die Altäre verwüstet werden, wenn sakrilegische Hände die Gotteshäuser in Rauch und Flammen aufgehen lassen. Wenn man versucht, den Tabernakel der durch die Taufe geweihten Kindesseele durch eine christusfeindliche Erziehung zu entweihen, wenn aus diesem lebendigen Tempel Gottes die ewige Lampe des Christusglaubens

(27) Cf. not. 25.

cedat flammis erraticis fidei suppositiciae, cum fide Crucis nil commune habentis: ubi talia fiunt conamina, profanatio spiritualis aedium prope est omnibusque Christum confitentibus officium exoritur, ut conscientias suas a conscientiis adversis clare separent seseque ab omni cooperatione culpabili in re tam nefasta et exitiosa longe remotos habeant. Et quo magis adversarii consilia sua obscura negare et purgare conantur, eo magis vigilans suspicio requiritur et suspiciosa vigilantia, quam amara progenuit experientia. Ubi specietenus conservatur institutio quaedam religiosa, tradita insuper vigilantiae et restrictionibus hominum ad hoc munus minime vocatorum, immo programmati inserta scholastico, quod in aliis disciplinis mentalibus consulto et odiose eidem religioni adversatur: nemo titulo aequo rogare potest, ut fidelis Christianus tali institutioni antireligiosae libere assentiat. Non ignoramus, dilecti parentes catholici, huiusmodi assensus libere a vobis dati ne mentionem quidem fieri posse; non ignoramus suffragium vere liberum et secretum apud vos

herausgerissen und an ihrer Statt das Irrlicht eines Ersatzglaubens gesetzt werden soll, der mit dem Glauben des Kreuzes nichts mehr zu tun hat — dann ist die geistige Tempelschändung nahe, dann wird es für jeden bekennenden Christen Pflicht, seine Verantwortung von der Gegenseite klar zu scheiden, sein Gewissen von jeder schuldhaften Mitwirkung an solchem Verhängnis und Verderbnis freizuhalten. Und je mehr die Gegner sich bemühen, ihre dunklen Absichten abzustreiten und zu beschönigen, um so mehr ist wachsames Misstrauen am Platze und misstrauische, durch bittere Erfahrung aufgerüttelte Wachsamkeit. Die formelle Aufrechthaltung eines, zudem von Unberufenen kontrollierten und gefesselten Religionsunterrichts im Rahmen einer Schule, die in andern Gesinnugsfächern planmässig und gehässig derselben Religion entgegenarbeitet, kann niemals einen Rechtfertigungsgrund abgeben, um einer solchen, religiös zersetzenden Schulart die freiwillige Billigung eines gläubigen Christen einzutragen. Wir wissen, geliebte katholische Eltern, dass von einer solchen Freiwilligkeit bei euch nicht die Rede sein kann. Wir wissen, dass eine freie und geheime Abstimmung unter euch gleichbedeutend wäre mit einem überwäl-

nil aliud manifestare posse nisi plebiscitum, alta voce scholam confessionalem expostulans. Quam ob rem nec in futuro desinemus auctoritati competenti intrepide prae oculis ponere illegalitatem coercitionis hucusque inhibitae graveque officium permittendi electionis libertatem. Interea unum nolite oblivisci. Vinculum quo Deus ita vos cum infantibus coniunxit, ut de iis rationem reddere debeatis, a nulla potestate terrestri solvi potest. Nemo eorum qui hodie ius vestrum ad prolem educandam laedunt vel vos ab eiusmodi officiis absolutos fore praetendunt, nomine vestrum iudici aeterno respondere poterit, quando vos rogabit: Ubi sunt quos tradidi vobis? — Utinam unusquisque vestrum respondere possit: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex iis quemquam* (*Ioh.* 18, 9).

Epilogus

49 - Venerabiles Fratres! Non dubitamus quin verbis, quae in hac hora decisiva ad Vos et per Vos ad Catholicos Regni Germaniae dirigimus, in cordibus et operibus fidelium filiorum Nostrorum ita respondeatur, ut sollicitu-

tigenden Plebiszit für die Bekenntnisschule. Und deshalb werden Wir auch in Zukunft nicht müde werden, den verantwortlichen Stellen die Rechtswidrigkeit der bisherigen Zwangsmassnahmen, die Pflichtmässigkeit der Zulassung einer freien Willensbildung freimütig vorzuhalten. Inzwischen vergesst eines nicht: Von dem gottgewollten Band der Verantwortung, das euch mit euren Kindern verknüpft, kann keine irdische Gewalt euch lösen. Niemand von denen, die euch heute in euren Erzieherrechten bedrängen und euch von euren Erzieherpflichten abzulösen vorgeben, wird an eurer Statt dem Ewigen Richter antworten können, wenn Er an euch die Frage richtet: Wo sind die, die Ich dir gegeben? — Möge jeder von euch antworten können: « Keinen von denen, die Du mir gegeben hast, habe ich verloren ».

* * *

Ehrwürdige Brüder! Wir sind gewiss, dass die Worte, die Wir in entscheidungsvoller Stunde an Euch und durch Euch an die Katholiken des Deutschen Reiches richten, in den Herzen und in den Taten Unserer treuen Kinder das Echo finden werden, das

dini tenerae Patris Communis in votis est. Nullam autem gratiam hac gratia magis instanter a Domino efflagitamus: ut verba Nostra aures quoque eorum attingant et corda eorum ad resipiscendum permoveant, qui iam in eo sint, ut illecebris et minis capiantur adversariorum Christi et sancti Eius Evangelii.

50 - Singula huius Encyclicae verba ponderavimus in statera veritatis simul et amoris. Noluimus silentio inopportuno culpam participare neglectae instructionis, nec nimia severitate culpabiles nos reddere obdurationis cuiusvis eorum, qui curae Nostrae pastorali subiecti sunt, et ad quos nequaquam remissius amor Noster pastoralis extenditur, cum pro tempore vias deambulent erroris et abalienationis. Et licet tales haud pauci, sese habitudinibus novae domus conformantes, de domo paterna et de ipso Patre tantummodo verba proferant infidelitatis, ingratitudinis, immo iniuriae; etiamsi obliviscantur, quid pretiosi dereliquerint: veniet dies, quo horror Dei derelicti et animae denudatae filios istos nunc deper-

der liebenden Sorge des gemeinsamen Vaters entspricht. Wenn Wir etwas mit besonderer Inbrunst vom Herrn erflehen, dann ist es dies: dass Unsere Worte auch das Ohr und das Herz solcher erreichen und zum Nachdenken stimmen, die bereits begonnen haben, sich von den Lockungen und Drohungen derer einfangen zu lassen, die gegen Christus und Sein heiliges Evangelium stehen.

Jedes Wort dieses Sendschreibens haben Wir abgewogen auf der Wage der Wahrheit und zugleich der Liebe. Weder wollten Wir durch unzeitgemässes Schweigen mitschuldig werden an der mangelnden Aufklärung, noch durch unnötige Strenge an der Herzensverhärtung irgend eines von denen, die Unserer Hirtenverantwortung unterstehen und denen Unsere Hirtenliebe deshalb nicht weniger gilt, weil sie zur Zeit Wege des Irrtums und des Fremdseins wandeln. Mögen manche von ihnen, sich den Gepflogenheiten ihrer neuen Umgebung anpassend, für das verlassene Vaterhaus und den Vater selbst nur Worte der Untreue, des Undanks oder gar der Unbill haben, mögen sie vergessen, was sie hinter sich geworfen haben — der Tag wird kommen, wo das Grauen der Gottesferne und der seelischen Verwahrlosung über diesen heute verlorenen

ditos conteret, et desiderium paternae domus eos reducet *ad Deum, qui laetificabat ipsorum iuventutem,* et ad Ecclesiam, cuius materna manuductione viam ad Patrem coelestem didicerant. Hanc horam accelerandam continuo a Deo efflagitamus.

51 - Sicut aliae sic et haec Ecclesiae periodus annuntiabit nova tempora altioris progressus et purificationis internae, si tamen Christi fideles tantopere ad fidem confitendam passionesque subeundas parati sint, ut violentiae externae eorum, qui Ecclesiam persequuntur, opponere queant fidem sinceram et absolutam, spem indelebilem vitae aeternae, caritatem operosam atque omnipotentem. Sacrum tempus Quadragesimae et Paschatis, quo recollectio docetur et paenitentia, oculique fidelium singulari modo convertuntur non solum ad Crucem, sed etiam ad gloriam Redivivi, vobis omnibus et singulis vestrum occasionem laete salutatam laeteque arreptam praebeat, ut totam animam ac mentem impleatis heroico illo spiritu fortitudinis, patientiae, victoriae, qui Christi Crucem circumfulget. Tunc certo certius inimici Ecclesiae, qui suam horam ad-

Söhnen zusammenschlagen, wo das Heimweh sie zurücktreiben wird zu dem « Gott, der ihre Jugend erfreute », und zu der Kirche, deren Mutterhand sie den Weg zum himmlischen Vater gelehrt hat. Diese Stunde zu beschleunigen, ist der Gegenstand Unserer unaufhörlichen Gebete.

So wie andere Zeiten der Kirche wird auch diese der Vorbote neuen Aufstiegs und innerer Läuterung sein, wenn der Bekennerwille und die Leidensbereitschaft der Getreuen Christi gross genug sind, um der physischen Gewalt der Kirchenbedränger die Unbedingtheit eines innigen Glaubens, die Unverwüstlichkeit einer ewigkeitssicheren Hoffnung, die bezwingende Allgewalt einer tatstarken Liebe entgegenzustellen. Die heilige Fasten- und Osterzeit, die Verinnerlichung und Busse predigt und des Christen Blick mehr noch als sonst auf das Kreuz, zugleich aber auch auf die Herrlichkeit des Auferstandenen richtet, sei für alle und jeden von euch freudig begrüsster und eifrig genutzter Anlass, Sinn und Seele mit dem Helden-, dem Dulder-, dem Siegergeist zu erfüllen, der vom Kreuze Christi ausstrahlt. Dann — des sind Wir gewiss

venisse existimant, mox videbunt se praemature iubilasse et praepropere fossorum opus arripuisse. Tunc dies veniet, quo non modo inimici Christi non citius victoriam cantent, sed e labiis Christi fidelium hymnus *Te Deum* ad liberationem glorificandam ad coelos ascendat; hymnus gratiarum in honorem Omnipotentis; hymnus laetitiae, quia populus Germaniae etiam in membris suis nunc errantibus, denuo inivit viam religiosae resipiscentiae, et fide purificata doloribus, genua denuo flectit Regi temporis et aeternitatis Iesu Christo; hymnus laetitiae, quia idem populus denuo sese parat, ut in pugna contra negatores et destructores Occidentis Christiani, una cum omnibus qui bonae voluntatis in aliis nationibus habitant, vocationi oboediat, secundum aeterna Dei consilia ipsi destinatae.

52 - Ipse, qui *scrutatur corda et renes* (*Ps.* 7, 10) nobis testis est, Nos nil ardentius desiderare quam renovationem verae pacis inter Ecclesiam et Statum in Germania. Quod si vero, absque culpa Nostra, pax ventura non est, Ecclesia Dei iura sua ac libertates defendet in nomine Omnipotentis, cuius brachium neque hodie est abbrevia-

— werden die Feinde der Kirche, die ihre Stunde gekommen wähnen, bald erkennen, dass sie zu früh gejubelt und zu voreilig nach der Grabschaufel gegriffen haben. Dann wird der Tag kommen, wo an Stelle verfrühter Siegeslieder der Christusfeinde aus den Herzen und von den Lippen der Christustreuen das *Te Deum* der Befreiung zum Himmel steigen darf; ein *Te Deum* des Dankes an den Allerhöchsten; ein *Te Deum* der Freude darüber, dass das deutsche Volk auch in seinen heute irrenden Gliedern den Weg religiöser Heimkehr beschritten hat, dass es in leidgeläutertem Glauben sein Knie wieder beugt vor dem König der Zeit und Ewigkeit Jesus Christus, und dass es sich anschickt, im Kampf gegen die Verneiner und Vernichter des christlichen Abendlandes, in Harmonie mit allen Gutgesinnten anderer Völker, den Beruf zu erfüllen, den die Pläne des Ewigen ihm zuweisen.

Er, der Herz und Nieren durchforscht, ist Unser Zeuge, dass Wir keinen innigeren Wunsch heben als die Wiederherstellung eines wahren Friedens zwischen Kirche und Staat in Deutschland. Wenn aber — ohne Unsere Schuld — der Friede nicht sein soll, dann wird die Kirche Gottes ihre Rechte und Freiheiten verteidigen im

tum (28). Ipsius spe freti *non cessamus pro vobis orantes et postulantes* (*Coloss.* 1, 9), pro vobis, filiis Ecclesiae, ut dies tribulationum abbrevientur et fideles inveniamini in die tentationis; nec minus pro persecutoribus et oppressoribus, ut Pater omnis luminis et omnis misericordiae iis in via ad Damascum concedat horam illuminationis ad ipsorum salutem et aliorum plurium, qui cum ipsis erraverunt et errant.

53 - Quae cum corde et labiis a Domino imploramus, ut pignus divini adiutorii, ut auxilium deliberationum difficilium, tantopere conscientiam vestram onerantium; ut confortationem in pugna et consolationem in tribulationibus; Vobis, qui potestate episcopali pascitis populos Vestros fideles, sacerdotibus et religiosis, apostolis laicis Actioni Catholicae addictis, et omnibus, omnibus vestris dioecesanis — nec ultimo loco aegrotis et incarceratis — Apostolicam Benedictionem charitate paterna impertimus.

54 - Datum ex aedibus Vaticanis, dominica Passionis, 14 mart. 1937.

Namen des Allmächtigen, dessen Arm auch heute nicht verkürzt ist. Im Vertrauen auf Ihn « hören wir nicht auf, zu beten und zu rufen » für euch, die Kinder der Kirche, dass die Tage der Trübsal abgekürzt und ihr treu erfunden werdet am Tage der Prüfung; und auch für die Verfolger und Bedränger: der Vater alles Lichtes und aller Erbarmung möge ihnen eine Damaskusstunde der Erkenntnis schenken, für sich und all die vielen, die mit ihnen geirrt haben und irren.

Mit diesem Flehgebet im Herzen und auf den Lippen erteilen Wir als Unterpfand göttlicher Hilfe, als Beistand in Euren schweren und verantwortungsvollen Entschliessungen, als Stärkung im Kampf, als Trost im Leid Euch, den bischöflichen Hirten Eures treuen Volkes, den Priestern und Ordensleuten, den Laienaposteln der Katholischen Aktion und allen, allen Euren Diözesanen — nicht zuletzt den Kranken und Gefangenen — in väterlicher Liebe den Apostolischen Segen.

Gegeben im Vatikan, am Passionssonntag, den 14. März 1937.

PIVS PP. XI.

(28) Cf. *Isaiam* 59, 1.

Annotationes

Antequam de encyclicae contentu dicamus, quaedam praenotemus de eius promulgatione et destinatariis.

DE PROMULGATIONE ET DESTINATARIIS ENCYCLICAE

Est autem encyclica, quae germanice incipit a verbis: *Mit brennender Sorge,* italice: *Con viva ansia,* data dominica Passionis, die 14 mart. 1937. In totius Germaniae templis praelecta est fidelibus dominica subsequenti Palmarum, die 21 mart.; feria autem altera hebdomadae sanctae, die 11 mart., lingua germanica simul et italica foras edita est in *l'Osservatore Romano* et tandem officialiter communicata eisdem linguis in *AAS* XXIX (1937) p. 145-188. Quare tum textus germanicus tum italicus authenticus est habendus.

Cum vero encyclicae dirigantur vel ad totam Ecclesiam catholicam vel ad eius partem, in casu rogari potest, num encyclica directa sit ad solos Ecclesiae Germaniae Pastores, vel potius ad universos Ecclesiae Episcopos. Etenim post verba *Ad venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos Germaniae* sequuntur quaedam (1), quae ambigua videntur, scilicet: *et ad alios locorum Ordinarios* (2) *pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.* Suntne *Ordinarii* illi Episcopi totius mundi extra Germaniam residentes vel Ordinarii in ipsa Germania habitantes, non tamen Episcopi residentiales, ut v. g. in comitatu *Glatz* vel in praelatura *Schneidemühl*? Sententiam ultimam esse eligendam, cf. *CIC* can. 198, ni fallor, clare apparet tum ex num. 8 et 49, tum maxime ex pericope finali encyclicae, ubi benedictio apostolica Episcopis et fidelibus impertitur solius Germaniae; deinde ex textu italico, ubi ordine inverso ha-

(1) Vide ordinem inversum in encycl. ad Ep. Mexic., supra p. 299.
(2) Germanice: *Oberhirten.*

betur: *Agli arcivescovi e vescovi e altri ordinari di Germania.* Differt igitur encyclica ab alia ea *Non abbiamo bisogno,* 29 iun. 1931, quae verbis apertis directa est ad omnes totius mundi Episcopos; vide *AAS* XXIII (1931) pag. 285-312.

Licet igitur encyclica directe dirigatur ad solos Ordinarios Germaniae, tamen toti mundo destinata est, ut clare patet ex num. 2.

DE CONTENTO ENCYCLICAE

Quod ad contentum encyclicae attinet, tres partes clare distinguuntur. In *parte prima* agitur de concordato, inter S. Sedem et Regnum Germanicum inito; in *parte altera* exponuntur dogmata fundamentalia religionis et contra modernos quosdam errores defenduntur; in *tertia parte* fiunt exhortationes ad clerum, religiosos, laicos, consolationis plenissimae.

De singulis pauca, quae lectoribus non erunt inutilia.

I

De concordato (1)

Prius quaedam dicam de origine concordati, deinde de ratione cur Romanus Pontifex non absque mentis praeoccupatione concordatum inierit.

De origine et progressu negotiationum haec nota:

1 - Primus gressus ad concordatum ineundum factus est a gubernio Germaniae. Circa festum Paschae (16 apr.) anni 1933 propositum est, ut negotiationes inirentur de concordato concludendo inter S. Sedem et Regnum Germaniae, et quidem ita, ut basis tractationum esset textus ad eundem finem iam praeparatus annis 1921-1922.

(1) Textum concordati vide apud I. M. RESTREPO RESTREPO S. I., *Concordata regnante SS. Domino Pio Pp. XI inita,* Romae (P. U. G.), 1934, pag. 550-619. Vide etiam J. WENNER, *Reichskonkordat und Länderkonkordate,* ed. 3, Paderborn 1937.

2 - Quod gubernium germanicum desiderabat, desiderio quoque erat multis catholicis eminentioribus Germaniae. Etenim post victoriam motus socialistici nationalis iuridica positio Ecclesiae Catholicae in Germaniae Regno iam erat incerta. Concordato autem novo prae ceteris tria erant salvanda: bona omnia provenientia ex concordatis inter annos 1924 et 1932 cum Bavaria, Borussia, Baden conclusis; schola catholica; organizationes denique catholicae, eaeque maxime florentes; quae omnia sine concordatu cum novo regimine manerent absque fundamento stabili.

3 - Negotiationes de ineundo concordato inde a die 29 iun. habuere characterem officialem, et cum Gubernium Germanicum omni sollicitudine instaret, ne res coeptae procrastinarentur, tam feliciter processerunt, ut concordatum die 20 iun. 1933 firmari, die autem 10 sept. ratum haberi potuerit.

Iam de ratione, cur Papa licet anxius pactum novum inierit.

Dicit R. Pontifex se non nisi gravibus anxietatibus superatis ratum habuisse concordatum. Rationes dubitandi erant facta varia, ex quibus non immerito concludendum erat, multa membra factionis socialistae nationalis fuisse Ecclesiae summopere aversa. Hisce autem dubiis opponi potuerunt non absque minori iure haec tria:

1 — Oratio habita a cancellario Regni 23 mart. 1933 in Comitiis Regni (*Reichstag*): gubernium religionem Christianam tamquam fundamentum inconcussum politicae suae habere, ideoque relationes amicas cum S. Sede esse continuandas et excolendas, in scholis quoque et iuventutis educatione influxu conveniente confessionum Christianarum minime excluso. Quae declaratio iam quinque diebus post, 28 mart. 1933, Episcopis Germaniae ratio erat, ut restrictiones antea factas contra politicam culturalem factionis socialistae nationalis removerent, et die 4 iun. in festo Pentecostes communi epistola pastorali fideles exhortarent,

ut sincere cum novo gubernio collaborarent ad prosperitatem Patriae.

2 - Odium publicum, quod Ecclesia assumpsisset, si concordatum, immo concordatum in se valde bonum, inire renuisset. Dissidium enim, absque dubio tunc inter Ecclesiam et Regnum oboriturum, crimini versum esset soli Ecclesiae.

3 - Amor animarum a Christo redemptarum. Melius erat inire concordatum etiam absque spe absolute firma eventus boni, quam tradere fidelium conscientias istis conflictibus acerrimis, qui certissime erant exorituri ex discordio potestatis spiritualis et temporalis.

De laesionibus concordati nobis dicendum non est, praecipue quia, uti ex ipsa encyclica patet, Summus Pontifex in aliud tempus haec facta communicanda sibi servavit. Uti notum est difficultates maiores exortae sunt de articulo 4 (libertas communicationis, qua gaudet S. Sedes erga episcopos, clerum, fideles), de articulo 5 (protectio, qua gaudent ecclesiastici in exercitio ministerii sacerdotalis), et, ut elucet ex ipsa encyclica, de articulis 21-24 (instructio religiosa et quaestio scholaris), de articulo 31 (associationes catholicae religiosae, culturales, charitativae).

II

Dogmatum fundamentalium expositio

Bene notandum est, non quaestionem iuridicam de concordato laeso, sed quaestionem dogmaticam, teste ipso Pontifice, scopum principalem esse huius encyclicae.

Successive agit R. Pontifex de Deo, de Iesu Christo, de Ecclesia, de Primatu; quibus peractis notiones revelationis, fidei, immortalitatis, peccati originalis, crucis, humilitatis, gratiae, defendit contra adulterationes quasdam recentes; ut tandem ordini morali et iuri naturali suum locum tribuat etiam in re nationali, immo et internationali.

Nil novi docet Pontifex, sed gravissimis verbis inculcat fidem Dei non sine fide Christi, fidem Christi non sine fide Ecclesiae, fidem Ecclesiae non sine fide Primatus incorruptam servari posse, dum mira diluciditate res fidei et morum contra recentes oppugnatores collocat in tutum. Ad meliorem tamen rei intellegentiam quaedam disseram de adversariis contra quos agit Papa, quibus peractis pauca addam de quibusdam punctis specialibus.

ERRORES RECENTES

Errores, quibus sese opponit Christi Vicarius, comprehendi possunt verbo: *motus novae religionis germanicae* seu *deutschreligiöse Bewegung* (1).

Procedit autem hic motus ex uno principio: stirpes scilicet gentium (*Rasse, razza*) constituere fontem omnis religionis: tot igitur religiones esse quot stirpes gentium. Attamen in errore hoc fundamentali applicando clare distingui possunt duo alvei fluviales: alter *pseudo-Christianus*, alter *pseudo-religiosus* simpliciter.

Prior ramus hoc sibi speciale habet, quod elementa quaedam Christiana retinet quidem, attamen ea transformat secundum principia *stirpis* et *nationis*. Paucis: vult religionem Christianam germanizare secundum principia religionum antiquarum septemtrionalium. Hac de causa nuncupatur *Deutsch christliche Bewegung* seu *Motus germanico-christianus*, eius autem scopus *Aufnordung des Christentums* seu *septemtrionizatio Christianismi*. Extremiores — variae eorum sunt organizationes — docent religionem Christi ab omnibus elementis stirpis alienae esse

(1) Cf. K. ALGERMISSEN, *Germanentum und Christentum*, Hannover, 1935 pag. 348-349, ubi pag. 349 in nota prima uberior indicatur bibliographia; idem auctor in *Lex. für Theol. und Kirche* III col. 259-263 subsidia litteraria dat usque ad annum 1931 producta; C. GROEBER, Archiep. Friburg.-Brisg., *Handbuch der religiösen Gegenwartsfragen*, Freiburg i. Br., 1937, ubi, inter alia ad rem spectantia, pag. 122-131 art. *Deutschreligiöse Bewegung*. Auctores praedicti notant quoque, quomodo motus novi religiosi Germaniae sese habeant ad ideas SCHOPENHAUER, RICH. WAGNER, GOBINEAU, H. ST. CHAMBERLAIN, FEL. DAHN, NIETZSCHE. Quibus addatur HEGEL et eius schola.

purgandam. Iesum enim non ex stirpe Iudaica, sed Arica fuisse. Notiones autem peccati, redemptionis, gratiae, iustificationis, charitatis Christianae, a PAULO, Iudaeo illo, in religionem Christianam introductas esse, et sic ipsam Christi mentem fuisse depravatam. Moderatiores, inde ab anno 1933 coniuncti in nota illa et fortissima unione, quae *Motus Christianorum germanicorum* seu *Glaubensbewegung der Deutschen Christen* nuncupatur, recenter Novum Testamentum et sub quibusdam quoque condicionibus etiam Vetus Testamentum, atque notiones peccati, redemptionis et operum misericordiae comprobaverunt.

Magis autem radicalis quam motus hic pseudo-christianus alius ille est, quem dixi simpliciter pseudo-religiosum. Vocatur *Deutsch-g l a ü b i g e Bewegung* sive *Deutsche Glaubensbewegung*, id est *Motus f i d e i germanicae*. Huius sectae auctores principaliores sunt E. BERGMANN, professor universitatis Lipsiensis, et ALFR. ROSENBERG, cui notus dux iuventutis germanicae, BALDUR VON SCHIRACH, die 5 nov. 1934, Berolini publice in palatio Borussorum (*Preussenhaus*) hoc testimonium dedit: « Via Rosenbergiana est via iuventutis germanicae ».

Auctore BERGMANNIO, reiectis omnibus principiis Christianis, stirps ipsa est Deus: « Quid est sanctum? patria nostra. Quid aeternum? populus noster. Quid divinum? quod formandum aggredimur » (1). Si credis ROSENBERG, non Deus sensu Christiano, sed anima, stirpis virtute compenetrata (*die rassengebundene Seele*), norma ultima est omnium rerum ac valorum. Hac de causa religio cedere debet fidei mythicae. Et cum stirps septemtrionalis sit omnium nobilissima — *Die nordische Rasse ist Edelrasse* — omne, quod est nobile et praeclarum in historia atque cultura humanitatis, ex ea necessario processit. Lex igitur fun-

(1) Cf. *Die 25 Thesen der Deutschreligion*, Breslau 1934; *Deutschland, das Bildungsland der neuen Menschheit*, ibidem 1933; *Die deutsche Nationalkirche*, ibidem 1933; *Die natürliche Geisteslehre*: System einer deutsch-nordischen Weltsinndeutung, Stuttgart 1937.

damentalis ethica sit cultura (*Züchtung*) huius stirpis, cum in stirpe et sanguine, id quod divinum est in homine, vivat. Magiam syriacam africanam servire Deo Iahve supramundano; conscientiam autem hereditariam septemtrionalem postulare non solum similitudinem sed ipsam identitatem animae cum Deo vivente. Conscientiam peccati nil aliud esse nisi affectum degenerationis stirpicae (*physische Bastardierung*). Haud aliter autem ac religionem etiam ipsum ius et ordinem moralem ex sanguine exoriri, cum iustum sit quod viri arici iustum declarant. Vetus Testamentum, crucem et redemptionem esse respuenda. Christum *heroem aricum* fuisse. Ecclesiam et papatum solum risui esse posse (2).

Motui fidei germanicae proxime accedit quoque *Liga Tannenbergiana* generalis LUDENDORFF, cuius scripta plausu accipiuntur ab atheis Russiae.

Ex praedictis luce clarius apparet, cur Pontifex principia summopere fundamentalia, immo et ipsam legem naturalem, exponere et in tuto collocare debuerit, nec minus varias notiones religiosas contra negationes, vel quod forsitan peius est, contra deformationes pseudo-christianismi et pseudo-religionis defendere.

CAPITA QUAEDAM DOCTRINALIA

Uti iam dixi, finis huius encyclicae minime est quaestiones dogmaticas difficiliores enodare, sed clare proponere fundamenta fidei catholicae. Ad tres tamen quaestiones lectores animum advertant velim, quarum prima est de valore Veteris Testamenti, altera de sanctitate Ecclesiae, tertia de fine societatis civilis.

---

(2) Cf. *Der Mythus des* 20 *Jahrhunderts*, München (anno 1935 iam 350.000 exemplaria); *An die Dunkelmänner unserer Zeit*, ibidem (anno 1935 iam 500.000 copiae). — Egregiam refutationem, quae mirabile dictu videtur necessaria, apud A. KOCH, *Studien zum Mythus des XX Jahrhunderts*, Köln, ed. prima 1934; quarta 1935. Vide etiam *Stimmen der Zeit* 128 (1934-1935) pag. 73-87.

De libris Veteris Testamenti

De libris Veteris Testamenti haec docentur:

1 - Sunt *toti* verbum Dei, pars organica revelationis divinae.

2 - Quia tota revelatio gradatim perfecta est, revelatio in libris Veteris Testamenti sese habet ad revelationem Novi Testamenti, ut crepusculum ad gloriam solis.

3 - Libri historici et legales Veteris Testamenti natura sua debent reflectere in multis rebus particularibus imperfectiones, debilitates, praevaricationes humanas. Nobis narrant, quomodo in ipso populo electo Spiritus Dei pugnaverit contra spiritum mundi.

4 - Defectus isti nobis narrantur, ut ex recessu obscuro imaginis depictae eo clarius eluceat oeconomia divina, triumphans de peccati tenebris.

5 - Si libri Veteris Testamenti leguntur in luce oeconomiae divinae, valorem ingentem continent paedagogicum.

6 - Deo maledicit, qui historiam biblicam ex Ecclesia et schola vult eicere.

7 - Licet doctrina Veteris Testamenti nondum attingat perfectionem evangelicam, tamen sapientia, qualis docetur in libris Antiqui Foederis — ni fallor hic agitur de arte honeste et religiose vivendi, tantopere splendente in libris sapientialibus — a Deo procedit et summe est aestimanda.

8 - Reiectio Veteris Testamenti necessario perducit ad negationem Christi, qui ex populo ipso Iudaico secundum carnem exortus et a prophetis continue praedictus et depictus, terminus ultimus est illius oeconomiae salutaris, quae in Antiquo Foedere gradatim clarius evolvitur.

9 - Reiecta Vetere Lege prorsus intellegi nequit sacrificium Crucis, redemptio, et lex Nova, in quam Lex Antiqua desinit esse ut imperfectum in supremam suam perfectionem.

Quamquam praedicta omnia a Papa statuuntur ad detegendos et reiciendos modernos Manichaeos, tamen suo momento non carent pro fidelibus ipsis et sacerdotibus in praxi pastorali. Haud paucis enim in regionibus exoritur desiderium quoddam, in dies continuo crescens, legendi totam Sacram Scripturam, non exclusis Veteris Testamenti libris, maximopere apud laicos, excultos quos vocant, qui eheu religiose haud raro sunt mediocriter, ne plus dicam, exculti. Eis autem, qui debita cultura religiosa carent, lectionem Veteris Testamenti periculo esse posse, nemo lectorum est, qui nesciat. Quare Papa non simpliciter docet in scholis et Ecclesia legendum esse ipsum Vetus Testamentum, sed potius commendat Historiam Biblicam. Ubi autem adest cultura debita religiosa, ne ibi quidem lectura Bibliae integrae semper absque inconvenientia est. Sunt enim, qui adeant libros sacros magis e curiositate quadam carnali, quam ex desiderio instructionis *religiosae*. Quonam vero spiritu Biblia legenda sit, ut quis in re religiosa progrediatur, ex iis quae exponit Papa, clare elucent. Id sit regula generalis: lecturam librorum sacrorum eo magis conducere ad profectum spiritualem, quo magis leguntur in eodem spiritu, in quo conscripti sunt. Cf. quae scripsi hac de re in *Apologetisch Leven* 13 (1936) pag. 21-33, adductis documentis pontificiis variis.

De sanctitate Ecclesiae

De sanctitate vero Ecclesiae haec notata habeas:

Quod ad ipsam vitam internam Ecclesiae spectat, nulla pagina encyclicae gravior est ea, quae tractat de Ecclesiae sanctitate eiusque obscuratione dolorosa per defectus humanos humanosque nimis. Haec statuuntur:

1 - Licet Ecclesia habeat missionem divinam, agit inter homines et per homines. A. v. membra Ecclesiae sunt homines, ministri Ecclesiae seu eius organa sunt homines.

2 - Quia omnes homines peccato sunt obnoxii, hac de causa apud membra invenitur oppositio inter fidem et

vitam, apud ministros oppositio inter praedicationem et opera.

3 - Quam ob rem etiam in Ecclesia necessaria est sincera conscientiae examinatio, inexorabilis purificatio, efficax renovatio cordis et operum.

4 - Hoc valet pro membris ut membris. Nam non sufficit ad vitam aeternam consequendam ut quis sit membrum Ecclesiae, sed membrum sit vivum oportet, i. e. caritate Christo coniunctum.

5 - Hoc valet modo singulari de sacerdotibus, religiosis, sociis Actionis Catholicae. Nam si apostolatus non intime unitur cum sanctificatione individuali: forte, cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi fiunt; apostolatus privatur fertilitate; ipsa missio divina Ecclesiae obscuratur.

6 - Attamen, licet in Ecclesia sint peccatores, eorumque numerus magnus esse possit, ex altera tamen parte apparet ingens thesaurus virtutis, immo virtutis heroicae, ut maneat Ecclesiae sanctitas nota eximia.

7 - Ipsa Ecclesia qua talis omni culpa vacat, cum numquam desinat filios suos et ministros admonere ac corrigere. Et quia ministri Ecclesiae qua tales non nomine suo praedicant, regunt, sanctificant, sed nomine ipsius Ecclesiae ex divina missione, eorum auctoritas non pendet a personali ipsorum sanctitate.

8 - Pessime faciunt ii, qui ex defectibus nimis humanis Ecclesiae quaestum faciunt, immo quaestum sordidum.

Dixerit quis: nonne Ecclesia est Sponsa Christi sine macula et ruga? nonne Ecclesia est Corpus Christi gloriosum? Estne aliud Sponsa Christi et Corpus Christi, aliud visibilis illa societas, quae regitur a Christi Vicario?

Minime gentium! Sed bene distinguenda viatorum et beatorum Ecclesia, seu Ecclesia eadem prout in via et in termino.

Sponsa sine macula et ruga in sua perfectione absoluta est Sponsa caelestis Agni, de qua *Apoc.* 21, 2-9 et 22, 17. Est quidem Ecclesia, prout virgo et mater est, etiam hic in terra sine macula et ruga, si eam consideramus ratione Sacramentorum, quibus procreat et nutrit filios, nec minus ratione fidei suae immaculatae et intemeratae; non autem sine macula est ratione suorum infantium. Hac de re S. Augustinus in libro *Retract.* 2, 18 dicit se in septem libris *de Baptismo* saepius commemorasse Ecclesiam non habentem maculam aut rugam; sed illud non accipiendum esse, quasi iam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim, i. e. hisce in terris, propter quandam ignorantiam et infirmitatem membrorum suorum eam habere, unde cotidie dicat: *Dimitte nobis debita nostra.*

Ratio igitur, cur hac in terra Sponsa nondum sit perfecte immaculata, est in peccatis fidelium. Et addit doctor Hipponensis, hac de re *totam* Ecclesiam confiteri culpam. Considerat enim S. Doctor totam Ecclesiam ut virginem sanctam et castam, in qua tamen concupiscit caro adversus spiritum. Concupiscit autem in ea caro adversus spiritum ob peccata membrorum Ecclesiae; concupiscit in ea spiritus adversus carnem, quia Sponsa haud aliter ac Sponsus caelestis concupiscentiam membrorum morbidorum non amat, sed reprimit. Inde dolet Sponsa de mala in membris suis concupiscentia, sibi tamen ut Sponsae summopere involuntaria et ingrata; et licet maculata sit, manet sanctissima.

Haud aliter dicendum de Corpore Christi mystico. Summe gloriosum erit illud Corpus in visione beata. Sed ratione militiae terrestris Corpus Christi res simul perfectissima est et imperfecta. Est res perfectissima: nam Ecclesia habet Christum Caput et Spiritum Christi animam; virtute organizationis sibi propriae sincere exprimit Christum Salvatorem in omnibus ipsius muneribus et functionibus;

membris suis omnia praestat ad salutem necessaria; opus Capitis perenne reddit fide intemerata, legibus sanctissimis, gratiae fontibus uberrimis. — Ex altera parte tamen Corpus Christi in terris res nondum plane perfecta est, non solum ratione corporis, sed etiam ratione Capitis et Animae. Caput quidem Christus est: sed Caput illud sese solum visibiliter demonstrat in vicario et sub speciebus eucharisticis. Influit quidem, sed nondum influxu pleno visionis et gloriae. Anima quidem est Spiritus Christi cum uberrimis gratiis, donis, charismatibus; sed nondum effusione illa vitalissima, quae unice habetur in termino. Organa quidem omnia sunt a Christo instituta vel remote ex eius voluntate exorta; eorum tamen operatio fructuosa coarctatur plasmate humano, ex quo componuntur. Membra quidem membra Christi sunt, sed non omnia Christo plane subiecta, cum etiam in Corpore Christi caro concupiscat contra Spiritum. Membra quidem Spiritu Christi vivificantur, sed non omnia vivificatione perfecta illa, qua sana membra corporis constituuntur. In toto quidem Corpore regnat Christus sed nihilominus in eo adhuc regnat mors, sequela peccati. Vincit quidem Christus in Corpore suo mundum et diabolum, sed eo solo, quod Corpus debet in sese complere, quae desunt passionum Christi. Unum quidem et unicum Corpus Christi est, sed unice per amputationem continuam membrorum putridorum. Sanctum quidem est corpus Christi etiam in membris, sed unice quatenus Christus Caput, Augustino testante *In Psalm.* 85, 5, continuo recipit, flagellat, mundat, consolatur, creat, vocat, revocat, corrigit, redintegrat. Licet inaesthetica sit imago Augustini Corpus Christi in terris claudicat. Nec igitur mirum Caput in caelis continuo interpellare pro Corpore, quod acquisivit sanguine suo.

Quae omnia olim praedicata sunt a Patribus, et etiam hisce nostris temporibus praedicanda sunt, ne fideles multorum peccatis defectionibusque scandalizentur. Cf. quae

scripsi in libro *Corpus Christi quod est Ecclesia,* Romae (P. U. G.), 1937 pag. 44-45, 122-129, 138-139.

In multis regionibus hodiedum exoriuntur apostoli, haud raro laici, qui praedicant reformationem Ecclesiae in organis et membris. Difficile autem est semper et statim apostolos a pseudo-apostolis distinguere. Hac de causa Pontifex notas paucas addit, quibus veri reformatores statim possint cognosci.

1 - Excellunt amore Dei et hominum.

2 - Incipiunt reformationem a semet ipsis.

3 - Sunt humiles.

4 - Amant summopere Ecclesiam, et reverentiam et oboedientiam exhibent auctoritati Ecclesiasticae.

Qui autem hisce notis carent, perturbant, non illuminant; destruunt, non aedificant.

De fine societatis civilis

De fine societatis civilis, haec proponit Papa, contra tendentias recentiores totalitarias.

1 - Homo est persona, et qua persona gaudet iuribus quibusdam, immediate a Creatore datis; quae iura ergo a republica *a* - negari non possunt, *b* - solvi non possunt, *c* - frustrari non possunt in exercitio. Licet igitur Pontifex non neget exercitium horum iurium a republica restrictionibus quibusdam limitari posse, cf. litt. apost. ad Episc. Mexic. n. 22 supra pag. 311 et 335: tamen restrictiones istae tales esse nequeunt, ut practice ipsum ius tota sua efficacitate et usu privetur.

2 - In ipsa hominum natura non solum fundantur et elucent iura personalia, sed etiam obligationes sociales, cum in eadem natura non tantum adsint capacitates, exigentiae, et tendentiae individuales, sed etiam sociales.

3 - Bonum commune et finis reipublicae ultimatim cognosci et determinari nequit, nisi ex naturali illa constitu-

tione hominis cum elementis suis et individualibus et socialibus harmonice iunctis.

4 - Ex illa destinatione apparet finem societatis ultimatim in eo consistere, ut eas creandas curet condiciones, in quibus homo ad plenam suam perfectionem tendere possit, tum accipiendo, tum dando. Aliis verbis: respublica eam debet creare sphaeram, in qua homo non solum accipiendo bona a societate, sed etiam offerendo capacitates suas in bonum commune et aliorum (cf. parentes, medicos, ludimagistros, milites, magistratus) ad altiorem perfectionem facilius pervenire queat.

5 - Quia finis societatis ultimatim subordinatur fini ultimo hominum, ut personae sunt, etiam bona culturalia altioris ordinis, quae nisi ex sociali collaboratione provenire non possunt (ut legislatio, scientia, industria, ars cet.) ab ipso Creatore fini ultimo hominis, ut persona est, subiecta sunt.

6 - Bona ea culturalia igitur finem habeant oportet perfectionem hominum; ratione sui media sunt ad progressum naturalem, et simul condiciones creant, ut homo melius pervenire possit ad perfectionem supernaturalem. De lege enim ordinaria, vita supernaturalis ibi florere nequit, ubi homo naturali sua condicione digne vivere non potest.

7 - Etiam Ecclesia, ut societas perfecta visibilis, non est finis sui, sed cum ipsa Ecclesia, tum bona supernaturalia quae ab ea fidelibus praestantur, sunt ad maiorem perfectionem supernaturalem hominum.

8 - Reicienda est igitur ea doctrina totalitaria societatis, quae societatem sibi finem facit, et contendit naturam hominis cognosci et determinari debere ex natura societatis, et non vice versa.

Cf. Fr. Huerth, *Totalitätsforderung und Totalitätsgesetz* in *Scholastik* X, 3 (1935) pag. 321-339; S. Tromp, *Totaliteit en Totaliteitsbeginsel* in *Verslagboek elfde Limb. Soc. Studieweek*, 1935, pag. 28-42 et *Actio Catholica in Republica*

Christiana in *Periodica* 25 (1936) pag. 89*-99*. Vide etiam Encycl. *de Communismo atheo* n. 29-33, supra pag. 243-245.

De exhortationibus paternis

Exhortationes illae ulteriore declaratione non indigent, quippe quae facillime capiuntur, praesertim si leguntur in luce eorum, quae singulis diebus nobis narrant ephemerides. Deinde facilius ea explicantur, quae ex cerebro originem ducunt, quam quae procedunt ex corde. Et forsan numquam Encyclica conscripta est, in qua tantopere sentimus dolorosam emotionem cordis Patris communis fidelium, quam ea quae incipit a verbis istis tam significativis: *Mit brennender Sorge.*

SEB. TROMP, S. I.

51 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Rescriptum 13 februarii 1937

DE SEPULTURA PERSONAE CATHOLICAE IN COEMETERIO ACATHOLICO

(*Wiener Diözesanblatt* 1936, p. 75) (1)

Suprema S. Congregatio Sancti Officii respondit circa quaestionem sepulturae personae catholicae in coemeterio acatholico prolatam a Revmo Ordinario Olomucensi litteris de die 21 martii 1936, Num. 1711/35, uti sequitur:

« In Congregatione Generali Feriae IV, diei 13 februarii 1936, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres, perpenso dubio ab Excellentia Tua Rev.ma proposito, utrum nempe liceat sepelire in coemeterio acatholico ritu catholico et per ministrum catholicum personam catholicam quae ex pietate erga acatholicos parentes, propinquos aut amicos petat, aut ex alio fine honesto, decreverunt: Tumulationem catholici in coemeterio acatholico non esse permittendam,

(1) Invenitur Rescriptum apud *Archiv für Katholisches Kirchenrecht*, CXVI (1937) 3-4, p. 497.

multo minus cum adsistentia ministri catholici et ritibus sepulturae ecclesiasticae.

Mens est autem huius Supremae S. Congregationis ut rite fideles doceantur circa doctrinam et disciplinam Ecclesiae in hac re ». (Acta Curiae Episcopalis Brunensis N. 5100/6 1936).

ANNOTATIO

Doctrina et disciplina Ecclesiae ad quam *mens* S. Cong. Sancti Officii refert, continetur in can. 1205 secundum cuius praescriptum cadavera fidelium in *coemeterio benedicto* sepelienda sunt. Non licet igitur sepelire personam catholicam in ullo coemeterio quod non sit ritu catholico benedictum.

Unica exceptio in canone 1206 § 3 habetur quando propter leges iniquas catholici sepeliri debent in coemeteriis civilibus in quibus nullum spatium catholicis est reservatum et benedictum. In hoc casu singuli tumuli toties quoties benedici possunt et debent et sepultura ritu catholico et per ministrum catholicum fit. Hic vero casus in necessitate communi fundatus, ad coemeterium acatholicum propter rationes mere privatas pietatis aliusve causae honestae extendi non potest.

A. E., S. I.

52 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 26 maii 1937

DE NOVIS CULTUS SEU DEVOTIONIS FORMIS NON INTRODUCENDIS DEQUE INOLITIS IN RE ABUSIBUS TOLLENDIS

(*AAS* XXIX (1937) p. 304 s.)

Iam olim Sacrosancta Tridentina Synodus (Sess. XXV, *De invocat., venerat. et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus*), praemissa declaratione de legitimitate cultus Sanctorum et usus eorum imaginum ad beneficia a Deo impe-

tranda, sollemniter monebat, ut, si quos forte in has sanctas et salutares observationes abusus irrepere vel irrepsisse comperissent, solerter curarent Episcopi eos prorsus aboleri, ita ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuerentur; omnis superstitio in Sanctorum invocatione et imaginum sacro usu tolleretur; omnis turpis quaestus eliminaretur; ac nihil demum inordinatum aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareret.

Hisce praescriptionibus inhaerentes, officio non defuerunt Romani Pontifices eas, data occasione, ad memoriam identidem revocandi earumque plenam observantiam inculcandi. Ex his praesertim sanctae recordationis Pius Pp. IX, per Decretum Sancti Officii latum die 13 ianuarii 1875, suprema Sua auctoritate, mandavit « monendos esse scriptores qui ingenia sua acuunt super argumentis quae novitatem sapiunt ac, sub pietatis specie, insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant ac perpendant periculum, quod subest, pertrahendi fideles in errorem etiam circa Fidei dogmata et ansam praebendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati ».

Haec autem in Codicem Iuris Canonici, iisdem pene verbis, canonibus praesertim 1259, 1261 et 1279 demum relata, novissime confirmata sunt.

Dolendum tamen est tot tamque gravibus Supremae Auctoritatis Ecclesiasticae monitionibus atque iniunctionibus non plene hucusque obtemperatum esse. Quin immo neminem iam latet novas huiusmodi cultus et devotionis formas, nonnumquam ridiculas, plerumque aliarum similium iam legitime statutarum inutilem imitationem vel etiam contaminationem, his potissimum postremis temporibus, pluribus in locis, acatholicis maxime mirantibus acriterque obtrectantibus, in dies multiplicari atque inter fideles latius propagari.

Iterum igitur iterumque Suprema haec Sacra Congre-

gatio Sancti Officii, Fidei morumque puritati atque integritati tutandae praeposita, de expresso mandato Ss.mi D. N. Pii Divina Providentia Pp. XI, Sacrorum Antistitum, ubique orbis catholici animarum curam gerentium, zelum ac pastoralem sollicitudinem, onerata eorum conscientia, vehementer excitat ut strictissimam tandem aliquando memoratarum monitionum atque iniunctionum observantiam urgeant, abusus qui iam irrepserint firmiter abolendo et ne novi irrepant, diligentissime cavendo.

Quae quidem idem Ss.mus Dominus Noster in solita audientia E. P. D. Adsessori die 20 labentis mensis maii impertita, in omnibus et singulis adprobare et confirmare dignatus est, praesensque Decretum publicari iussit.

Datum Romae ex Aedibus Sancti Officii, die 22 maii anno 1937.

I. VENTURI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

ANNOTATIO

Cuiusnam rei occasione praesens Decretum divulgatum sit, nec tenor eiusdem, nec brevior Commentarius una cum ipso apud *l'Osservatore Romano* (die 16 iunii 1937) vulgatus, nec ullus alius commentarius hucusque editus, pressius determinat (1). Qua in re notandum est, ipsam vigilantiam in novas cultus formas tum Auctoritate Concilii Tridentini, tum canonibus Codicis citatis, tum ipso nostro Decreto committi *Episcopis* aliisque locorum Ordinariis.

Observes deinde certas devotionis formas reprobationi subesse non solum cum ipsae discrepent a veritate fidei, verum etiam cum, quamvis rectae in se, tamen rudioribus

(1) Utilitatem Decreti neminem non videre declarat cl. BRYS (in *Collationes Brugenses* XXXVII (1937) p. 342) « cum hisce ultimis temporibus quampluries novae cultus formae per conatus privatorum fuerint introductae et tendentiae novae, quae in arte sic dicta moderna invectae sunt, periculum constituant ne insolitas artis pictoriae aut statuariae imagines, ab usu Ecclesiae probato alienas, sensim sine sensu, in nostras ecclesias introducantur ».

errandi ansam praebeant. Quod idem valet de ratione superstitionis: sunt enim cultus formae intrinseca ratione a medio virtutis deflectentes; aliae quibus, pro sua propensione, homines facile abutuntur. Quae cum differant pro varia christifidelium cultura et evolutione, novam constituunt rationem, cur directa Decreti applicatio, normarum definitio, atque errorum reprobatio iis committitur quos Spiritus Sanctus posuit ad pascendas determinatas dominici gregis partes.

Monitum Pii Pp. IX diei 13 ianuarii 1875, cuius mentio in nostro Decreto occurrit, spectabat devotionem erga *Sacratissimum Sanguinem, purissimum et virginalem B.M.V.* (cf. *ASS* VIII p. 269 s.); saepius deinde, sicut et nunc, repetitum fuit, ut v. g. die 3 iunii 1891 in Decreto S. Congr. S. R. U. Inquisitionis de non ponendis emblematibus Sanctissimi Cordis Iesu in Eucharistia (cf. *ASS* XXIV, p. 573); 4 maii 1892 in Rescripto eiusdem S. Congr. de non permittendo cultu *Vultus adorabilis Divini Redemptoris* (*ibid.*, XXV, p. 749 s.); 15 iulii 1893, Decreto eiusdem S. Congr. quo prohibentur et damnantur tituli *Cor Iesu poenitens — Cor Iesu poenitens pro nobis — Iesu poenitens — Iesu poenitens pro nobis.* (*ibid.*, XXVI, p. 319); 3 aprilis 1895, Decreto eiusdem S. Congregationis de removendis imaginibus et libellis de B. Virgine Sodalitatis Issodunensium invocata sub titulo *Dominae Nostrae a Sacro Corde Iesu* (cf. *ASS* XXVIII, p. 61 s.); et tandem 28 martii 1914, Rescripto S. C. Rituum, de non dicandis ecclesiis *Sacratissimo Cordi Iesu Eucharistico,* nec eiusdem tituli Statuis in altari maiori collocandis (cf. *AAS* VI (1914), p. 146; *Periodica* VIII, p. 14, cum Annotationibus cl. Vermeersch).

Ios. Creyghton S. I.

53 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 10 iunii 1937

CIRCA CAN. 1127 CODICIS IURIS CANONICI

(*AAS* XXIX (1937) p. 305 s.)

In plenario conventu huius Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, habito Feria IV, die 5 maii 1937, propositis dubiis:

1 - Utrum in matrimonio contracto a duobus acatholicis dubie baptizatis, in casu dubii insolubilis circa Baptismum, possit permitii alterutri parti ad Fidem conversae usus Privilegii Paulini vi can. 1127 Codicis Iuris Canonici?

2 - Utrum in matrimonio contracto inter partem non baptizatam et partem acatholicam dubie baptizatam, in casu dubii insolubilis de Baptismo, possint Ordinarii alteru'ri parti ad Fidem Catholicam conversae permittere usum Privilegii Paulini vi can. 1127?

E.mi ac Rev.mi Patres D.ni Cardinales Fidei morumque integritati tutandae praepositi, omnibus mature perpensis, respondendum decreverunt:

Ad 1. Negative.

Ad 2. Recurrendum ad S. Officium in singulis casibus.

Hanc vero E.morum Patrum resolutionem, in audientia E. P. D. Adsessori S. Officii die 13 eiusdem mensis et anni impertita, SS.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XI adprobare et Suprema Sua Auctoritate confirmare dignatus est, ac publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 10 iunii 1937.

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotationes

Iuxta normam can. 1127 statutam « *in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris* ». Quod ita intellegendum est, ut in casu *dubii* stare liceat pro *libertate* partis fidelis, eaque, a vinculo matrimonii in infidelitate contracti soluta, ad alias nuptias cum persona catholica transire aut in iis iamiam attentatis permanere queat.

Ratio principalis, cur hic favor iuris concedatur, est « *bonum fidei* », ut scl. ex novo matrimonio christiano christiana familia habeatur, quae verae fidei colendae et augendae inserviat, et ne pars, quae fidem catholicam amplecti cogitat, prioris matrimonii vinculo forte a conversione peragenda arceatur, aut, conversione facta, in vita christiana degenda impediatur a parte infideli, quae converti recusat aut pacifice cum parte conversa non vult cohabitare.

« *Dubium* » de quo in can. 1127 sermo est, versari potest circa res varias, e. gr. circa factum aut valorem matrimonii in infidelitate contracti, circa personam primae uxoris inter plures quas quis duxit, circa sufficientiam causae, cur ab interpellationibus dispensetur, circa valorem baptismatis, quod forte alterutra aut utraque pars suscepit, etc. etc. — In casu dubii ordinarie prius enitendum esse, ut, inquisitione facta, dubium solvatur, et, dubio soluto, secundum rei veritatem procedatur, probatione non indiget; hinc norma canonis 1127 imprimis casum dubii insolubilis respicere dici debet.

Recens S. Officii Decretum respicit duos casus dubii insolubilis circa *valorem baptismi;* primus casus est matrimonii, initi inter *duos acatholicos dubie baptizatos;* alter matrimonii contracti inter *partem non baptizatam et partem acatholicam dubie baptizatam.*

De *primo casu quaeritur*: an possit in eo vi can. 1127 alterutri parti ad Fidem conversae usus Privilegii Paulini

permitti. Primo aspectu respondendum videri potest: quod sic. Nam, si utraque pars obiective invalide (aut omnino non) baptizata est, habetur matrimonium naturale tantum, ideoque habetur ea rerum condicio, in qua, ponendis positis, Privilegium Paulinum adhiberi potest. Non constat quidem in casu de obiectiva rei veritate, neque de ea, inquisitione facta, certitudo acquiri potest; sed vi canonis 1127 in casu dubii insolubilis privilegium fidei gaudet favore iuris seu standum est pro *libertate,* idest pro libertate transeundi ad nuptias novas cum persona catholica. Et ita alicui videri potest respondendum esse « *affirmative* ». At Decreto S. Officii respondetur « *Negative* », seu in hoc casu usum Privilegii Paulini permitti non posse. Nam obiectiva rerum condicio potest esse contraria, seu utraque pars potest esse baptizata. Quo facto, habetur matrimonium *ratum;* et, si intervenerit completus iuris matrimonialis usus, matrimonium *ratum et consummatum.* Privilegium autem Paulinum nihil commune habet cum matrimonio rato, et multo minus cum matrimonio rato et consummato, quod nulla humana potestate dissolvi potest. Si vero in casu dubii insolubilis circa utriusque partis baptismum usus Privilegii Paulini permitteretur, periculum esset, ne hoc privilegium applicaretur ad matrimonium ratum, sive non consummatum sive consummatum, et ne violaretur ius divinum indispensabile, quod etiam potestati ministeriali ipsius Summi Pontificis subtractum est. Unde est, quod Ecclesia in tali casu usum Privilegii Paulini non permittat, et quod Responsum S. Officii ob hoc periculum sit et debuerit esse *negativum.*

Alterum Dubium, ad quod Decretum S. Officii respondet, huiusmodi periculum offendendi contra divinam legem indispensabilem non continet. Nam agitur de matrimonio in quo una pars non solum certo non *est* baptizata, sed etiam certo *scitur* non esse baptizata; dubium insolubile baptismatis valide recepti versatur tantummodo circa alteram partem. Agitur ergo de matrimonio *naturali* seu

legitimo, nullatenus de *rato.* Naturale autem matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, a Summo Pontifice in certis rerum condicionibus ex iustis gravibusque causis in favorem fidei vi potestatis ministerialis, secluso scandalo, et valide et licite solvi potest. Hinc in secundo Dubio non iam quaeritur (prout in primo quaesitum est): « *an* usus Privilegii Paulini permitti potest », sed, supposito quod possit permitti, tantummodo interrogatur: « *quis* eum permittere valeat, *Ordinarii,* an *sola Sancta Sedes* ». — Summus Pontifex in solvendis huiusmodi matrimoniis vario modo procedere potest; pendet ab eius voluntate, quem modum in usu suae potestatis ministerialis revera servare velit. Potest in singulis casibus specialem sui ipsius interventum exigere; sed permittere etiam valet, ut solutio vinculi naturalis fiat ex sua quidem potestate ministeriali, sed sine huiusmodi speciali et personali sui ipsius interventu. Ex solo tenore canonis 1127 certo erui non potest quem modum Legislator de facto elegerit et statuerit servandum. Forte cui visum fuerit: verbis huius canonis innui, quod ex iure *Ordinarii* polleant facultate permittendi in casu talis dubii usum Privilegii Paulini. At praxis S. Officii fuit et est contraria, ideoque recenti Decreto explicite declaratur: mentem Legislatoris esse, ut in casu matrimonii inter unam partem non baptizatam et alteram partem acatholicam, dubie baptizatam alterutri parti, ad Fidem catholicam conversae, usus Privilegii Paulini permitti non possit ab Ordinariis, sed ut in singulis casibus recurratur ad S. Officium, quod singulos casus examinet et Summo Pontifici decidendos proponat. Ratio huius Responsi facile intellegitur: est pondus et momentum, quod sanctitati et indissolubilitati matrimonii, etiam naturalis tantum, ab Ecclesia attribuitur; cavendum sane est, ne facile aut re non diligenter examinata vinculum solvatur, quod solvendum Deus omni potestati mere humanae substractum esse voluit, et quod solus Summus Pontifex ex potestate ministeriali (ergo potestate vicaria in iure divino) solvere valet.

F. Hürth, S. I.

54 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 19 iunii 1937

DAMNATUR LIBER CUI TITULUS « IL RAZZISMO », AUCTORE G. COGNI

(*ASS* XXIX (1937) p. 306)

Feria IV, die 9 iunii 1937

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

G. Cogni, *Il razzismo*, Milano-Parigi, 1937.

Et sequenti feria v, die 10 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia E. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 19 iunii 1937.

I. Venturi, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotatio

Ratio huius proscriptionis, secundum annotationes quas M. Cordovani O. P. ipso die publicati Decreti apud *l'Osservatore Romano* (20 iunii 1937) conscripsit, in eo est quod Auctor *razzismi* placita non tantum obiective exponit, sed etiam tueri atque propagare studet. Cuius doctrinae summa capita haec sunt: spiritum, atque omnem rationem intellectionis, virtutis, moralitatis, religionis nihil aliud esse quam evolutiones quasdam materiae, quae dependeant a statu physiologico subiecti; ipsam materiam vicissim esse

incarnationem quandam et manifestationem spiritus indeterminati; Deum, porro, confundi cum ente creato: ita ut fundamenta philosophica totius systematis sint in quodam evolutionismo monistico. Docet deinde Auctor quasdam hominum stirpes (*Razza*) natas esse ut dominio, alias ut servitute vivant, optimamque totius generis humani stirpem, ad dominatum destinatam et a divina natura primaria quasi intentione productam, esse stirpem germanicam. Peccatum originale, divinam Redemptionem et virtutes evangelicas respuit Auctor ut progressus humanitatis impedientia; ita ut Commentator merito exclamet: Si ista placita non mereantur damnari ab Ecclesia, quodnam superest delirium, damnatione dignum?

Ios. Creyghton S. I.

55 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide
Rescriptum 12 decembris 1936

DE AUCTORITATE ORDINARII LOCI IN SORORES OPERI MISSIONALI ADDICTAS

(*transsumptum ex exemplari authentico*)

Romae, 12 decembris 1936.

S. CONGREGAZIONE
« DE PROPAGANDA FIDE »
PROTOCOLLO N. 4076/36

Rev.mo P. Carolo Hoffmann,
Procuratori Generali Piae Societatis Missionum.

Rev. Pater,

Mense iulio n. e. Paternitas Tua Reverendissima, de mandato Excell.mi Vicarii Apostolici Kimberliensis in Australia, huic S. Congregationi haec dubia solvenda proponebat:

1 - An inter « missionarios », de quibus edicit instructio S. C. de Propaganda Fide, anno 1929 die 8 dec. edita, eos

subesse dispositioni Ordinarii loci, computandae quoque sint sorores in opere missionali educationis, scholari, vel alio, occupatae?

2 - An quoad actionem missionalem sororum Superioris ecclesiastici sit dare decisionem definitivam, audito iudicio et consilio Superiorissae competentis, e. gr. quoad destinationem sororum ad scholas vel ad formandam quocumque alio modo iuventutem?

3 - An liceat Superiori ecclesiastico, audita Superiorissa competente, transferre sororem in aliam stationem, quae ad opus ibi exercendum specialiter idonea vel necessaria est?

4 - Num, non obstante canone 611 et instructione S. C. de Propaganda Fide supra citata, Superiorissa prohibere possit, quominus epistolae sororum missionis sibi subditarum eleemosynam pro missione petentes benefactoribus transmittantur per ipsum Superiorem ecclesiasticum?

5 - An in casu dissensus inter iudicium Ordinarii loci et Superiorissae quoad res praedictas praevaleat auctoritas Ordinarii necne?

Petitio Tua Rev.morum Consultorum coetus iudicio delata est, qui ita responderunt:

Ad primum: *Negative.*

Ad cetera quattuor: *Standum praescriptis ss. canonum et constitutionibus sororum.*

Eadem responsa haec S. C. propria auctoritate firmavit atque hisce litteris Tibi nota facit, ita ut ea Excell.mo Vicario Apostolico supra memorato referre valeas.

Interim Tibi fausta quaeque exoptans maneo

addictissimus in Domino
P. Card. Fumasoni Biondi, *Praef.*

† Celsus Costantini, *Secretarius.*

Annotationes

Cum in Instructione S. Cong. de Propaganda Fide, die 8 decembris, an. 1929 edita, explicite concessa fuerat Superiori Ecclesiastico Missionis potestas disponendi non solum de sacerdotibus quibuscumque qui aliquo modo apostolico in Missione laborarent, sed etiam de fratribus laicis in missionalibus operibus adhibitis, facile occurrere potuit Vicario Apostolico, Sorores quoque inter « missionarios » sensu latiore computandas esse eo vel magis, quia ipsa Instructio suadet ut conventiones « a Superiore ecclesiastico cum Institutis sive virorum *sive sororum* ineantur, ex quibus mutua iura aeque componantur ». Unde quaestio nostra.

Responsum negativum variis rationibus explicari potest: Sorores enim sunt membra Instituti independentis, dum fratres laici arcte conectuntur cum missionariis quibus opere suppetunt, cum sint de eadem familia religiosa. Sorores e contra limitantur ad scholas, catechesim, opera misericordiae. Deinde cum sint mulieres, aptitudinem earum melius cognoscunt earum Superiorissae.

Ad cetera quattuor S. Congr. de Propaganda Fide oratorem remisit ad praescripta ss. canonum et constitutiones Sororum. Haec omnia igitur nullo modo per Instructionem supra allatam mutata sunt.

Ad has quattuor quaestiones, sequentes solutiones modeste proponimus:

Ad 2 et 3. - Ordinarii locorum in missionibus non habent maiorem auctoritatem in religiosas quam alii Ordinarii extra Missiones. Standum est enim praescriptis ss. canonum et constitutionibus. Statim vero occurrit distinctio inter Sorores quae sunt membra Instituti iuris pontificii, et quae sunt iuris dioecesani. Potestas Vicarii in has erit maior, in illas minor, ad normam cc. 500 § 1, et 618. Destinatio igitur Sororum sive ad scholas sive ad alia opera

missionalia pertinet ad superiorissam religiosam nisi constitutiones hanc potestatem explicite Ordinario concedant. Superiorissa vero consilia Ordinarii libenter audire debet relate ad dona et aptitudines in Sororibus requisitas pro aliquo opere speciali. Ordinarius quidem auctoritatem habet iubendi Superiorissam removere Sororem incompetentem, vel alio transferre Sororem quae forte in circumstantiis sibi periculosis versaretur.

In his casibus Superiorissa oboedire tenetur in conscientia; sed designatio alterius quae tali Sorori succedat ad Superiorissam religiosam pertinet. Omnia tamen ad bonum commune Missionis componi possunt cum debita caritate et discretione ex parte tum Ordinarii tum Superiorissae.

Ad 4. - Canon 611 omnibus religiosis, sive viris sive mulieribus permittit ut litteras ad Ordinarium loci cui subiecti sunt, libere mittere possint. Hae vero litterae sunt personales, tales scilicet quae tractant de rebus personalibus religiosorum cum auctoritate ecclesiastica. Litterae vero quibus religiosae eleemosynas pro Missione petunt in hac categoria non veniunt, sed pertinent ad commercium epistolare ordinarium quod constitutionibus regitur. Superiorissa ergo legitime prohibere posset ne Sorores tales litteras sine licentia et inspectione debita per Ordinarium transmittant. Sed haec etiam res cum prudentia et caritate inter Ordinarium et Superiorissam facile componi potest.

Ad 5. - In casu dissensus de interpretatione ss. canonum vel constitutionum, iudicium Ordinarii loci praevalere debet, relicto tamen semper Superiorissae religiosae recursu in devolutivo ad Sanctam Sedem.

Adamus Ellis, S. I.

56 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide Instructio 19 martii 1937

DE CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS INDIGENIS CONDENDIS

(*AAS* XXIX (1937) p. 275 ss.)

In terris Missionum, huius S. Consilii Christiano Nomini Propagando ditioni subditarum, hisce temporibus haud raro evenit ut novae Congregationes religiosae ex utroque sexu instituantur, quae locorum Ordinariis, bonis sodalium exemplis et opera, magno auxilio sane evadant. Quae res non tantum amplissima laude probanda videtur, sed, iuxta Summi Pontificis PII PAPAE XI vota, studiose promovenda est, cum, Litteris Encyclicis *Rerum Ecclesiae,* die 28 februarii 1926 datis, Summus Pontifex hisce verbis Missionum Ordinarios adhortetur: « Necesse est... ut religiosas ex utroque sexu sodalitates indigenas instituatis », in quibus asseclae « consilia evangelica profiteantur ».

Ad hoc vero ut tutum iter Ordinariis, hoc opus tam salutare aggredi cupientibus, praebeatur, prae oculis habitis normis a S. C. Religiosorum negotiis praeposita a. 1922 datis, *Regulas,* quae sequuntur, hoc S. Consilium decrevit recolere, a locorum Ordinariis sibi subditis, in erigendis Congregationibus indigenis, diligenter servandas.

1 - Antequam nova Congregatio condatur, videat Ordinarius an finibus sibi propositis Congregationes iam erectae satisfacere possint. Quo in casu, a nova Congregatione condenda abstineat atque illorum Institutorum sodales advocandos curet.

2 - Quod si, rebus mature perpensis, novam indigenarum Congregationem, in bonum Missionis sibi commissae, erigendam putaverit, eam ad exemplum alicuius Instituti, in Ecclesia vita religiosa florentis, constituat.

3 - Titulus, seu nomen, novae Congregationis desumi potest vel a Dei attributis vel a Sanctae Religionis mysteriis vel a festis Domini aut B. V. Mariae vel a Sanctis vel a fine peculiari ipsius Congregationis. Ne titulum vel habitum cuiusquam Religionis iam constitutae usurpent novae Congregationes cautum est in can. 492, § 3.

4 - Cavendum est praeterea ne titulus, seu nomen, Congregationis nimis artificiose compositus sit neve quampiam devotionis speciem, a Sede Apostolica non probatam, exprimat aut innuat.

5 - Si de religiosis virginibus agatur, curandum est ut saltem duae sorores ex aliquo Instituto iam rite approbato in promptu sint, quae munera Moderatricis Generalis et Magistrae Novitiarum in nova erigenda Congregatione, ad tempus, assumere valeant, donec scilicet haec vita propria vivere possit.

6 - Circa media quoque ad novam Congregationem sustentandam necessaria prudenter consulendum erit.

7 - Hisce praemissis, Ordinarius, re adhuc integra, hoc S. Consilium adeat, iuxta can. 492, § 1, debitam petat ab eo licentiam illudque consulat de iis quae ad Congregationem instituendam necessaria sunt, atque opportune referat:

a) quanam causa ad eam instituendam Ordinarius ducatur;

b) quinam sit titulus, seu nomen novae Congregationis;

c) quae sit forma, color, materia habitus a novitiis et a professis gestandi;

d) quaenam opera Congregatio sibi assumptura sit;

e) quibus opibus eadem sustentetur.

8 - Licentia vero obtenta, nihil obstabit quominus Ordinarius novam Congregationem ineat, quae erit iuris dioecesani et, usque dum Pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, vi can. 492, § 2, remanebit dioecesana, Ordinarii iurisdictioni, ad normam SS. Canonum, plane subiecta.

9 - Erectio vero fiat ab Ordinario per decretum formale, in scriptis datum cuius exemplar et in tabulario novae Congregationis, et in archivo Ordinariatus servandum erit. — De peracta erectione Ordinarius hoc S. Consilium edoceat, ac Decreti exemplar ei transmittat, in quo praecipue curet ut tam titulus quam scopus Instituti explicite et exacte praefiniantur.

10 - Novae Congregationis Constitutiones, lingua latina et vulgari exaratae, huic S. Consilio (sex saltem exemplaribus) quam primum subiici debent ut rite examinentur, emendentur et cum opportunis animadversionibus Ordinario remittantur, ab ipsomet approbandae.

11 - Constitutionum Codex continere debet ea omnia quae religiosae Congregationis naturam, membra, vota et sodalium vivendi rationem necnon Congregationis regimen respiciunt. Constitutionum textus dividatur in partes; partes in capita; capita in articulos, numeris ab initio ad finem progredientibus signatos.

12 - Excludenda sunt a textu Constitutionum:

a) praefationes, notitiae historicae, litterae hortatoriae et alia huiusmodi;

b) recitationes textuum S. Scripturae et quorumvis librorum vel auctorum;

c) normae rituales, caeremoniales necnon usus et consuetudines in Congregationem forte inducendae;

d) horaria et calendaria adoptanda;

e) quaestiones theologicae, aut iuridicae;

f) instructiones asceticae, adhortationes spirituales et mysticae considerationes;

g) ea quae iure communi statuuntur, utpote ad Constitutiones iam praesupposita.

13 - Horaria, exercitia pietatis et alia huiusmodi in *Directoriis* ponantur.

14 - Post elapsum a Congregatione inita congruum tempus, si eadem, Deo favente, incrementum notabile consecuta fuerit atque ad alias Missiones sese extenderit et so-

dalium numero et operibus ac vita religiosa singulariter floreat, Ordinarius hoc S. Consilium adire poterit, petens ut Congregatio iuris pontificii fiat, et exhibens:

a) supplicem libellum ad Summum Pontificem;

b) litteras testimoniales Ordinariorum in quorum territoriis Congregatio habeat domos;

c) relationem de statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico novae Congregationis;

d) Constitutiones ab ipso Ordinario recognitas et approbatas.

Quod si id propositum huic S. Consilio probatum fuerit, res per *Decretum Laudis* ad effectum deducetur, quod *Decretum approbationis* rite sequetur una cum *Decreto* quo Constitutiones saltem — experimenti gratia — ad septennium approbantur.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, in festo S. Ioseph Sponsi B. M. Virginis, a. D. 1937.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus.*

L. ✠ S.

C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

Annotatio

Instructio S. Congr. de Propaganda Fide de Congregationibus Religiosis *indigenis* condendis agit. Pro illis dantur quattuordecim *regulae* quae, paucis additionibus opportunis exceptis, in normis a S. Cong. de Religiosis an. 1921 datis fundantur (1).

Exemplum additionis sit regula quinta quae praescribit ut in casu Congregationis virginum fundandae, saltem duae Sorores ex aliquo Instituto iam rite approbato ut Moderatrix Generalis et Magistra Noviciarum in nova Congregatione constituantur ad tempus quidem, donec scilicet haec

(1) Decretum datum est die 6 martii 1921, non, ut erronee in nostra Instructione legitur, anno 1922; cf. *AAS* XIII (1921) p. 312 ss.

vita propria vivere possit. Ad Instructionem igitur rite intellegendam consulendi sunt Auctores qui de *Normis* a S. Congr. de Religiosis latis scripserunt; cf. I. CREUSEN, S. I., apud *Periodica* x (1922) p. 295-302.

A. E., S. I.

57 - Sacra Paenitentiaria Apostolica
Declaratio 4 maii 1937

SUPER DECRETO QUOD INCIPIT « LEX SACRI COELIBATUS »
DIEI 18 APRILIS 1936

(*AAS* XXIX (1937) p. 283 s.)

Evulgato per Commentarium Officiale Apostolicae Sedis (vol. XXVIII, pag. 242) Decreto, quod incipit « Lex sacri coelibatus » diei 18 aprilis 1936, quo absolutio ab excommunicatione de qua in can. 2388, § 1, quando agatur de sacerdote qui, matrimonio civiliter attentato, ad cor dein reversus, ad participationem sacramentorum more laicorum petat admitti, data quidem fide de absoluta perfectaque in posterum continentia perpetuo servanda, quamvis tamen ob gravissimas rationes cessare non valeat a cohabitatione sub eodem tecto cum suae disertionis complice, Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, excepto casu periculi mortis, reservatur, non defuerunt nec desunt Canonistae et Moralistae qui docuerint ac doceant casum hunc nihil differre a casu aliarum censurarum, quae in casibus urgentioribus remitti possunt sub quibusdam conditionibus et clausulis a quocumque confessario vi can. 2254.

Haec interpretatio, a praefati Decreti nedum sensu sed et littera prorsus absona, nullo modo defendi potest, eo praesertim quia expresse edicitur absolutionem de qua agitur « *ab ipsa tantum Sacra Paenitentiaria Apostolica*, servata speciali procedendi forma et sub peculiaribus qui-

busdam cautelis et conditionibus ab eadem Sanctitate Sua patefactis ac praescriptis », concedi posse.

Nihilominus, ad omnem, si quae adhuc forte superesset, dubitationem penitus auferendam, Ss.mus Dominus Noster, in audientia infrascripto Card. Paenitentiario Maiori die 10 aprilis anni currentis impertita ad rem opportune interrogatus, suprema Sua auctoritate declarandum et, quo solet modo, publici iuris faciendum mandavit, hanc esse mentem Legislatoris, scilicet: Absolutionem a censura, de qua supra, ita esse Sacrae Paenitentiariae reservatam ut nemo unquam, excepto casu periculi mortis, ab ea absolvere possit, non obstante qualibet facultate, sive per can. 2254, § 1, sive per privilegium, sive denique per aliud quodcumque ius ceteroquin concessa.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria, die 4 maii 1937.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Notandum

Cum hic data sit authentica Decreti *Lex sacri coelibatus* Declaratio ab ipsa Sacra Paenitentiaria Apostolica, privata nostra interpretatio, quam vulgavimus Tomo xxv (1936) p. 201-202, sub littera B, iam sustineri non potest.

Porro de eadem re in sequenti fasciculo ulterius agere in animo est, cum quaedam addenda sint, quae eiusdem censurae materiam, secundum praxin competentis Auctoritatis ecclesiasticae, *in foro externo* tractandam et componendam spectant.

Ios. C., S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

58 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A - Bulla, 2 iul. 1936, a Lipensis dioecesis territorio, *Mindoro* insula ceteraeque eam undique circumstantes insulae distrahuntur, atque ex omnibus his territoriis distractis Praefectura Ap.ca « Mindorensis » appellanda, erigitur et constituitur (*AAS* XXIX (1937) p. 261 s.).

B - Bulla 17 dec. 1936, a dioecesis Lahorensis territorio pars seiungitur et nova erigitur ex territorio avulso, Praefectura Ap.ca *de Multan* appellanda Ordinique Praedicatorum concredenda (*AAS* XXIX (1937) p. 263 s.).

C - Epistula 30 ian. 1937, ad R. P. IOANNEM CERIANI, Ordinis Clericorum Regularium a Somascha Praepositum Generalem, IV exeunte saeculo ab obitu Sancti Hieronymi Aemiliani, caelestis omnium orphanorum ac derelictae iuventutis patroni atque eiusdem sodalitatis conditoris, SS. D. communem sodalium laetitiam auctoritate Sua cumulat, sacramque ipsam celebrationem paternis votis ominibusque participat (*AAS* XXIX (1937) p. 268 s.).

D - Bulla 4 febr. 1937, e Vicariatus Ap.ci de Lanchow territorio pars illa seiungitur totam Provinciam civilem de *Tsinghai* complectens, eaque in Praefecturam Ap.cam erigitur et constituitur iisdem circumscripta limitibus quibus ipsa Provincia civilis (*AAS* XXIX (1937) p. 265 s.).

E - Bulla 22 febr. 1937, e Vicariatu Ap.co *de Wuhu*, in Sinis, civiles sex subpraefecturae seiunguntur atque separantur, harumque territorium, iisdem finibus quibus subpraefecturae ipsae circumscriptum, in novam erigitur et constituitur Praefecturam Ap.cam, *de Tunki* nuncupandam, Missionariisque Filiis Immaculati Cordis B. M. V. tradenda (*AAS* XXIX (1937) p. 293 s.).

F - Bulla 22 febr. 1937, a Vicariatus Ap.ci de Buta territorio in Congo Belgico tota regio separatur; quae districtus *de Lolo* et *de Moenge* cum eiusdem nominis missionalibus stationibus, necnon stationem *de Ekama* complectitur, eaque in novam Praefecturam Ap.cam *de Lolo* nuncupandam erigitur et constituitur curisque Praemonstratensis Ordinis Patrum ex Abbatia Postulensi concreditur (*AAS* XXIX (1937) p. 295 s.).

G - Bulla 9 mart. 1937, e Vicariatu Ap.co *de Bamako*, in Africa Occidentali Gallica, tota illa seiungitur pars, quae in civili colonia Guineae Gallicae sita est, atque ex ea nova erigitur Praefectura Ap.ca *de Nzerekore* nuncupanda, eiusque definiuntur limites (*AAS* XXIX (1937) p. 296 s.).

H - Bulla 9 mart. 1937, Vicariatuum Ap.corum *de Bamako* et *de Ouagadougou* et Praefecturae Ap.cae de *Bobo-Dioulasso*, in Africa Occidentali Gallica, fines immutantur atque Praefectura de Bobo-Dioulasso in Vicariatum Ap.cum evehitur (*AAS* XXIX (1937) p. 298 s.).

I - Bulla 25 mart. 1937, Vicariatus Ap.cus Abyssiniae, anno 1847 erectus, supprimitur eiusque territorium, Dancalia regione excepta, quae Vicariatui Apostolico Erythreae adnectitur, in tres partes dividitur, videlicet *de Gondar, de Tigrai,* et*de Dessié* (*AAS* XXIX (1937) p. 357 s.).

L - Bulla 25 mart. 1937, statuitur ut Vicariatus Ap.cus *de Mogadiscio* eosdem posthac fines habeat ac civile Somaliae Italicae Gubernium (*AAS* XXIX (1937) p. 359 s.).

M - Bulla 25 mart. 1937, Praefectura Ap.ca *de Kaffa* ad Vicariatus Ap.ci gradum et dignitatem evehitur, sub nomine « de Gimma », eiusque limites definiuntur (*AAS* XXIX (1937) p. 360 s.).

N - Bulla 25 mart. 1937, statuitur ac decernitur ut limites Praefecturae Ap.cae *de Gibuti* iidem in posterum sint ac Somaliae Gallicae fines (*AAS* XXIX (1937) p. 361 s.).

O - Bulla 25 mart. 1937, statuitur ut Vicariatus Ap.cus Africae inter Populos *Galla,* Ordini Minorum Capuccinorum concreditus, posthac *de Harar* nomen habeat eiusque fines iidem sint ac civilis Gubernii *de Harar* limites (*AAS* XXIX (1937) p. 362 s.).

P - Bulla 25 mart. 1937, Vicariatus Ap.cus *de Addis Abeba* erigitur et constituitur cleroque saeculari concreditur. Statuitur insuper ut novi huius Vicariatus territorii fines iidem sint ac civilis Gubernii *de Addis Abeba* limites (*AAS* XXIX (1937) p. 364 s.).

Q - Bulla 25 mart. 1937, nova Praefectura Ap.ca *de Neghelli* erigitur et constituitur simulque decernitur ut ipsa territorium complectatur Commissariatuum civilium *de Sidamo* et *de Borana*, ad civile Gubernium *de Galla* et *Sidamo* pertinentium (*AAS* XXIX (1937) p. 365 s.).

R - Epistula 28 mart. 1937, ad Em.um P. D. IOANNEM Tit. S. Balbinae S. R. E. Presb. Cardinalem VERDIER, archiepiscopum Parisiensem, appetente natali quinquagesimo sacerdotii eius, SS. D. de sacro ministerio tam naviter actuoseque gesto paterne palamque gratulatur, atque iubilaei eius sollemnia praesentissimo iucundoque animo participat (*AAS* XXIX (1937) p. 260 s.).

S - Bulla 13 april. 1937, Praefectura Ap.ca *de Umtata*, iisdem servatis limitibus ac nomine, ad Vicariatus Ap.ci gradum et dignitatem evehitur, ipseque Congregationis Missionariorum *de Marianhill* sodalibus, committitur (*AAS* XXIX (1937) p. 327 s.).

T - Bulla 13 april. 1937, ex amplissimo Vicariatus Ap.ci *de Taikou* territorio, provincia civilis *de Zenra Nando* seiungitur et nova constituitur Praefectura Ap.ca Kwoshuensis (*AAS* XXIX (1937) p. 329 s.).

U - Bulla 13 april. 1937, e Vicariatus Ap.ci *de Celebes* in Indiis Nederlandicis territorio, meridionalis pars distrahitur et ex illa nova Praefectura Ap.ca erigitur *de Makassar* nuncupanda; Vicariatus Ap.cus de Celebes, *de Manado* posthac nuncupabitur (*AAS* XXIX (1937) p. 331 s.).

V - Bulla 13 april. 1937, Praefectura Ap.ca *de Bulawayo* in Africa Meridionali, ad Vicariatus Ap.ci gradum provehitur (*AAS* XXIX (1937) p. 332 s.).

W - Bulla 13 april. 1937, in *Congo Belgico* ex Vicariatibus Ap.cis *de Koango* et *de Kassai* Superiore territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur Praefectura Ap.ca « de Ipamu » (*AAS* XXIX (1937) p. 334 s.).

X - Epistula 3 maii 1937, ad Em.um P. D. Augustum Tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presb. Card. Hlond, Archiep.cum Gnesnensem et Posnaniensem, SS. D. de Congressu in honorem Christi Regis ex omnibus gentibus primo Posnaniae cogendo, tractat (*AAS* xxix (1937) p. 335 ss.).

Annotatio

Plurima pretiosa hortamenta et instructiones de atheismo debellando continet haec Epistula: vires scilicet omnium Christifidelium ex omnibus nationibus esse in unum conferendas; *communismi* doctrinam praeprimis esse aggrediendam; sodales Actionis Catholicae esse instruendos de modis agendi adversariorum; non solum vitam singulorum sed et res publicas esse Christi veritate et iustitia informandas; ante omnia vero concordiam esse servandam, et mandatis optatisque Ecclesiasticae Hierarchiae esse fideliter obsequendum.

Ios. Creyghton S. I.

Y - Epistula 16 maii 1937, Em.us P. D. Augustus Tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presb. Cardinalis Hlond, Archiep.us Gnesnensis et Posnaniensis, Legatus eligitur ad Primum Congressum ex omnibus nationibus in honorem Christi Regis Posnaniae habendum (*AAS* xxix (1937) p. 338 s.).

Z - Epistula 23 maii 1937, ad R. D. Angelum M. Savastano, Abbatem ac Praesidem Generalem Congregationis Casamariensis ex Ordine Cisterciensi, ix exeunte saeculo ab eiusdem Congregationis exordio, SS. D. ordinis promerita dilaudat, Congregationique felicissima quaeque ac iucundissima ominatur (*AAS* xxix (1937) p. 339 s.).

A - Epistula 30 maii 1937, ad Em.um P. D. Laurentium Tit. Sancti Pancratii S. R. E. Presb. Card. Lauri, Paenitentiarium maiorem eundemque Sacri Collegii Camerarium, appetente natali quinquagesimo sacerdotii eius, SS. D. de diuturno eius sacro munere actuose peracto iucunde gratulatur, sacrique eventus celebrationem Suis votis ominibusque prosequitur (*AAS* xxix (1937) p. 300 s.).

B - Epistula 31 maii 1937, ad Em.um P. D. Iosephum Ernestum Tit. Sanctae Mariae de Aracoeli S. R. E. Presb.

Card. Van Roey, Archiep.cum Mechliniensem, quintum Concilium provinciale Mechliniense celebraturum, SS. D. oculos animumque paternum libentissime convertens ad regionem Belgicam, ubi catholica religio tot institutis operibusque florentibus viget, simulque proximi Concilii apparatus atque inceptis merita laude commendans, laetis ominibus ac votis eiusdem studia prosequitur (*AAS* xxix (1937) p. 302).

C - Epistula 1 iul. 1937, ad Em.um P. D. Raphaëlem Carolum Tit. Sanctae Praxedis S. R. E. Presb. Card. Rossi, S. C. Consistorialis Secretarium, anno quinquagesimo exeunte a Pia Missionariorum a Sancto Carolo Societate condita, SS. D. animi divinae Liberalitati pergrato hanc quinquagesimam memoriam paterne commendans, Ei cunctaeque Missionariorum a Sancto Carolo Societati, laete gratulatur, precesque Deo adhibet (*AAS* xxix (1937) p. 303).

D - Nuntio radiophonico 11 iul. 1937, SS. D. N. Christifideles Lexovii congregatos ob templum Sanctae Teresiae recens dicatum et ob Conventum Eucharisticum ex tota Gallia celebratum, paterne exhortat ut in tristissimis huius temporis adiunctis pro mundi pace, pro omnibus animarum pastoribus fideliumque communi Patre Deum exorent (*AAS* xxix (1937) p. 325 ss.).

E - Bulla 2 sept. 1937, territoria quarundam dioecesium Reipublicae Cecoslovacae finitimarum nova circumscriptione definiuntur atque ex iis nonnullae administrationes ap.cae ad nutum Sanctae Sedis constituuntur. Insuper aliquae dioeceses, ad provincias ecclesiasticas Agriensem et Strigoniensem hucusque pertinentes, Ap.cae Sedi immediate subiectae declarantur et parochiae omnes byzantini ritus in dicione Cecoslovaca positae, dioecesi Mukačevensi subduntur (*AAS* xxix (1937) p. 366 ss.).

F - *Litterae de Ecclesiis*:

1 - Brevi 15 oct. 1936, titulo et honoribus Basilicae minoris augetur templum monasterii B. V. Mariae de Sittico, in dioecesi Labacensi, ad Ordinem Cisterciensem pertinens, occasione saeculi octavi a fundatione eiusdem templi (*AAS* xxix (1937) p. 266 s.).

2 - Brevi 5 mart. 1937, bonaërense Sancti Nicolai Episcopi Confessoris templum paroeciale, dignitate ac titulo Basilicae Minoris honestatur, cum omnibus honorifi-

centiis privilegiisque, quae sacris aedibus hoc titulo et dignitate insignitis de iure competunt (*AAS* XXIX (1937) p. 299 s.).

59 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 13 febr. 1937, territorium amplectens municipia *Rio Pardo* et *Candelaria* a dioecesi S. Mariae, in Brasilia, dismembratur et archidioecesi Portalegrensi perpetuo incorporatur, mutatis hac ratione finibus inter memoratas dioeceses (*AAS* XXIX (1937) p. 307).

2 - Decreto 20 mart. 1937, ecclesia S. Maria *ab Ulmo* adnexumque territorium, quod via *Santamarianova-Loreto*, via *Santamarianova-Ancona* atque ager domini *Patritii Iosephi Moreschi* definiunt, ad dioecesim Auximianam pertinentia, ab hac dismembrantur atque dioecesi Aesinae attribuuntur (*AAS* XXIX (1937) p. 271).

3 - Decreto 20 mart. 1937, statuitur ut posthac finis inter archidioecesim *Winnipegensem* et archidioecesim *S. Bonifacii* determinetur a linea inter *rangs* XIII et XIV (*AAS* XXIX (1937) p. 272).

60 - S. C. de Prop. Fide

1 - Decreto 13 april. 1937 statuitur ut Vicariatus Ap.cus hactenus « *Oceaniae centralis* » appellatus, in posterum Vicariatus Ap.cus « *Insularum Tonga* » appelletur (*AAS* XXIX (1937) p. 303 s.).

2 - Decreto 13 april. 1937, Missio sui iuris quae usque adhuc *de Ilan*, in Manciuria, nominata est, « Missio sui iuris *de Kiamusze* » nuncupabitur (*AAS* XXIX (1937) p. 309).

3 - Decreto 18 maii 1937, Praefectura Ap.ca « *de Chuchow* », in Sinis, in posterum « *de Lishui* » appellabitur (*AAS* XXIX (1937) p. 310).

Designationes Ordinariorum pro appellationibus:

Vicarius Ap.cus Daniae designavit pro appellatione tribunal Vicariatus Ap.ci Sueciae (rescr. 9 mart. 1937; *AAS* XXIX (1937) p. 311).

Abbas S. Alexandri de Oroshi tribunal archidioeceseos Scodrensis (rescr. 1 april. 1937; *AAS* XXIX (1937) p. 311).

Praefectus Ap.cus Fluminis Magdalenae tribunal archiep.pi Metropolitani Medellensis, et Vicarius Ap.cus de Batavia tribunal Vicariatus Ap.ci de Padang (rescr. 23 april. 1937; *AAS* XXIX (1937) p. 311).

61 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Parisien.* Decretum 17 febr. 1937, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae* beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei PETRI OLIVAINT, LEONIS DUCOUDRAY, ALEXII CLERC, IOANNIS CAUBERT et ANATOLII DE BENGY, sacerdotum professorum e Societate Iesu (*AAS* XXIX (1937) p. 280 ss.).

2 - *Brixien.* Decretum 24 febr. 1937, Super dubio: *an signanda sit Commissio reassumptionis Causae* canonizationis B. VINCENTIAE GEROSA, alterius fundatricis Sororum a Caritate in oppido Luere Brixiensis dioecesis (*AAS* XXIX (1937) p. 278 s.).

3 - *Edmontonen.* Decretum 24 febr. 1937, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae* beatificationis et canonizationis Servi Dei VITALIS IUSTINI GRANDIN, episcopi Sancti Alberti, e Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae (*AAS* XXIX (1937) p. 312 ss.).

4 - *Gandaven.* Decretum 24 febr. 1937, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae* beatificationis et canonizationis Servi Dei ADULFI PETIT, Sacerdotis professi e Societate Iesu (*AAS* XXIX (1937) p. 314 ss.).

5 - *Romana seu Luceorien.* Decretum 25 april. 1937, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet post indultam Beato Andreae Bobola ab Apostolica Sede venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur* canonizationis B. ANDREAE BOBOLA Mart., Sacerdotis professi e Societate Iesu (*AAS* XXIX (1937) p. 347 ss.).

6 - *Neapolitana.* Decretum 6 maii 1937, Super dubio: *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei MARIAE CHRISTINAE A SABAUDIA, Regni utriusque Siciliae Reginae (*AAS* XXIX (1937) p. 349 ss.).

62 - S. Romana Rota
Tabulae synopticae Causarum S. R. Rotae

Anno 1936

I
Causae iudicatae

A - De matrimonio

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Clandestinitas	1	0	1
	» et defectus consensus	1	0	1
	Consanguinitas	2	0	2
	» atque vis et metus	1	1	0
	Consanguinitas et clandestinitas	1	0	1
	Defectus consensus	2	1	1
	» » ob amentiam	2	0	2
	» » ob condicionem appositam	4	0	4
	» » ob exclusam indissolubilitatem	7	3	4
	Defectus consensus ob exclusam unitatem et indissolubilitatem	1	0	1
	Defectus consensus ob exclusum bonum prolis	6	5	1
	Defectus consensus ob exclusum bonum prolis et bonum fidei	1	0	1
	Defectus consensus ob exclusum bonum prolis et dispensatio super rato	1	1	0
	Defectus consensus ob exclusum bonum prolis et sacramenti	1	0	1

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Defectus consensus ob exclusum bonum sacramenti, fidei et prolis	1	0	1
	Defectus consensus ob intentionem contra indissolubilitatem et contra bonum prolis . . .	1	1	0
	Ignorantia finis matrimonii atque vis et metus	1	0	1
	Impedimentum publicae honestatis	1	0	1
	Impotentia ex parte mulieris	1	0	1
	» » viri	2	0	2
	» » » et dispensatio super rato	4	1	3
	Ligamen	1	1	0
	Simulatio atque vis et metus	1	1	0
	Simulatus consensus	2	0	2
	Vis et metus	26	19	7
	Vis et metus et defectus consensus ob condicionem appositam	1	0	1
	Vis et metus et defectus consensus ob exclusam indissolubilitatem	1	0	1
	Vis et metus et defectus consensus ob exclusum bonum prolis	1	0	1
		75	34	41

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuere: bis de incidente, semel de iuribus, de iuribus et possessione, de iuribus et restitutione in integrum, de legato pio, de locatione operum et damnorum, de nullitate testamenti.

II

Causae quae eodem anno 1936 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

	IMPEDIMENTUM	Allegatum
NULLITATIS	Clandestinitas et vis et metus	1
	Condicio apposita	3
	» » et impotentia ex parte mulieris	1
	Consanguinitas	1
	Defectus consensus	4
	Exclusa unitas	1
	Exclusum bonum prolis	2
	» » » et exclusa indissolubilitas	1
	Impotentia viri	2
	Incidens super competentia	1
	Intentio contra bonum prolis	2
	Vis et metus	5
	» » et condicio apposita contra bonum prolis	1
	Vis et metus et defectus consensus	1
	» » et exclusum bonum prolis	1
		27

Aliae causae

Crediti, diffamationis et contumaciae, separationis, suspensionis, habuere finem sine definitiva sententia.

N. B. *Ex 75 causis, sub I allegatis, 41 causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.*

63 - Provisio Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

26 april. 1937, R. D. Alfridus Couderc, cathedrali ecclesiae Vivariensi.

26 maii 1937, R. D. Gualterus A. Forey, cathedrali ecclesiae Syracusensi.

29 maii 1937, R. D. Paulus Schulte, cathedrali ecclesiae Leavenworthiensi.

2 iun. 1937, Exc. P. D. Iosephus Guy, cathedrali ecclesiae Gravelburgensi.

6 iul. 1937, Exc. P. D. Ioannes Bargiggia, cathedrali ecclesiae Viglevanensi.

14 iul. 1937, Exc. P. D. Ioannes Giorgis, cathedrali ecclesiae Fesulanae.

30 iul. 1937, Exc. P. D. Petrus Gerlier, metropolitanae ecclesiae Lugdunensi.

6 aug. 1937, R. D. Patritius Lyons, cathedrali ecclesiae Kilmorensi.

6 aug. 1937, R. D. Duanem G. Hunt, cathedrali ecclesiae Lacus Salsi.

6 aug. 1937, R. D. Michaël Browne, cathedralibus ecclesiis Galviensi et Duacensi invicem perpetuo unitis, cum adnexa administratione perpetua ecclesiae Fenaborensis.

B- *Decreto S. C. de Prop. Fide nominatus est*:

13 april. 1937, R. P. Patricius Mulligan, O. M. Cap., archiepiscopali ecclesiae Delhiensi et Simlensi.

64 - Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

13 april. 1937, R. P. Eugenius MacPolin, e Societate S. Columbani pro missionibus apud Sinenses, Praefectus Ap.cus Kwoshuensis.

13 april. 1937, R. P. Stephanus Kim, e clero coreano, Praefectus Ap.cus Zenshuensis.

16 april. 1937, R. P. Augustinus Guérin, e Societate Missionariorum Africae, Praefectus Ap.cus *de Nzerekore*.

24 april. 1937, R. P. Iosephus Fogued, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. V. M., Praefectus Ap.cus *de Tunki* in Sinis.

14 maii, R. P. Aurelius Gianora, Canonicus Regularis S. Mauritii Agaunensis Ordinis S. Augustini, Praefectus Ap.cus *de Sikkim*.

21 maii, R. P. Pacificus a Virgine Carmeli, O. C. D., Praefectus Ap.cus S. Michaëlis de Sucumbios.

11 iun. 1937, R. P. Alphonsus Bossart, O. M. I., Praefectus Ap.cus *de Ipamu*.

11 iun. 1937, R. P. Gerardus M. H. Martens, e Congregatione Cordis Immaculati Mariae (Scheut), Praefectus Ap.cus *de Makassar*.

65 - Necrologium

16 maii 1937, D. Remigius Gandásegui y Gorrochátegui, archiepiscopus Vallisoletanus.

18 maii 1937, D. Angelus Iacintus Scapardini, archiepiscopus-episcopus Viglevanensis.

1 iun. 1937, D. Franciscus Uccellini, episcopus Catharensis.

4 iun. 1937, D. Petrus Marque, archiepiscopus Columbensis.

4 iun. 1937, D. Iulius Cusin, episcopus Mimatensis.

20 iun. 1937, D. Malaetius Abou-Assaleh, episcopus Heliopolitanus Melchitarum.

22 iun. 1937, D. Emmanuel Iosephus Cayzedo y Cuero, archiepiscopus Medellensis.

25 iun. 1937, D. Nicolaus Colangelo, episcopus Neritonensis.

28 iun. 1937, D. Bruno Occhiuto, episcopus Cassanensis.

21 iul. 1937, D. Tranquillus Guarneri, episcopus Aquapendensis et Balneoregiensis.

10 aug. 1937, D. Em.us D. Card. Eustachius Ilundáin y Esteban, archiepiscopus Hispalensis.

15 aug. 1937, D. Carolus Paulus Sagot du Vauroux, episcopus Agenensis.

16 aug. 1937, D. Iustus Antoninus Eheguren y Aldama, episcopus Ovetensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Ex Periodicis

APOLLINARIS X (1937), fasc. 1 — ALEXIUS PETRANI, *De Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali eiusque facultatibus*, p. 28-46. — ENNIUS FRANCIA, *De reservatione in Iurepatronatus*, p. 47-52. — PIUS CIPROTTI, *De iniuria ac diffamatione in iure poenali canonico*, p. 53-75.

COLLATIONES TORNACENSES XXXII (1937), fasc. 6 (Iul.) — R. MICHEL, *Tradition d'un calice non consacré à l'ordination*, p. 401-3.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XXVI (1937), fasc. 4 (Iul.) — V. HEYLEN, *De consensu parentum quoad filiorum sponsalia et matrimonium*, p. 495-503.

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS XVIII (1937), fasc. 3 (Maii-Iun.) — ARCADIUS LARRAONA, C. M. F., *De impedimentis ad Novitiatum*, p. 147-55. — AUGUSTINUS PUGLIESE, S. S., *De Missione sui iuris eiusque Praelato*, p. 175-84.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO XLVIII (1937), fasc. 5-6 (Maii-Iun.) — CESARE BADII, *Il procedimento matrimoniale davanti ai Tribunali diocesani* (contin.), p. 181-95.

ID. XLVIII (1937), fasc. 7-8 (Iul.Aug.) — CESARE BADII, *Il procedimento matrimoniale davanti ai Tribunali diocesani*, p. 257-75. — Dott. GIOVANNI PILATI, *Il potere spirituale in materia temporale*, p. 276-95.

ESTUDIOS LVII (1937), fasc. 313 (Iul.) — JUAN DE LA MARTÍNEZ G., *¿Cruzada o Rebelión?*, p. 279-314.

JUS PONTIFICIUM XVII (1937), fasc. 3 — A. TOSO, *Iurisdictio quando ab Ecclesia suppleatur*, p. 97-105 — F. WASNER, *De institutione corporali in iure canonico*, p. 131-43. — V. JELICIC, O. F. M., *De privilegio fidei eiusque fundamento iuridico*, p. 144-61.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXII (1937), fasc. 6 (Iun.) — M. PISTOCCHI, *De subiecto coactivae potestati obnoxio* (contin.), p. 171-80.

ID. LXII (1937), fasc. 7 (Iul.) — M. PISTOCCHI, *De subiecto coactivae potestati obnoxio* (contin.), p. 204-9.

ID. LXII (1937), fasc. 8 (Aug.) — M. PISTOCCHI, *De superiore potestatem coactivam habente* (contin.), p. 235-44.

PERFICE MUNUS! XII (1937), (25 Aug.) — Sac. Prof. ORAZIO SEMERARO, *Fondamenti dogmatici dell'Azione Cattolica*, p. 342-6.

PALESTRA DEL CLERO XVI (1937), vol. I, fasc. 18 (20 Iun.) — Sac. A. MANCINI, S. S., *Quanto alla canonizzazione della legge civile in re matrimoniali*, p. 414-5.

ID. XVI (1937), vol. II, fasc. 6 (20 Aug.) — Sac. A. MANCINI, S. S., *L'Ordinario del luogo in rapporto ai Religiosi quanto ai beni temporali*, p. 128-30.

PASTOR BONUS XLVIII (1937), fasc. 2 (Maii) — Prof. Dr. J. KRAUS, *Der Aufbruch des nationalkirchlichen Gedankens*, p. 35-46.

ID. XLVIII (1937), fasc. 3-4 (Iun.Iul.) — Dr. PAULUS, *Ehesacrament, Kirchenbegriff und Katholische Aktion*, p. 90-9.

ID. XLVIII (1937), fasc. 5 (Aug.) — * * * *Die kirchliche Auffassung von der Patenschaft*, p. 144-6.

THEOLOGISCH - PRAKTISCHE QUARTALSCHRIFT XC (1937), fasc. 3 — Professor FRANZ TRIEBS, *Lose Blätter zum kanonischen Prozess*, p. 406 24 — Dr. JOSEPH FLIESSER, *Ehewille und bonum prolis*, p. 425-41.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO IV (1937), fasc. 5 (Maii) — Dott. GUGLIELMO SAFFIRIO, *L'assenso matrimoniale secondo le norme concordatarie nella interpretazione di alcuni principi controversi*, p. 209-13.

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De reconciliatione sacerdotis, qui matrimonium attentare praesumpsit

(Varii casus)

Unius anni spatio, duo documenta prodierunt ex Sacra Paenitentiaria Apostolica, quibus statuitur quomodo providendum sit sacerdotibus, qui matrimonio civiliter attentato, ad cor dein reversi, ad participationem sacramentorum more laicorum petant admitti, « data quidem fide de absoluta perfectaque in posterum continentia perpetuo servanda, quamvis tamen ob gravissimas rationes cessare non valeant a cohabitatione sub eodem tecto cum suae desertionis complice »; Documenta, omnibus iam nota, sunt: Decretum *Lex sacri caelibatus,* diei 18 aprilis 1936 (1), et *Declaratio* die 4 maii 1937 (2), data.

Cum in ephemeride nostra promissio facta sit alicuius commentarii (3), non tantum circa declarationem S. Paenitentiariae, sed etiam circa alios casus qui forum externum attingunt, libenter obsecundantes votis Redactionis, sequentes casus lectorum nostrorum prudenti iudicio modeste subicere censemus.

---

(1) *AAS* XXVIII (1936), p. 242; *Periodica* XXV (1936), p. 198.
(2) *AAS* XXIX (1937), p. 283; *Periodica* XXVI (1937), p. 485.
(3) *Periodica* XXVI (1937), p. 486.

Casus primus

Sit casus primus sacerdotis, Titii, senescentis, qui, ex matrimonio civili, sacrilega prole oneratus, omnique auxilio destitutus, et ipse et filii minores stipendio mulieris complicis sustentantur. Ambo, communi consilio, veniam a Deo impretandi, iam ab aliquo tempore continentiam perfectam servant, parati ad illam in perpetuum observandam, ardenter ad sacramenta, more laicorum recipienda, admitti cupiunt. Separatio a cohabitatione moraliter impossibilis apparet.

Solutio: Casus exponatur Sacrae Paenitentiariae quae *exclusive* habet potestatem Titium absolvendi ab excommunicatione simpliciter S. S. reservata ob attentatum civile matrimonium iuxta can. 2388, § 1.

Etenim ex declaratione citata, secus ac nonnulli auctores, in commentario praedicti Decreti *Lex sacri caelibatus*, arbitrati sunt (4), constat, « *Absolutionem a censura, de qua supra, ita esse Sacrae Paenitentiariae reservatam ut nemo umquam, excepto casu periculi mortis, ab ea absolvere possit, non obstante qualibet facultate, sive per can.* 2254, § 1, *sive per privilegium, sive denique per aliud quodcumque ius ceteroquin concessa* ».

Habemus igitur reservationem quae severitate et firmitate quamlibet aliam reservationem superat, etiam illam quam *specialissimo modo* vocamus. Quae, cum ea quae in Codice Iuris Canonici statuuntur de reservatione et absolutione poenarum exsuperent, specialem interventum Romani Pontificis postulant; ideo explicite mentio fit tam in Decreto quam in Declaratione de « *suprema Sua auctoritate* », qua decernere et statuere dignatus est Summus Pontifex quidquid ibi sancitum est.

---

(4) Cf. *Periodica* XXV (1936), p. 201 s; *Nouv. Rev. Théol.* LXVIII (1936), p. 915.

Unde: in periculo mortis quidem permittitur absolutio manente cohabitatione, at imponitur obligatio, si Titius convaluerit, ad ipsam S. Paenitentiariam recurrendi, ut praescribitur in canone 2252 pro censuris a iure Sanctae Sedi specialissimo modo reservatis.

Extra periculum mortis, excluduntur omnes facultates sive iure sive privilegio quomodocumque obtentae, ita ut semper pro absolutione recurrendum sit ad S. Paenitentiariam, si separatio a cohabitatione impossibilis sit.

Mentio fit explicite canonis 2254 quia nonnulli interpretes Decreti illum non comprehendi in reservatione arbitrati sunt (5).

De modo procedendi Sacrae Paenitentiariae in casu

Ad concedendam absolutionem in casu S. Paenitentiaria, ut Decreto constat, « *servata speciali procedendi forma et sub peculiaribus quibusdam cautelis et condicionibus ab eadem Sanctitate Sua patefactis ac praescriptis* », procedere solet.

Duo sunt quae nobis scire utile erit:

1 - Sanctam Paenitentiariam omnino exigere certitudinem de vita casta perfecte observanda;

2 - ut omne scandalum efficaciter removeatur.

Scandalum removere facile erit, si condicio sacerdotalis paenitentis ignoratur in loco in quo degunt, ibique tamquam veri coniuges habentur. Hoc facilius in magnis civitatibus quam in parvis contingere potest.

Si, e contra, omnes sciunt ipsum esse sacerdotem sacrilege unitum in matrimonio civili, magna adesset inter fideles admiratio, si manentem in tali unione, sub eodem tectu cum complice et familia, viderent accedere publice ad sacramenta, maxime ad Sacram Communionem.

In talibus casibus S. Paenitentiaria rem committere solet iudicio Ordinarii loci, quin possibile sit aliquam nor-

(5) Cf. *Periodica* XXV (1936), p. 202.

mam determinatam dare, cum Ipsa, ex benignitate et prudentia sua, accommodare soleat normas procedendi necessitatibus singulorum quae valde diversae sunt, pro adiunctorum varietate.

In casu nostro ergo exponantur omnes circumstantiae S. P. a qua normam procedendi ad absolutionem impertiendam accipiet confessarius Titii.

Casus secundus

Publius, item sacerdos, qui matrimonium civilem attentavit, nunc ad se reversus et plene conversus vellet vitam sacerdotalem denuo instaurare.

Solutio: Agendum est non solum de absolutione ab excommunicatione in ordine ad reconciliationem cum Deo et receptionem sacramentorum more laicorum, sed de dispensatione ab irregularitate de qua in canone 985, 3°, et fortasse de liberatione ab aliis poenis quas incursus est miser Publius, quae in foro quoque externo valere debent.

Cum dispensatio ab irregularitate de qua in canone 985, 3°, una cum absolutione, in foro externo, ab excommunicatione de qua in canone 2388, § 1, secundum praxim nunc vigentem, reservata sint Sancto Officio, Publius, per Ordinarium suum, recurrat ad hanc Supremam Congregationem.

Quamquam, prout bonum publicum Ecclesiae postulat, magna cum cautela et parsimonia procedere soleat in his casibus Sanctum Officium, nemini, vere paenitenti et ad oboediendum parato, viam reconciliationis intercludit.

Utile ergo erit quomodo procedere soleat S. O. in eiusmodi casibus, scire.

De modo procedendi Sancti Officii in casu

1 - Cum sacerdos qui matrimonium attentavit recurrit ad S. O., si ex praeviis informationibus Ordinarii ap-

paret eum esse vere paenitentem, S. O. ei, ut primum beneficium, concedit absolutionem ab excommunicatione cum facultate accedendi ad sacramenta more laicorum, *firma manente irregularitate.*

2 - Si, post diuturnum probationis tempus, eum firmiter perseverare in bono proposito appareat, audito iterum Ordinario, ei conceditur etiam dispensatio ab irregularitate, sed quoad solam S. Sacrificii celebrationem, et hoc debitis, pro singulis casibus, adhibitis cautelis.

Semper vero et quin ulla in hac re admittatur dispensatio, sequentia exiguntur:

a - Ut ex testimonio Ordinarii signa exhibuerit sincerae paenitentiae, *diuturna experientia* comprobatae.

b - Quod intercesserit realis separatio et de facto a complice desertionis.

c - Quod, ubi per leges licebit civiles, si adfuit matrimonium civile, legalis ipsius solutio aut separatio obtenta fuerit.

Difficultates in foro externo exsurgere solent praesertim si prolis sacrilega nata fuerit. Etenim praeterquam quod providendum est ipsius sustentationi et educationi, manet gravissima difficultas vitandi scandalum quod orietur inter fideles ex commercio familiari sacerdotis cum filiis ex sacrilegio susceptis. Quare de dispensatione ab irregularitate in ordine ad sacros ordines exercendos non multum est sperandum.

Ex dictis concluditur:

1 - Absolutio ab excommunicatione et admissio ad sacramenta, cohabitatione non interrupta, reservari semper, extra mortis periculum, S. Paenitentiariae.

2 - Sic absolutus, potest etiam in actibus fori externi, ad normam C. 2251, uti talem se habere, quin necessarium sit recurrere ad alium superiorem fori externi, nisi expresse aliter in rescripto S. Paenitentiariae dicatur.

3 - Absolutio in foro externo reservatur S. O.; sed si quis iam absolutus esset in foro interno, et hoc probare posset, pro sola absolutione non teneretur ad S. Officium recurrere, ad normam can. 2251.

4 - Extra casus expositos valent normae generales de absolutione a censuris.

Haec dicta sint ut iterum iterumque appareat piam matrem Ecclesiam semper promptam esse ad filios paenitentes ad reconciliationem benigne admittendos, modo tamen id non in destructionem sed in fidelium aedificationem vergat.

Ulpianus López S. I.

MONUMENTA

66 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Litterae Encyclicae *Ingravescentibus malis*
29 septembris 1937

(per compendium)

DE SACRO B. VIRGINIS MARIAE ROSARIO

(*AAS* XXIX (1937) p. 373 ss.)

Quae ad Periodica ratione materiae pertinent, ea servantur integra; quae exhortationem continent, compendio redduntur.

Nec publicae nec privatae rei aliam esse posse medelam nisi reditum ad CHRISTUM eiusque praecepta. Cetera fulcimenta misere collabi.

Beatissimae Virginis patrocinium contra grassantes in singulis aetatibus errores cladesque publicas fuisse validissimum, quod vel maxime in navali contra Mahumedanos ad Echinadas insulas proelio magnifice patuit. — Neque vero in privato discrimine auxilium Beatissimae Virginis aut minus requisitum, aut minus efficax fuit.

« Iamvero, nostris hisce temporibus in religiosam civilemque societatem non minora ingruunt pericula. Siquidem, cum a nimium multis neglegatur, vel repudietur prorsus summa atque aeterna ratio iubentis ac vetantis Dei, consequens est ut christiani officii conscientia debilitetur, ut fides elanguescat in animis vel funditus restinguatur, ut denique ipsa humanae consortionis fundamenta labefacten-

tur ac miserrime corruant. Idcirco ex una parte videre est civium classes inter se alicubi decertare atrociter, eorum scilicet qui amplis fortunis utantur, atque eorum qui cotidiano labore victum sibi suisque comparare debeant. Atque in quibusdam regionibus, ut omnes norunt, res eo usque processit, ut privatum sit ius possidendi deletum, omniaque bona in commune redacta. Ex altera vero, non desunt homines, qui rei publicae numen se maxime colere atque efferre profiteantur, qui civilem rerum ordinem auctoritatemque firmandam omni ope praedicent, atque adeo infanda *communistarum* placita penitus esse refellenda sibi sumant; qui tamen — contempto evangelicae sapientiae lumine — ethnicorum errores eorumque ducendae vitae rationem renovare enitantur. Huc accedit vaferrima illa ac funestissima eorum secta, qui, ut infitiatores sunt osoresque Dei, aeterni Numinis hostes se iactant; quocumque irrepunt; cuiusvis religionis fidem detrectant ex animisque evellunt; humana denique divinaque iura proterunt: et cum caelestium bonorum spem ludibrio habeant, et ad commenticiam praesentis vitae beatitatem, vel per summam iniuriam assequendam, alliciant homines, eos per turbas, per cruentas rebelliones, per civilisque conflagrationem belli, ad rerum omnium dissolutionem temerario ausu compellunt.

Nihilo secius, Venerabiles Fratres, etsi tot tantaque mala impendent, ac vel maiora in posterum formidamus, non tamen concidendum animo est, neque de spe fiduciaque remittendum, quae in Deo unice nititur. Ille siquidem, qui sanabiles fecit populos ac nationes, iis procul dubio non deerit, quos pretioso suo sanguine redemit; non deerit Ecclesiae suae. Verumtamen, quod iam principio monuimus, acceptissimam apud eum deprecatricem ac patronam adhibeamus Beatissimam Virginem; quandoquidem, ut divi Bernardi verbis utamur, « sic est voluntas eius (Dei), qui totum nos habere voluit per Mariam ».

Cum aliae precandi formae utiles sint, tum illa summa commendatione digna, quae Rosarium nuncupatur, — « Psalterium Virginis — Evangelii Christianaeque vitae breviarium » merito appellatum, quantae sit praestantiae singulis quibus constat partibus — mysteriorum memoria, oratione dominica — salutatione angelica — doxologia, satis superque prodit.

Omnibus praeterea etiam rudibus et indoctis accommodata, « quam S. Dominicus mirabiliter provexit, non sine Deiparae Virginis instinctu supernoque admonitu ». — Qui eam fastidio plenam calumniantur vehementer errant, et a verae pietatis sensu alieni sunt: *Nisi... efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum* (Matth. 18, 3). — Fuerunt tamen hodieque sunt innumeri quibus rosarium in deliciis fuit, quos inter plurimi praestantissimo ingenio viri, immo etiam reges, principes, qui etiam positis genibus hac formula cotidie Deiparam salutarent. Quibus commendationibus ex eo culmen accedit, quod ipsa B. Virgo Lapurdi hunc precandi modum commendavit.

Ad proximum mensem octobrem rosarium potissime eo consilio commendatur, ut quotquot Deum esse nolunt et quotquot diversis modis Ecclesiae insidiantur, ad frugem se bonam tandem aliquando recipiant. — Quae contra Albigenses olim tutela fuit, eadem praestabit contra Communistas subsidium. — In urbibus, oppidis, pagis, viculis una, veluti veterum Cruce signatorum, vox erumpat, una supplicatio, ut B. Virgo a divino Filio tantarum procellarum finem et de communi hoste victoriam impetret.

Sunt praeterea alii e Rosario profluentes fructus: — Evangelicarum virtutum studium acuitur, — fides catholica mysteriorum pabulo alitur, — contra christianae doctrinae taedium optimum est antidotum, — et animos caelestis patriae contemplatione ad superna erigit. Fluxarum rerum despectum gignit.

Singillatim Christi Redemptoris passio, Matris perdolentis angores ad Deum redamandum stimulant, unde etiam in alios homines caritas promanat uberior.

Sit igitur cordi iis qui praesunt Rosarium propagare: — adolescentibus ad frangendas cupiditates et candorem servandum immunem, — Catholicae Actionis sociis singillatim commendetur, — iisque levamen praebeant, qui animam iamiam efflaturi sunt.

Patres matresquefamilias peculiari quadam ratione admonentur, ut suis exemplo sint. Quam pulchra et salutifera sit consuetudo ingruente nocte cum filiorum circulo Rosarium recitandi, paucis describitur. — Se quoque novis coniugibus qui frequentissimi accedunt, Coronam Marialem largiri solitum et hanc consuetudinem commendare.

Praeter alia, eo etiam fine has litteras scribi, ut gratiae Deo de recuperata valetudine agantur, quam simul intercessioni S. Teresiae ab Infante Iesu acceptam refert.

Tandem ea quoque se ratione ductum, quod ob illatas sacrilege in Polonia B. Virgini (*Reginae Regni Poloniae*) iniurias polonis episcopis ac populo consociari et cum orbe catholico contra sacrilegum facinus singulare B. Virgini pietatis officium satisfactionemque deferre velit.

Accedit pro more benedictio Apostolica.

67 - Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali Monitum 20 iulii 1937

DE NORMIS SERVANDIS QUOAD CLERICOS RITUS ORIENTALIS EXTRA FINES PROPRII PATRIARCHATUS PEREGRINANTES

(*AAS* xxix (1937) p 342 s.)

Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali pluries etiam recenter relatum est viros quosdam fraudulenter falsa documenta exhibentes et sacerdotum orientalium nomen ac vestem usurpantes per varias regiones vagari, eleemosynas quaerere, Missarum stipendia colligere, imo et facultatem Divinum Sacrificium celebrandi postulare.

Ne istae gravissimae ac sacrilegae fraudes suum habeant deprecabilem exitum, eadem Sacra Congregatio locorum Ordinarios instantissime rogat ut normas et decreta memorent quae Apostolica Sedes ad praecavendos huiusmodi dolos et damna non semel tradidit.

Praesertim vero in mentem revocari et observari debent: Decretum « Qua sollerti » d. 23 decembris a. 1929 (*AAS* xxii, 1930, p. 99) de clericis orientalibus qui in Americae vel in Australiae regiones immigrant ad curam spiritualem fidelibus proprii ritus praestandam; Decretum « Non raro accidit » d. 2 (1) ianuarii a. 1930 (*AAS*, xxii, 1930,

(1) Sic apud *AAS*; legendum tamen est 7.

p. 106) de clericis orientalibus qui in easdem regiones se conferunt ob aliam causam oeconomicam vel moralem et ad breve tempus; Decretum « Saepenumero » d. 7 ianuarii a. 1930 (*AAS*, XXII, 1930, p. 108) de clericis orientalibus eleemosynas, pecuniam vel Missarum stipendia colligentibus extra orientales dioeceses; Decretum « Quo facilior » d. 26 septembris a. 1932 (*AAS*, XXIV, 1932, p. 344) de clericis orientalibus praeter proprium Patriarchatum versantibus. Haec decreta inter alia praescribunt nullum sacerdotem orientalem ad Missae celebrationem extra proprium Patriarchatum admitti posse nisi exhibeat authenticas et adhuc validas litteras commendatitias Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali (cfr. etiam can. 804, § 1, C. I. C.) et nullum Ordinarium latinum in proprio territorio permittere posse clerico orientali, cuiusvis ordinis et dignitatis, sive pecuniae sive stipendiorum Missarum collectas facere, sine authentico et recenti rescripto eiusdem Sacrae Congregationis (cfr. etiam can. 622, § 4, C. I. C.).

Si aliquando, propter adiuncta omnino peculiaria, pecuniae vel stipendiorum Missarum collectam permittere iudicaverit, ipsa Sacra Congregatio Episcopos locorum singillatim et expresse certiores faciet de hac licentia ac de ratione tributae concessionis. Nullus ideo Ordinarius, extra casum quo ipsemet a S. Sede, vel directe vel per Legatum Romani Pontificis praemonitus fuerit, ullo modo concedere poterit vel permittere ut quaelibet collecta a clericis orientalibus in sua dicione fiat.

Quod si fecerint, ipsi respondere tenentur de Missarum celebratione, et pro modo culpae, de auxilio praestito quoad pecuniam et stipendia seu intentiones Missarum collecta. (Cfr. Decretum « Saepenumero », d. 7 ianuarii a. 1930, *AAS*, XXII, 1930, p. 109).

Ut securius qualiscumque abusus vitetur rogantur Exc.mi Ordinarii ut de his normis certiores faciant suos sacerdotes, praesertim ecclesiarum rectores, domos religiosas, et quatenus opus sit, etiam fideles.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, d. 20 iulii a. 1937.

NOTANDUM

Monitum ita clarum est per se, ut nulla egeat explicatione; Decretum *Qua solerti,* 23 dec. 1929, invenitur apud *Periodica* XIX (1930) p. 183 ss; *Non raro accidit,* 7 ian. 1930: XIX (1930) p. 190 ss. *Saepenumero,* 7 ian. 1930: XIX (1930) p. 192 ss.

68 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

OFFICIUM DE INDULGENTIIS

Decretum 31 martii 1937

INDULGENTIAE PRO RECITATIONE DIVINI OFFICII CORAM SS.MO SACRAMENTO, CLERICIS IN MAIORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTIS OLIM CONCESSAE, AD CLERICOS OMNES NEC NON AD NOVITIOS ET STUDENTES INSTITUTORUM RELIGIOSORUM QUORUMCUMQUE EXTENDUNTUR

(*AAS* XXIX (1937) p. 284 s.)

Quo ferventi studio Ss.mus D. N. Pius Pp. XI, quem difficillimis hisce temporibus supremum pastorem et rectorem Ecclesiae suae Deus praeesse voluit, Ss.mae Eucharistiae honorem fovere cultumque amplificare et propagare indesinenter curet, paene innumera gloriosi sui Pontificatus acta testantur, quorum non ultimum insignes favores spirituales impertiti clericis in maioribus ordinibus constitutis, qui divinum officium vel aliquam eius partem coram Ss.mo Sacramento, seu publicae venerationi solemniter exposito, seu etiam in sacro tabernaculo, ut de more, asservato, pie recitaverint. Hac eadem mente, ut scilicet ineffabilis huius mysterii, miraculorum a Christo factorum maximi, Eiusque erga homines ardentissimae caritatis memorialis perpetui, cultores atque adoratores et numero et

merito magis magisque in dies augeantur, nuperrime Sanctitas Sua, libentissime excipiens preces infrascripti Cardinalis Maioris Paenitentiarii, iam diu et pluribus ex orbis partibus ad id vehementer sollicitati, in audientia die 13 currentis mensis et anni eidem concessa, Indulgentias omnes et singulas pro recitatione divini officii coram Ss.mo Sacramento, ut supra dictum est, clericis in maioribus antea elargitas, ad clericos omnes, inde a prima tonsura, nec non ad novitios et studentes quorumcumque Institutorum Religiosorum, sive qui forte ex proprii Instituti constitutionibus, sive etiam qui nullo adhuc titulo ad eam recitationem adstringantur, benevolentissime, sub iisdem clausulis et condicionibus, suprema Sua auctoritate, extendere dignata est; mandans ad quos spectat ut suam hanc gratiam, modo quo solet, quamprimum publici iuris fiat. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 31 martii 1937.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Anotationes

Decreto 23 octobris 1930 S. Paenitentiariae Apostolicae, publici iuris facto in *AAS* xxii (1930) p. 439 (1), SS. Dominus N. Pius xi benigne concedere dignatus est ut clerici in Sacris constituti qui integrum divinum officium, quamvis in partes distributum, coram Ss. Sacramento sive publicae adorationi exposito, sive in tabernaculo adservato, recitaverint, Indulgentiam plenariam suetis condicionibus lucrari valeant. Quam Indulgentiam decreto eiusdem S. Paenitentiariae 5 dec. 1930 publicato in *AAS* xxiii (1931) p. 23 (2) idem Pontifex ad moniales aliasque pias mulieres

(1) Cfer *Periodica* xix, n. 64, p. 342.
(2) Cfer *Periodica* xx, n. 25, p. 145.

in communitate viventes, quae ex proprii Instituti Constitutionibus ad quotidianam divini Officii recitationem tenentur, in eadem forma iisdemque sub condicionibus extendere dignatus est. Tandem, decreto eiusdem S. Paenitentiariae 18 maii 1933 promulgato in *AAS* xxv (1933) p. 321 (3), Summus Pontifex illam Indulgentiam ita extendit, ut, firmis manentibus omnino praecedentibus concessionibus, omnes et singuli pro eorum statu ad divini Officii recitationem adstricti, si hanc peragant, etiam in parte tantum coram Ss.mo Sacramento ut supra, Indulgentiam quingentorum dierum pro unaquaque, ut dicunt Hora canonica, ceteris paribus, adipiscantur.

Quae omnes concessiones, ut patet, iis solis favent qui *vera obligatione*, saltem ex Constitutionibus, ad cotidianam divini Officii recitationem adstringuntur. Praesenti decreto, omnes et singulae praedictae Indulgentiae extenduntur ad clericos omnes, inde a prima tonsura, necnon ad novitios et studentes quorumcumque Institutorum Religiosorum, qui praedictum Officium divinum coram Ss.mo Sacramento recitant, etsi nullo adhuc titulo ad hanc recitationem divini Officii obligentur.

Indulgentiae conceduntur sub iisdem clausulis et condicionibus ac praecedentes.

Pro Indulgentia ergo plenaria requiritur ut *integrum* Officium, quamvis in partes divisum, recitetur coram Ss.mo Sacramento. Per integrum Officium intelleguntur omnes et singulae Horae unius diei, hoc est a Matutino ad Completorium (4).

Recitatio divini Officii fieri debet coram Ss.mo Sacramento sive publicae adorationi sollemniter exposito, sive in tabernaculo recondito, nec sufficere videtur ut fiat ante quodlibet altare in quo Missa offertur per tempus quod a Consecratione ad Communionem decurrit (5).

---

(3) Cfer *Periodica* XXII, n. 51, p. 163.
(4) I. CREUSEN, in *Nouvelle Revue Théologique* LVIII, p. 76.
(5) VERMEERSCH in *Periodica* XIX, p. 166.

Tandem, Indulgentia plenaria conceditur *suetis condicionibus*. Requiritur ergo, praeter visitationem ecclesiae vel oratorii publici, quae hic difficultatem facere non potest: a - *Confessio sacramentalis* peragenda intra octo dies immediate praecedentes diem recitationis vel infra octavam; a qua tamen eximuntur tum ii qui solent saltem bis in mense confiteri, tum ii qui quinquies saltem in hebdomada ad S. Communionem accedunt; b - *Communio* facta ipsa die, vel in pervigilio, vel infra octavam; c - *Oratio* saltem partim vocalis et distincta a recitatione divini Officii ad mentem Summi Pontificis, ad quam, iuxta Declarationem S. Paenitentiariae die 20 septembris 1933, publici iuris factam in *AAS* XXV (1933) p. 466 (6) sufficit recitatio unius *Pater, Ave* et *Gloria*, relicta tamen libertate ad normam can. 934 § 1, quamlibet aliam orationem recitandi iuxta uniuscuiusque pietatem aut devotionem erga Romanum Pontificem.

Ios. Pauwels S. I.

69 - Sacra Paenitentiaria Apostolica Decretum 12 aprilis 1937

PIUM EXERCITIUM, QUOD DIEM SACERDOTALEM VOCANT INDULGENTIIS DITATUR

(*AAS* XXIX (1937) p. 285 s.)

Pium exercitium offerendi Deo, stato die singulis mensibus, sanctam Missam et Communionem necnon omnes eiusdem diei orationes et quaecumque bona opera fiant pro Ecclesiae sacerdotibus et levitis, ut D. N. Iesus Christus, summus et aeternus sacerdos, eos sanctificet faciatque sacerdotes secundum cor suum, postquam a Sancta Sede specialibus privilegiis auctum est (1), ita celeriter per orbem catholicum sese extendit, ut quamplurimi Sacrorum An-

(6) Cfer *Periodica* XXII, n. 58, p. 196.
(1) *AAS* XXVIII (1936), p. 240.

tistites omnium fere nationum illud libentissime exceperint, tamquam menti Ecclesiae et pietati fidelium admodum consentaneum commendaverint, eorumque non pauci in propriae dioecesis ecclesiis publice peragi voluerint.

Tam felici permotus successu, infrascriptus Cardinalis Paenitentiarius Maior, vigore peculiarium facultatum a Ss.mo D. N. Pio div. Providentia Pp. XI sibi tributarum, die 15 mensis decembris 1936, ad uberiores fructus spirituales ex praedicto pio exercitio assequendos, in favorem christifidelium eidem sive publice sive privatim operam dantium in aliqua ecclesia aut in publico vel (pro legitime utentibus) semipublico oratorio, Indulgentias quae sequuntur benigne concessit: 1 - *plenariam*, prima feria quinta vel primo sabbato cuiuslibet mensis, feria quinta in Coena Domini, die festo beatae Virginis Mariae Reginae Apostolorum et diebus natalibus SS. Apostolorum, si praeterea peccata sua sacramentali paenitentia rite expiaverint et ad mentem Summi Pontificis preces fuderint; 2 - *partialem septem annorum*, aliis anni diebus quibus idem pium exercitium saltem contriti ac devote peregerint; atque insuper; 3 - *partialem trecentorum dierum* pro iis qui invocationem: « *Iesu, Salvator mundi, sanctifica sacerdotes et levitas tuos* » saltem corde contrito ac pia mente recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione, et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Quam quidem concessionem Sibi relatam eadem Sanctitas Sua, in audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 10 vertentis mensis concessa, benigne approbare et confirmare dignata est ac, quo solet modo, publicandam mandavit.

Datum Romae, ex Sacra Paenitentiaria die 12 aprilis 1937.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Annotationes

Privilegium hucusque pio huic exercitio a S. Sede concessum per decretum S. R. C. *Urbis et Orbis* 11 martii 1936 (1) in eo consistit quod qualibet prima feria quinta mensis, vel, de consensu Episcopi, primo sabbato mensis, in omnibus ecclesiis et oratoriis in quibus, approbante loci Ordinario, preces pro sanctificatione sacerdotum orbis universi fiunt, iis, certis sub condicionibus, addi valeat Missa votiva de Summo ac Aeterno Sacerdote Iesu Christo. Porro, idem exercitium nunc ditatur Indulgentiis, et quidem: a - *Indulgentia plenaria,* non tantum prima feria quinta vel primo sabbato mensis, sed et feria quinta in Coena Domini, die festo beatae Virginis Mariae, Reginae Apostolorum (2), et diebus natalibus SS. Apostolorum. Condiciones requisitae pro hac Indulgentia sunt praeter Missam, Communionem et orationem pro sanctificatione cleri fundendam in aliqua ecclesia aut in publico vel (pro legitime utentibus) semipublico oratorio sive publice, sive privatim, confessio et oratio ad mentem Summi Pontificis (de quibus cfr. p. 515). b - *Indulgentia partiali septem annorum* aliis anni diebus quibus pium idem exercitium saltem contriti et devote peregerint. c - *Indulgentia item partialis trecentorum dierum* conceditur pro iis qui invocationem *Iesu, Salvator mundi, sanctifica sacerdotes et levitas tuos* saltem corde contrito ac pia mente recitaverint. Quae ultima Indulgentia, cum contrarium expresse non notetur, saepius per diem lucrifieri potest (can. 928, § 2) et omnes applicabiles sunt animabus in purgatorio detentis (can. 930).

Ios. Pauwels S. I.

---

(1) *AAS* xxviii, (1936) p. 340. Cfer Periodica xxv, n. 44. p. 138.

(2) Hoc festum B. Mariae Reginae Apostolorum in Kalendario Universalis Ecclesiae non inscribitur; sed in Missali Romano inter festa pro aliquibus locis Missa habetur de B. Maria Regina Apostolorum, sabbato infra Octavam Ascensionis.

70 - Episcopatus Hispanus
Litterae communes 1 iulii 1937

AD EPISCOPOS TOTIUS MUNDI DE BELLO INTESTINO HISPANO

Lectoribus nostris latinam versionem reddimus Epistolae episcoporum Hispaniae ad episcopos catholicos totius mundi circa bellum hispanum. Versio desumpta est ex hispanico textu; edita est fere omnibus linguis. Nostrum tamen duximus praesentem editionem in Periodica *inserere tum in utilitatem illorum lectorum ad quos in propria lingua litterae nondum pervenerunt, tum ut rei quae totum mundum agitavit documentum conservetur in ordine morali praecipuum. Versio debetur carissimis scholasticis* iunioribus *Provinciae Aragoniae Soc. Iesu, qui, moderante* R. P. Tarrasó S. I., *alacrem operam adhibuerunt ad hunc laborem complendum.*

I - *Huius documenti causa*

Venerabiles Fratres:

Solent catholicae gentes in tribulationibus sese invicem adiuvare, legem illam adimplentes caritatis et fraternitatis quae omnes quotquot cogitationem et amorem Iesu Christi participamus in unum mysticum corpus consociat. Genuina autem huius spiritualis commercii instrumenta sunt episcopi, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Hispania quidem, quae aerumnam longe totius eius historiae gravissimam patitur, plurima affectus et commiserationis signa a catholicis exteris episcopis accepit, nuntiis cum privatis, tum communibus. Ideo episcopatus hispanus tam acerrime perculsus in suis membris, sacerdotibus atque Ecclesiis, cupit hoc communi documento publice rependere maximam caritatem qua sumus undique terrarum affecti.

Summa perturbatione patria nostra quatitur; non enim solum cruentissimo quodam civili bello acerbe angimur, sed etiam ingenti perturbatione quae ipsa vitae socialis firmamenta quassavit, ipsamque nationis exsistentiam in maximum discrimen adduxit. Vos, Venerabiles Fratres, praeclare haec omnia intellexistis; nam

os vestrum patet ad nos; cor vestrum dilatatum est (ut verbis Apostoli utamur), ita ut viscera vestrae caritatis erga nostram patriam dilectam nos perspicere possemus: quae Deus vobis retribuat.

Attamen simul cum grati animi significatione cupimus, Venerabiles Fratres, etiam vobis ostendere nostrum dolorem, quod earum rerum veritas, quae in Hispania eveniunt, ignoratur; compertum enim nobis est maxima documentorum copia, multos esse in exteris nationibus, quorum mens valde aberrat a factorum veritate. Huius erroris causae fortasse reponendae sint in spiritu antichristiano, qui clare perspexit eventu hispani belli supremam contineri aut incolumitatem aut detrimentum religionis Iesu Christi, christianaeque civitatis; in doctrinis politicis sibi adversantibus quae de imperio totius mundi decertant; in labore invidioso secretarum potestatum internationalium; in machinationibus eorum qui alienum a patria fovent animum, quos inter illi decepti hispani, qui catholico nomine tecti, ingentia damna genuinae Hispaniae procrearunt. Quod autem maiore nos afficit dolore, est, quod magna pars catholici preli apud exteros huiusmodi mentium errorem fovit qui sacratissimis rebus, quae in Hispania aguntur, pernitiosus exsistere possit.

Omnes fere episcopi qui hanc epistulam subscribimus conati sumus ad tempus explicare huius belli verum sensum. Gratias igitur maximas habemus illi catholico prelo exterorum, quod propriam fecit veritatem declarationum nostrarum; at simul dolemus, quod nonnulla periodica folia atque ephemerides, quae debebant esse exemplum oboedientiae et reverentiae erga vocem praelatorum Ecclesiae, illam veritatem a nobis prolatam aut oppugnaverunt aut certe corruperunt.

His rebus omnibus cogimur episcopi hispani per has communes litteras publice appellare Fratres totius orbis, hoc uno consilio ut veritas aut levitate aut malignitate obscurata effulgeat et ut ad eiusdem diffusionem adiuvemur. Agitur enim res gravissima, in qua non commoda politica nostrae nationis agitantur, sed vel ipsa providentialia firmamenta socialis vitae: religio, iustitia, auctoritas et civilis libertas.

Cum haec admonemus, explemus non solum munus nostrum pastorale, cuius est in primis veritatem docere, verum etiam triplex officium in religionem, patriam, et humanitatem: in religionem, quia cum simus testes multarum praevaricationum multorumque egregiorum facinorum quae in terra nostra facta sint, possumus illa universo terrarum orbi proferre veluti admonitiones et exempla, id quod ad nostrum ministerium episcopale pertinet, quae

omnibus futura sint emolumento; in patriam, quam episcopus defendere primus debeat, utpote « terram patrum », a nostris venerabilibus antecessoribus efformatam, atque doctrina CHRISTI moribusque valde excultam, cuius filios « in CHRISTO IESU per evangelium illi genuerunt» ; in humanitatem, quia, cum Deus voluerit ut patria nostra experiretur, quid hac doctrinae atque rationes quae in toto mundo omnium rerum potiri cupiunt, valerent, velimus ut hoc damnum nostris finibus includatur ceteraeque nationes a tanta clade serventur.

II - *Natura huius epistulae*

Huius documenti non erit thesim quandam demonstrare, sed tantum facta illa in universum exponere quae huius belli peculiarem naturam denotant eique suam speciem tribuunt historicam. Hispanum bellum procedit ex sententiis inter se necessario pugnantibus; in ipsa belli origine gravissimae quaestiones implicantur ad ordinem moralem et iuridicum, religiosum et historicum pertinentes. Non est difficile hic enucleare quaedam fundamentalia doctrinae capita his nostris temporibus accommodata; quod quidem abunde factum est vel a nonnullis Fratribus hanc epistulam subscribentibus. Attamen eo tempore vivimus, in quo plurimum valet positiva atque frigida rerum expositio, praesertim cum de rebus tanti momenti historici agatur, quales sunt quae ex hispanico bello procedunt; atque in iis desiderantur facta vivida et vigentia — id enim saepissime a nobis expostulatum est a viris exteris — quae aut asserendo res aut opponendo, simplicem veritatem in suo loco collocent.

Hac de causa hoc nostrum documentum speciem quandam induit affirmantis categorice atque empirice: primum quidem sententiam, quam nos omnes communi ferimus consilio circa rectam factorum aestimationem; deinde vero « per oppositum », iudicium quo summa cum claritate falsas assertiones tortuosasque interpretationes quibus corrupta est historia huius postremi anni vitae in Hispania prorsus diluimus.

III - *Quemadmodum affecti simus erga bellum*

In primis, quoniam bellum praevideri potuit ex quo ipse nationis spiritus acerbe et temerarie impeti visus est, oportet sciatis episcopatum Hispanum dedisse iam ab anno 1931 praeclarissima exempla prudentiae apostolicae et civilis. Nam sese aptando ecclesiasticae traditioni et viam sequendo a Sancta Sede manifestatam,

potestati constitutae sine ulla dubitatione adhaesit, cui operam suam pro communi salute conferre conatus est. Quamvis autem ecclesiasticae personae, res et iura saepenumero laesa sunt, numquam tamen abhorruit Ecclesia a consilio concordiae conservandae iamdudum statuto « etiam cum dyscolis ». Quare vexationibus opposuimus semper exemplum fidelis submissionis, cum licebat; protestationem severam, gravem et apostolicam, cum opus fuit; sinceras etiam adhortationes, quibus populo nostro saepius suasimus ut sese submitteret, ut oraret, ut sustineret, ut pacem quaereret. Populus autem catholicus nobis obsecutus est; itaque, nobis intervenientibus, concordia nationalis servata est in gravissimis quibusque socialibus et politicis perturbationibus.

Cum vero bellum exarsit, illud nos prae ceteris lamentati sumus, et quod bellum semper fuit damnum gravissimum, cui saepe in bonis dubiis compensatio nequit esse, et quod muneris nostri est reconciliatio et pax: « et in terra pax ». Iam inde ab initio belli manus ad caelum continuo tetendimus exorantes uti bello finis imponeretur. Nunc quoque repetimus illa verba quae protulit Pius Papa XI, cum mutuus timor magnarum potentiarum in novum bellum europaeum erat erupturus: « Nos pacem invocamus, paci benedicimus, pro pace rogamus ». Deus ipse nobis testis est quantopere contenderimus ut minora fierent mala quae semper bellum comitantur.

Huic autem studio pacis generose addimus persecutoribus gratiam omnibusque animi nostri sensus caritate plenos. At filiis nostris, qui ex utraque parte in acie confligunt, illa verba dicimus apostoli: *Testis nobis est Deus quomodo cupiamus omnes vos in visceribus Iesu Christi.* Sed pax est « tranquillitas ordinis » divini, nationalis, socialis et individualis qui unicuique et locum qui debetur assignat, et quod suum est tribuit, gloriam Dei omnibus aliis officiis anteponendo, et ex amore Dei amorem et officia fratribus exhibendo. Ac talis est condicio humanae naturae talisque divinae providentiae ordo (qui hucusque non fieri potuit ut aliter suppleretur) ut bellum, cum sit flagellum quoddam humano generi terribilissimum, nonnumquam sit etiam remedium heroicum, unicum ad omnes res restituendas in iustitiae ordinem atque in regnum pacis reducendas. Quare Ecclesia, etsi filia sit Principis pacis, signis bellicis benedictionem impertit, militares ordines instituit atque bellicas expeditiones adversus hostes fidei excitavit. Non est tamen huiusmodi condicio praesentis belli; Ecclesia enim neque voluit hoc bellum, neque quaesivit, neque necessarium ducimus eam vindicare a crimine interventus in bello, cuius in foliis exteris periodicis illa accusata est. Verum quidem est innumeros eius filios

dictamina propriae conscientiae sequentes et amore in patriam ductos, suo quosque periculo arma sumpsisse ut principia religionis et iustitiae christianae servarent, quae iam a multis saeculis vitam nostrae nationis informaverant; qui autem criminose Ecclesiam accusarint, quod illa aut hoc bellum provocavit, aut in illud conspiravit, aut saltem quidpiam omisit quod penes illam esset ut hoc bellum evitaret, plane veritatem ignorant eamque corrumpunt.

Hoc animo semper fuit episcopatus hispanus, Ecclesia Hispana, erga hoc bellum; Ecclesia, antequam bellum exarsit, vexationes et perturbationes passa est; ea in primis acerrime impetita est ab altera pugnantium parte; tamen nihil praetermisit orationibus, adhortationibus et auctoritate ut damna minueret diesque tribulationis pauciores faceret.

Si autem hodie communi consilio nostram sententiam pronuntiamus de hac re tam difficili, ideo facimus, primum quia, etiamsi huius belli natura ordinem politicum aut socialem solum attingeret, tamen nos, episcopi catholici, non possumus illud neglegere; nam adeo coniunctum est cum religione, tamque aperte iam ab initio apparuit alteram bellum gerentium partem exitium catholicae religionis in Hispania quaesivisse, ut desidere idem esset atque deserere quae sunt Iesu Christi, quapropter digni essemus qui vocaremur «canes muti», ut propheta eos appellat qui, cum debeant vocem extollere contra iniustitias, silent; deinde, quia ratio qua se gessit Ecclesia hispana in bello, perperam iudicata est in exteris nationibus; nam dum publicus quidam vir valde notus in quadam catholica ephemeride causam belli in archiepiscoporum mentibus obscuratis reponit, ipsosque archiepiscopos vocat senes, qui omnia quae habent a monarchico regimine acceperint, quique disciplinae et oboedientiae causa omnes episcopos in nationalem partem attraxerint; alii nos accusant temeritatis quod periculis tyrannici cuiusdam atque ambitiosi regiminis spiritalem Ecclesiae potestatem exposuerimus cuius libertas nobis defendenda est.

Nequaquam ita se res habet; hanc enim libertatem in primis expostulamus qua nostro munere recte perfungamur, ex illa enim oriuntur omnes libertates quas Ecclesiae vindicamus. Quamobrem nemini personarum, potestatum aut institutionum sumus alligati, etiamsi maximas illis habemus gratias, qui suo praesidio nos ab infesto hoste servare potuerunt, qui nos perdere voluit; immo, ut Episcopi et Hispani, operam nostram conferre cupimus illis qui regimen pacis et iustitiae in Hispania restaurare conantur. Nulla politica potestas dicere poterit nos umquam ab hac agendi ratione aberrasse.

IV - *Quinquennium ante bellum*

Affirmamus in primis hoc bellum illatum esse eorum temeritate, erroribus ac fortasse malitia vel ignavia qui id vitare potuissent, si rempublicam secundum iustitiam administravissent. Aliis minoris momenti causis relictis, primum anni 1931 legislatores, deinde exsecutiva reipublicae potestas, suo administrandi modo, nixa est nostrae historiae cursum in alium acerbe mutare nostrae naturae atque etiam condicioni omnino contrarium, ac praesertim religiosis sensibus fere omnium hispanorum oppositum. Constitutio ac laicae leges, quae illius spiritum explicarunt, fuerunt violenta continuaque aggressio contra nationis conscientiam. Divinis iuribus abrogatis et vexata Ecclesia, legalis ordo, ad religionem quod attinet, quae cum ipsa socialis vitae natura intimius est coniuncta, dissolutus est.

Hispanus populus, cuius maxima pars fidem a maioribus acceptam vivam servabat, repetitas iniurias in suam conscientiam iniquis legibus inflictas, patientissime tulit; sed magistratuum temeritas civium animos illa iniuria adduxerat ut socialem potestatem repudiarent et contra eam reclamarent, quod a summae iustitiae officio, illius scilicet quae Deo ac civium conscientiae debetur, defecissent.

Huc accedit, quod publica auctoritas in multis et gravibus temporibus plebi summam potestatem resignabat. Templorum incendia Matriti et aliis in provinciis mense maio anni 1931, tumultus in Catalaunia et in Asturia, ubi anarchia per duas hebdomadas imperavit; temporis lapsus perturbationibus plenus, qui a mense Februario ad Iulium usque anni 1936 decurrit, cum ecclesiae 413 destructae aut pollutae sunt, circiter 3000 gravia facinora ad ordinem politicum et socialem pertinentia commissa, plenam publicae auctoritatis ruinam praesagiebant, quae vi occultarum potestatum reipublicae gerendae intervenientium saepenumero succubuit.

Politicum democraticae libertatis regimen a iure distractum est et ob magistratuum libidinem et ob gubernii coactionem, quae populi voluntatem subvertit constituitque politicam quandam machinam sententiae longe plurimae civium ita reluctantem, ut postremis in electionibus, Februario 1936, cum dexterae partes sinistras superavissent plus quam 500.000 suffragiorum, tamen, quod aliquarum provinciarum tabulae suffragiorum, quae acta vocant, omnino pro libito irritae factae essent, dexterae partes 118 deputatos minus obtinuerint quam factiones quae Frontem Popularem constituebant. Itaque legitimum ius Parlamenti in ipso fonte cor-

ruptum est. Atque dum, relaxatis societatis vinculis, populus disgregabatur, deficiebat oeconomia, laboris successio sine consilio commutabatur, atque institutiones illae, quibus fulciebatur supremum societatis praesidium malitiose debilitabantur; alīus potens populus, russicus, foedera inibat cum Hispanis communistis; itaque spectaculis scaenicis et cinematographicis, ritibus et moribus extraneis, mentium fascinatione et materiali corruptione popularium animos praeparabat ut ad diem iam fere constitutam civilis erumperet perturbatio.

Die 27 Februarii anni 1936, sub Frontis Popularis victoria in comitiis, *Komintern* russicum Hispaniae perturbationis faciendae consilium ceperat maximisque pecuniis opem suam ferebat. Die 1 Maii subsequentis, centena iuvenum in matritensibus viis pecuniam collegebant « ad globos ignivomos, manualia scopleta, pulverem sulphureum, dynamitum ad instantem perturbationem ». Die 16 eiusdem mensis Valentiae in Domum quam vocant Popularem cogebantur U. R. S. S. legati cum III Internationalis hispanis legatis atque in consilio sub nº 9 statuerunt: « Commendare Matritensi coetui nº 25 designato, ministris publicis conflato civilis securitatis curam gerentibus, ut omnes viros politicos militaresque e medio tollerent qui alicuius momenti iudicarentur ad obsistendum sociali perturbationi ». Interea cum Matriti, tum in quibusque remotissimis pagis, studiosae rerum novarum militiae militarem disciplinam docebantur armisque copiose ita instruebantur ut cum bellum erupisset, 150,000 milites ad offendendum et 100.000 ad defendendum numerarentur. Fortasse Vobis videbitur, Venerabiles Fratres, horum facinorum enumeratio impropria episcopalis Documenti. Voluimus tamen haec substituere iuris politici rationibus quae nationalem motum in resistendo iustificarent. Nam sine Deo, qui vitae socialis et fundamentum et culmen esse debet; sine auctoritate, quae in ordine conservando et iuribus civilibus tuendis nulla re suffici potest; cum homines athei et sine conscientia, instrumenta quae adhiberentur a potentissimis procuratoribus internationalibus, uterentur pro arbitratu vi ipsa materiali: fieri non poterat ut Hispania non delaberetur in anarchiam quae communi bono, iustitiae et sociali ordini est contraria. Huc hispanae regiones devenerunt in quibus marxistarum perturbatio initialem motum prosecuta est.

Haec sunt quae acciderunt. Conferantur cum Sancti Thomae Aquinatis doctrina de iure ad repellendam vim; inde unusquisque sententiam iustam ferat. Nemo negaverit communis boni exsistentiam, — religionem, iustitiam, pacem, — tum cum bellum exarsisset, gravissimo discrimini commissa esse; atque universos societatis magistratus virosque prudentes, qui populum in eius naturali stru-

ctura, atque etiam in eiusdem optimis elementis efformant, publicum periculum agnovisse. Ad tertiam vero condicionem quod attinet ab Angelico requisitam de prudentium, scilicet, persuasione fore ut res probabiliter felici exitur eveniret, sententiam relinquimus posteritatis iudicio; facta hucusque probabilitati non contradicunt. Nunc autem cuiusdam exterae ephemeridis difficultati respondeamus oportet, quae in sacerdotibus occisis versatur quaeque omnia facta huius civilis perturbationis in Hispania attingere videtur: Armis, inquit, non captis a nationalibus, fieri poterat ut publica pax non perturbaretur. « Communistarum maleficiis non obstantibus, illud verum est si Franco a republica non defecisset, centenos vel millenos sacerdotum occisorum vitam fuisse conservaturos atque exercere perrecturos in fidelium animis divinum ministerium ». Hoc admittere non possumus, cum Hispaniae statum ubi bellum erupit, plane agnoscamus. Aliter prorsus se habet res atque veritas; documentis enim compertum est, excidium catholici cleri, insignium quoque virorum ad dexteras partes pertinentium, industriarum, quam vocant, sovietizationem, atque communismi intaurationem fuisse decretam, ut constat ex accuratissimis marxistae perturbationis consiliis, quae in tota Hispania eruptura fuisset, nisi milites una cum civibus, armis captis, multis in locis communistarum institutis obstitissent. Ianuario mense quidam anarchistarum dux universo orbi per undas radiophonicas ita locutus est: « Necesse est ut dicamus res ut sunt; veritas autem haec est, militares duces nobis antevertisse ut nos perturbationem concitare minime posemus ».

Quae cum ita sint, quod in his litteris pro certo compertoque in primis affirmamus, est: primum, quinquennium continuis vexationibus hispanorum civium in ordine et religioso et sociali ipsam boni publici exsistentiam in maximum periculum vocatam esse, quod profecto hispani populi animum suspensum atque ancipitem vehementer tenuit; deinde, persuasum omnibus fuisse, legalibus mediis iam frustra adhibitis, nullam reliquam esse rationem ad ordinem et pacem conservandam praeter armorum vim; tum, potestates auctoritati, quae legitima haberetur, prorsus alienas decrevisse constitutum ordinem subvertere atque vi communismum instaurare; postremo, in hanc condicionem patriam nostram necessario incidisse ut aut communismi, qui omnia vastare cuperet, postremis ictibus occumberet, ut statutum deliberatumque iam fuerat, et sicut in illis regionibus evenit ubi motus nationalis non triumphavit; aut conaretur, maxima qua fieri posset vi in obsistendo, ab hoste se liberare eaque principia fundamentalia servare quibus nationis vita socialis et peculiaris forma contineretur.

V - *Militaris motus atque communistarum perturbatio*

Die 18 Iulii superioris anni exercitus arma sumpsit et bellum erupit, quod adhuc perdurat. Sed animadvertendum est, primum: exercitum in vim non esse coortum quin praesto ei esset iam inde ab initio sani populi auxilium qui frequens motui militari se adiunxit; itaque hic civilis-militaris censeri merito debet; deinde autem hunc militarem motum ac communistarum perturbationem duo facta esse quae inter se non possunt separari, si belli naturam rite iudicare quispiam volet. Haec autem duo, etsi primo concursu in idem tempus inciderunt, tamen in duas partes iam ab initio nostram patriam omnino dividunt, quae in acie inter se confligunt.

Immo vero exercitus non in vim coortus est quin primum eius duces publicae auctoritati indixissent officium obsistendi per legem imminenti perturbationi marxistae. Frustra tamen id susceptum est; bellum exarsit; copiae civiles-militares illico congressae sunt non tam cum gubernii copiis, quae nationalem motum comprimere conatae sunt, quam cum effrenato furore popularium militiarum. Hae vero, tectae saltem passiva gubernii actione atque in militaris disciplinae ordinibus collocatae, ablato etiam ex publicis armamentariis bellico apparatu, praeter arma quae ipsae illegitime retinebant; impetum fecerunt contra id omne quod societatis praesidium constituit, veluti nivium moles de monte devoluta quae omnia devastat.

Haec est ratio peculiaris, qua partes gubernio adhaerentes contra civilem-militarem motum sese gesserunt. Est, certe, impetus ab illis copiis obiectus qui a Gubernio steterunt; sed est, in primis pugna suscepta una cum copiis anarchicis, quae se illis addiderunt, et quae una cum eis usque ad belli finem pugnabunt. Russia, quod omnibus notum est, in Gubernii exercitum se immisit, imperii militaris particeps facta est, et contendit acerrime ut, vel servata Frontis Popularis Gubernii specie, communistarum regimen, sociali ordine prorsus perturbato, instauraretur. Cum igitur de nationali motus iure iudicandum sit, nemo poterit interventum praetermittere « copiarum anarchicarum imperii impatientium » ut — verbis utamur a Gubernii Matritensis ministro prolatis — quarum vis in natione praevaluisset.

Et quoniam Deus altissimum societatis recte constitutae fundamentum est — sicut erat hispanae nationis —, communistarum perturbatio cum Gubernii exercitu sociata, divina maxime subvertit. Sic legislationis laicae Constitutionis anni 1931 periodus claudebatur, his omnibus destructis, quae Deum significarent. Privatorum

tamen interventum nolumus attingere qui sub his signis scientes stipendia non meruerunt: tantum declaramus quo facta in universum collineaverint.

Propterea in animo nationali vis quaedam exstitit religiosa, prorsus contraria atheorum actioni, quae, quiquid sapiebat religionem, delebat. Inde Hispania in duas magnas partes divisa est: utraque sibi adiunxit alterutram tendentiam maxime popularem; utraque sibi attraxit has nationis vires sibi repugnantes, quae suam opem tulerunt, non solum sese militiae conscribendo, verum etiam officia et opera sua extra aciem praestando.

Bellum, igitur, est velut armatum plebiscitum. Contentio comitiorum Februarii 1936, in quibus conscia nationalis gubernii defectio a republica seditiosis partibus iniuria victoriam dedit, quam in comitiis non obtinuerant, mutata est ope civilis-militaris certaminis cruentam in pugnam populi duas in tendentias divisi: in spiritalem, quae pro insurgentium parte stetit, qui causam ordinis, socialis pacis et traditionalis patriaeque civilitatis defendendam susceperunt, quorum magna pars etiam religionis patrocinium suscepit; et in materialisticam sive appelletur marxista, aut communista aut anarchista, quae veterem Hispaniae civilitatem in omnibus eius elementis sufficiendam voluit novissima « civilitate » a russicis sovieticis inducta.

Illae belli implicationes quae post evenerunt non mutarunt nisi accidentaliter eius naturam: internationalismus communista hispanum solum, ut exercitui populoque marxistae auxiliaretur, invasit; sicut ob naturalem defensionis condicionem ordinisque internationalis causas, arma hominesque aliis ex nationibus pro Hispania traditionali advenerunt. Attamen partes illae primae nationales permanent aequales, quamvis pugna, etsi perseverat omnino popularis, tamen speciem quandam internationalis pugnae induit.

Propterea qui acute facta observant, de huius belli natura haec scribere potuerunt: « Cursus est celeritatis bolchevismum inter ac civilitatem christianam ». « Novus gradus pugnae et forte supremus inter Perturbationem et Ordinem ». Internationalis pugna in nationali acie; communismus in Paeninsula terribile praelium cum hostibus commisit ex quo Europae sors pendet ».

Nihil aliud hactenus egimus nisi factum historicum adumbravimus; unde haec affirmatio oritur: « *Civilem-militarem motum ex necessitate illorum principiorum propugnandorum, quae fundamentum sunt cuiuslibet cultae societatis, ortum duxisse; in sua autem evolutione, pugnavisse contra anarchiam cum viribus eius gubernii colligatam, quod illa principia aut nescivit aut protegere noluit* ».

Quae ex hac affirmatione fluunt, liceat sequentibus conclusionibus comprehendere:

1 - *Ecclesia quamvis studiosissima semper fuerit pacis, bellum noluerit eique minime interfuerit, neutri tamen parti adhaerere non poterat;* prohibebatur enim sua doctrina atque spiritu, conservationis instinctu et Russiae experimento. Nam alii Deum e medio tollebant, cuius opus in mundo conservare debet Ecclesia eique tanta damna in personis, rebus iuribusque afferebant, sicut fortasse nulli institutioni umquam post hominum memoriam allata sunt; alii vero, quaecumque humana essent vitia, illum veterem spiritum, hispanum ac christianum, conservare conabantur.

2 - Ecclesia tamen, non ideo habenda est ut illorum solidaris qui vel ratione vitae instituendae, intentionum vel opinionum suarum, sive in praesenti sive in futuro, praeclarissimam nationalis motus naturam, quam in origine sua manifestationibus et finibus habuit, corrumpere attentaverint.

3 - Affirmamus civilem-militarem motum in ima populi conscientia duplicem radicem egisse: alteram amoris in patriam, cum ille motus unica ratio videretur ad Hispaniam iacentem erigendam atque ab interitu vindicandam; alteram vero religiosam, cum motus esset necessaria vis, quae Dei hostes comprimeret, fidem cultumque religiosum tueretur.

4 - Hoc tempore nulla reliqua est in Hispania spes ad iustitiam pacem et bona, quae ex his derivantur, recuperanda, quam nationalis motus victoria. Quod fortasse nunc multo evidentius quam belli initio, exstat, cum adversantium partes vel post ingentes gubernii conatus, politicum ordinem atque socialem tutum stabilemque praestare non possint.

VI - *Perturbationis communisticae peculiares notae*

Incedentis perturbationis communisticae definire oportet peculiares notas. Ea tantum dicemus quae ex his oriuntur, quae nobis sunt plane cognita, quorum multa inquisitionibus descriptivis et graphicis continentur, quae plenam faciunt fidem quaeque visu comprobare potuimus. Animadvertendum ducimus, nihil sane certi sciri posse nisi de regionibus a communistarum dominio liberatis. Nam sub communistarum potestate, vel ex parte vel ex toto, nonnullae adhuc sunt provinciae, in quibus commissa crimina tot ac tanta fere ignorantur. Si quae in perturbatione communista hispana sunt peracta crimina coniunctim iudicamus, affirmare poterimus, nihil atrocius in Deum, societatem et individuum, communi hominum consilio, nihil immanius et numero criminum, et brevitate temporis, umquam

esse factum. Nec si aspexerimus facta similia eorumque notas collegerimus, ut quaedam scelerum exempla efficiamus, poterimus aetatem aut gentem ullam in decursu temporis invenire quae tales tantasque immanitates proferre possit.

Facta tantum narramus, omissis psychologicis socialibusque interpretationibus, quae peculiare studium exigerent. Perturbatio haec anarchica est « factum singulare in historia ».

His adiungimus excidium rerum personarumque in hac communista perturbatione fuisse praemeditata. Paulo ante perturbationem 79 viri in seditionibus versati de Russia venerant. Eodem tempore Nationale Consilium Marxistae Unificationis suos socios in omnibus populis constitui in ordinibus seu militiis ad perturbationem iusserat. Templorum aut saltem sacrae supellectilis excidium systematice et ex ordine est actum. Templa omnia uno mense inutilia sacro cultui reddita sunt. Foederatio athea iam ab anno 1931 hunc articulum in suo programmate habebat « Plebiscitum de usu cui Ecclesiae parochiarumque domus destinandae sunt »; quoddam autem provinciale consilium haec efferebat: « Domus hucusque cultui destinatae, receptaculis communibus, publicis mercatibus, bibliothecis popularibus, balneis, aut institutis publicae valetudini tuendae etc. destinabuntur, prout cuiusque populi postulet necessitas ». Ad personas illustres e medio tollendas, quae perturbationi putarentur infensae, in antecessum « nigri catalogi », quos vocant, erant scripti. In aliquibus et ut primi numerabantur episcopi. Cum quidam oppidani suum parochum mortis periculo eximere vellent, en quae dixit quidam dux communista: « imperio cogimur omne eiusmodi semen tollere ».

Templorum autem excidium caedemque omnius sacerdotum fuisse praemeditatam numerus horrendus evidentissime demonstrat. Quamvis enim nondum perfectus scitur numerus, 20.000 circiter templa et sacella destructa vel omnino direpta recensentur. Sacerdotes occisi, si tantum enumeramus 40 supra 100 in dioecesibus vastatis — in aliquibus enim 80 supra 100 attingunt — ex solo clero saeculari circiter sunt 6.000. Canibus capti instar praedae venationis; per montes exagitati; cum assiduitate in latebris omnibus sunt quaesiti. Plerumque sine iudicio sunt necati, in itinere, una pastoralis muneris causa.

Perturbatio fuit « saevissima ». Caedium modus feros horrendae barbariae mores attingit. Primo quidem ratione numeri: personarum laicarum tantum propter ideas politicas, aut etiam potissimum religiosas, plus quam 300.000 sunt occisae: Matriti, tribus primis mensibus, plus quam 22.000 personarum occisae occubuerunt. Fere nullum reperiemus oppidum in quo insignes personae ad dexteras

partes pertinentes non sint interfectae. Deinde ex formae defectu: sine accusatione, sine probationibus, plerumque sine iudicio. Post ratione vexationum: plurimis aut sunt secta membra, aut horrende mutilata, priusquam interficerentur; oculi eis sunt perfossi, lingua caesa, in duas medias partes corpus disectum, multi concremati, vivi sepulti, aut securi trucidati. Maxime in Dei ministros saevitum est. Decori caritatisque causa amplius procedere nolumus.

Perturbatio fuit « inhumana ». Mulieris pudori, ne illius quidem quae se Deo devoverat, parcebatur. Sepulcra et coemeteria sunt profanata.

Illius celeberrimi monasterii romanici ad Ripoll siti sepulcra, quae inter inveniebantur Vifredi Vellosi, Cataluniae expugnatoris, atque Episcopi Morgades, clari monasteriii restauratoris, sunt destructa. Ausonae, celeberrimi Balmes est sepulcrum violatum, atque legimus capite Torras et Bages, Episcopi praeclari, foot-ball esse lusum. Matriti et in vetere coemeterio Oscensi centena sepulcrorum aperta sunt, ut cadavera dentium auro anulisque exspoliarentur. Quaedam martyrii formae animum prorsus alienum ab humanitate supponunt.

« Barbara » fuit perturbatio, cum saecularis civilitatis opera destruxerit. Milia operum arte factorum, quorum multa fama gaudebant apud omnes gentes, destructa sunt. Tabularia vel direpta vel incensa, unde investigatio historica atque instrumentalis comprobatio factorum ad ordinem iuridicum et socialem pertinentium amplius fieri nequit. Centena sunt picturarum pugione percussarum, statuarum mutilatarum, portentorum architectonicorum in perpetuum destructorum. Tam atrox fuit barbaries ut fateri liceat cuncta artis opera, religiosa praesertim, tot saeculis cumulata, paucis hebdomadis, in regionibus communismo subiectis turpiter periisse. Arcus Bará, Tarracone, opus romanicum cui viginti saecula pepercerant, dynamito eversum est. Celeberrima artis musea cathedralis Toletanae, Palatii Liriae et « Prado » sunt turpiter rapta. Innumerabiles disparuerunt bibliothecae. Nullum bellum, nulla barbarorum occupatio, nulla socialis perturbatio umquam Hispaniae intulit tantam ruinam; ad quam multa concurrerunt quae numquam alias: sapiens rerum constitutio quae teterrimo omnia, divina praesertim, destruendi consilio inserviret, atque recentiora genera vehiculorum atque instrumenta destructionis, quibus scelesti homines uterentur.

Vel prima principia « iuris gentium » conculcavit perturbatio. Meminerimus oportet Bilbai carcerum, in quibus centena vinctorum a turba inhumaniter sunt occisi; vindictarum in obsides custoditos in navibus, cum nulla fuerit caedis ratio nisi bellica quaedam cla-

des; caedium turmatim factarum, cum miseri vincti inter se alligarentur magnaque bellicorum tormentorum vi simul trucidarentur; iactuum, sine ullo militari consilio, globorum ignivomorum in urbes non munitas.

Praecipue pertubatio fuit « antihispana ». « Vivat Russia » vocibus, est perfectum opus destructionis, sub signo communismi internationalis. Hoc odium in spiritum nationalem et patrios sensus copiose comprobant et inscriptiones murales, et personarum defensio exterarum, et imperia militaria apud russicos duces, et nationis direptio pro extraneis, et communistarum internationalis hymnus.

Sed, in primis, perturbatio fuit « antichristiana ». Non possumus credere, umquam post Christianismi memoriam, spatio paucarum hebdomadarum, tantum odii erupisse in Deum et sacra, quod cogitatis, consiliis, animi impetu sese proderet. Eiusmodi in Hispana Ecclesia fuit sacrilega strages, ut communistarum hispanorum legatus ad Congressum atheorum missus Moscoviae dixerit: « Opus Sovieticorum Moscovitarum superavit Hispania, cum in ea Ecclesia sit omnino ad nihilum redacta ».

Milia numerantur martyrum, quorum testimonium nostrae miserae patriae exstat spes. Vix in Martyrologio romano invenerimus ullam martyrii formam qua communismus non sit usus, crucifixione non excepta; tamen novi inducti sunt modi martyrii, qui rebus et machinis modernis sunt inventi.

In Iesum Christum et Virginem eius Matrem eo usque pervenit odium, ut cogitari nequeat: centena imaginum Christi crucifixi pugione transfossae, Virginis effigies immaniter violatae, scelestis et publicis scriptis contumeliae in Dei Matrem Bilbai effusae, libri infames qui in vallis hostium reperti sunt, quibus divina mysteria irridebantur et sacrarum Specierum iterata profanatio; in his omnibus odium inferni miseris communistis inustum divinare possumus. En quae Iesu in Tabernaculo recondito dicebat quidam: « Iureiurando me obstrinxi de te vindictam sumere »; et cum tormentum volubile intendisset, explosit in eum, dicens: « marxistis cede; marxismo te submitte ».

Reliquiarum sacrarum profanatio terrorem incutit: destructa sunt vel usta Sti. Narcisi, Sti. Paschalis Bailón, Beatae Beatricis de Silva, Sti. Bernardi Calvó et aliorum corpora. Inverisimiles sunt profanationis modi vixque mente capiuntur sine diabolica suggestione. Campanae sunt destructae et liquefactae. Cultus omnino suppressus in partibus communistarum dominio subditis; excipe minimam septemtrionis partem.

Innumera templa, quae inter eximia artis opera inveniebantur, sunt omnino deleta: in hoc autem opere ipsi sacerdotes laborare

sunt coacti. Effigies celebres in sempiternum disparuerunt, vel destructae vel crematae. Multis in locis cives a magistratibus sunt compulsi ut res religiosas publice violandas traderent: haec quam scelesta sint perpendatur; quam perfracta ius naturae et vincula familiaria; quanta vis christianae conscientiae illata.

Abstinemus iam, venerabiles Fratres, a facinoribus iudicandis in nostra Patria a communistis patratis; nam ad historiam pertinebit facta fideliter enarrare. Quod si accusati erimus quod hispanae perturbationi notam tam turpem atque foedam inussimus, hac nos culpa liberabit Sti. Pauli exemplum, cum memoriam prophetarum Israel defendit atque in Iesu Christi inimicos invectus est acerbitate verborum; aut etiam Summus Pontifex, cum in sua Encyclica de Communismo atheo ait « eiusmodi horrifica caedes tali perpetratur odio, tantaque efferatae barbariae immanitate, ut nostris hisce temporibus incredibile prorsus videatur ».

Omnibus delictorum gratiam denuo facimus atque promittimus nos quam maximum eis bonum curaturos. Placet finem huic capiti imponere his verbis « Publici Testimonii » de his quae, tribus primis mensibus perturbationis, acciderunt: « Nihil aliud genti hispanae obiciatur quam quod his delictis patrandis fuerit instrumentum . . . » Hoc odium in religionem patriasque traditiones, quod tot rebus omnino deperditis evidenter demonstratur, « ex Russia advenit ab orientalibus perversi spiritus advectum ». Ut famae prospiciamus tot victimarum, « doctrinis diabolicis » obscuratarum, fatendum nobis est longe plurimos communistas, instante summo supplicio eis legaliter inflicto, in gratiam cum Deo suorum patrum rediisse. In Maiorica tantum 2 e centum perierunt impaenitentes; in regionibus meridionalibus non plus quam 20 e 100 et in septemtrionalibus forte 10 e 100 non numerentur. Id ostendit quam turpiter gens nostra fraudibus circumventa sit.

VII - *Motus nationalis: eius indoles ac natura*

Nunc adumbremus oportet indolem motus dicti « nationalis ». Iure hoc nomine appellari censemus. Et primum quidem, propter eius naturam, longe enim maxima nationis hispanae pars abhorrebat ab ea Status condicione quae eius intimis necessitatibus ac studiis numquam consentanea fuit; et motus ipse, veluti signum spei, in tota natione exceptus est. In regionibus nondum liberatis id unum exoptatur ut ista ferrea lorica communistarum quae eas opprimit, tandem abrumpatur. Nationalis est etiam motus propter obiectum sibi finem, cum servare atque in posterum firmare conetur id, quod maxime constituit intimam naturam populi sub Statu, qui

digne maiorum suorum historiam prosequatur. Rem exprimimus certam vehemensque omnium civium hispanorum desiderium; rationes vero, quibus id obtineri possit, non innuimus.

Motus nationalis effecit ut patriae nomen validius in animis inhaereret, reicerentur impulsus externi qui huic nomini adversabantur. Patria paternam quandam condicionem prae se ferre videtur; est veluti morale domicilium ingentis familiae, in qua cives perfectam animi informationem educationemque nanciscuntur; motus vero nationalis mirum quendam in modum animos impellit erga id omne quod hispano nomine et patria historia comprehenditur et adversus extraneos mores qui nos ad perniciem vocaverunt. Quoniam vero amor in patriam, si amore erga Iesum Christum Deum ac Dominum nostrum supra naturam efficiatur, christianae caritatis culmina attingit; idcirco vidimus hanc verae caritatis effusionem, cuius summus apex ac indicium est sanguis tot milium hispanorum civium qui eum fuderunt hac una voce morientes: « Vivat Hispania! Vivat Christus Rex! ».

In motu nationali apparuit portentum illud martyrii, veri martyrii, ut Summus Pontifex ait, tot milium hispanorum hominum, sacerdotum, religiosarum et saecularium. Hoc quidem sanguinis testimonium moderari debebit, stimulante conscientiae officio, rationem agendi eorum qui tum cum vis armorum quiescat, ad novum constituendum Statum, in pacis tranquillitate conscendant.

Motus ille publicum ordinem in terris sibi subiectis tutum esse curavit. Iam rerum statum earum regionum quibus motus nationalis praevaluit cum statu earum quae a communistis tenetur, conferamus. De his dici licet Sapientis verbum: « Ubi non est gubernator dissipabitur populus ». Hi enim sacerdotio, templis, caerimoniis sacris, iustitia, auctoritate carentes, anarchico tumultu fame et inopia vexantur. At ceterae regiones, in mediis laboribus et acerbissimo belli dolore, vitam tranquillam, interna concordia, sub verae auctoritatis tutela, degunt; quod est principium iustitiae, pacis atque illius progressus quem publicae vitae fecunditas promittit. Dum in ea Hispaniae parte marxistis subiecta sine Deo vivitur, in regionibus inde ab initio liberis, vel post pugnam redemptis, ubique cultus divinus splendet, renovantur et florent institutiones quibus vita christiana ostenditur.

Ex hac rerum condicione sperare in posterum nobis licet rationem iuste ac tranquille vivendi. Non tamen quidquam praesagire audemus. Mala enim nostra sunt gravissima. Vinculorum vitae socialis relaxatio; gubernandi mores corrupti; civilium officiorum ignorantia; conscientiae integre catholicae infirma conformatio; animorum discordia summis in patriis negotiis solvendis; e medio sub-

latio crudeli nece plurimorum ex optimis quibusque civibus, qui ob eorum condicionem et scientiam rerum publicarum ad patriam instaurandam imprimis vocabantur; odia atque inopia quae omne civile bellum subsequuntur; illae tandem exterarum gentium de Statu sententiae quae a principiis christianis se emancipare minitantur: ex his omnibus ingens oritur difficultas ad constituendam veluti novam quandam Hispaniam, in nostrae quidem antiquae historiae corpore insertam atque huius sanguine animatam. At vis ac magnitudo tanti sacrificii, quod diutius sustinuimus, spem certam nobis affert fore ut pristinum nostrae gentis spiritum rursus nos invenire possimus. Ad eum paulatim accedimus optimis legibus quibus innititur christianus spiritus in iis quae ad scientiam, iustitiam communem, honorem cultumque erga Deum maxime spectant. Faxit Deus ut sit ipse primus qui prae omnibus in Hispania digne honoretur; sic enim solummodo natio vere ac digne honorabitur.

VIII - *Obiectis respondetur*

Huius epistulae finem, Venerabiles Fratres, plene non attingeremus, si obiectis nobis ab exteris gentibus rationibus non responderemus.

1 - Criminari solent Ecclesiam contra seditionem popularem arma sumpsisse, templa ut perfugium et vallum adhibuisse ex quo sacerdotum caedes Ecclesiarumque direptio ac ruina promanarint.

Hanc asseverationem omnino negamus.

Ex improviso in omnibus fere Hispaniae regionibus in templa irruperunt seditiosi ac eodem tempore sacerdotes trucidaverunt, templa quia Domus Dei erant, incenderunt et sacerdotes ut Dei ministros variis cruciatibus necaverunt. Copiosissima testimonia afferre possumus.

Ecclesia numquam hostes praelio lacessivit. Prima veram doctrinam inculcando, ac iustitiam socialem fovendo, bonis cumulavit populum.

At ubi communismus anarchicus rerum potitus est, Ecclesia, victima innocens, pacifica, inermis succubuit.

2 - Postulant a nobis exteri homines ut eis dicamus an tertiam, sicut fertur, partem agrorum in Hispania habeat Ecclesia atque etiam an plebs ut eius oppressionem exueteret seditionem fecerit.

Ridicula est accusatio. Nam Ecclesia nihil aliud habebat nisi quasdam admodum parvas proprietates et domus ut sacerdotum domicilia atque collegia, quibus tamen his temporibus a rei publicae vectoribus spoliata est. Quae Ecclesia in Hispania habet nec quar-

tae suarum necessitatum parti satisfacere possunt; inserviunt autem nunc maxime ad sua munera sibi a Deo commissa adimplenda.

3 - Accusant Ecclesiam temeritatis factionisque nota quod cuidam pugnantium parti faveat.

Ecclesia iustitiam pacemque propugnavit et bonum commune omni loco ac tempore simul cum civili auctoritate allaboravit. Nullae factioni neque personae umquam inserviit. In res divinas oculos ferens doctrinae docendae et caritatis adhortandae munera exsecuta est omni tempore; et maxime dolet quod a magno filiorum suorum numero a vera veritatis via deductorum neglecta ac repudiata sit.

Provocamus ad copiosa scripta factaque quae has assertiones confirmant.

4 - Dicitur hoc bellum esse factiosum, Ecclesia divites favore complecti.

Qui huius belli causas naturamque noverint, aliter iudicabunt. Nam quamquam aliquam neglegentiam in suis iustitiae ac caritatis officiis exsequendis fuisset fatemur in divitibus; tamen Ecclesia et iustitiam erga opifices et caritatem urgere numquam destitit, operarios sub legis tutela ponere satagebat et pedetentim nationem ad optimam rerum distributionem ducebat. Harum pugna factionum in nationibus exteris perniciosior est quam in Hispania. In ea enim regiones maxime inopes huius belli peste liberatae sunt; at vero ibi bellum exarsit maiore impetu, ubi maiores erant divitiae.

Nec socialium legum nostrarum prosperarumque institutionem in auxilium miserorum tum privatum tum publicum oblivisci debemus; sunt enim res hispani christianique populi a maioribus traditae.

Plebs promissionibus est decepta, quae ad exitum in praesenti divitiarum inopia universa, neque a nostra nec ab quavis alia rite instructa natione perduci nequeunt. Nunc vero prospere feliciterque vita fruuntur qui in regionibus communismo vacuis degunt, qui autem adhuc sub communistarum iugo versantur maxima inopia laborant.

5 - Hispanicum bellum, aiunt, nihil est aliud nisi peculiaris scaena magni illius certaminis quod inter « democratiam » et « statismum » committitur; triumphus nationalis motus nationem in servitutem adducet. Ecclesia hispana — legimus in extero quodam periodico folio — cum facultas ipsi esset elegendi inter persecutionem gubernii matritensis et servitutem eorum qui christiani nominis nihil habent, servitutem hanc sibi exoptavit.

At non illud Ecclesiae obversatur dilemma, sed hoc aliud: Ecclesia nedum penitus intereat in manibus communismi, ut in regionibus sub huius dominatu subactis accidit, se tutam sentit sub im-

perio eorum qui politicis partibus posthabitis, principia cuiuscumque societatis et fundamenta tueri atque defendere visi sunt.

Quod ad futurum tempus attinet, quid ad huius contentionis calcem sit eventurum praedicere non possumus. Hoc sine ulla dubitatione affirmamus: bellum non ad autocratiam status adversus nationem demissam suscitandam, sed ad spiritum nationalem, fortitudinem libertatemque christianam maiorum nostrorum instaurandam, esse susceptum.

Homines qui regni habenas tenent prudentia pollere confidimus, qui innovandum regnum hispanicum non inductis exteris formis, sed prout intima patriae natura et praeterita tempora postulant, fingere et conformare decernent. Omnis societas rite instructa principiis firmis innititur iisque sustentatur, non autem doctrinis exteris mutuatis nostro spiritui pugnantibus.

Vitae natura fortior est legibus sententiisque hominum, quare prudens gubernator eam legum sententiarumque seriem quae intimis nationis viribus repugnet numquam civibus iniungendam putavit.

Conquereremur nos in primis, si autocratia parlamenti, responsabilitatis sensu expers, acri dictatoria gubernatione, nostrae nationi absona, commutaretur.

In spem iustam adducimur fore ut non ita res eveniant. Illud enim in his adiunctis magno periculo liberavit Hispaniam et quod exstiterit pristinorum constantia principiorum quae nostram vitam conformarunt, et quod ingens nostrorum hominum multitudo ad illa propugnanda impelleretur.

Erraret qui spiritualem nostram incedendi viam perturbaret; neminem autem hoc errore contaminatum iri censemus.

6 - Crimina ducibus motus nationalis similia tribuuntur his quae a Frontis Popularis asseclis patrata sunt.

« Exercitus albus (nationalis) - legimus apud insigne externum periodicum folium catholicum - media iniusta adhibet quae totis viribus reprobare debemus.... Summa nuntiorum quam penes nos habemus ostendit: terrorem album eandem crudelitatem ac omnium temporum tumultus seditionesque prae se ferre... Emolumenta ab eis obtenta si cum crudelitate quam ab ea obtinenda nationalia agmina adhibent comparabimus contemptu digna nobis videbuntur ». Huius scripti auctor non habet bonos inquisitionis fontes. Sunt enim quae dicit omnino falsa.

In proeliis omnibus aliquid supra modum saepe committi solet. Nonnihil eiusmodi in ipso nationali motu fortasse reprehendi poterit. Difficile est impetus hostis feri humanitateque carentis aequo animo sustinere. Iustitiae consulentes omnes excessus sive errores sive

a militibus alteri subiectis commissos et quos exteri maxime auxerunt reprobamus, iudicium tamen hoc, quod purgare contendimus, falsum esse dicimus; et principia quibus nititur ius, cura negotiorum eorumque applicatio in utraque bellatorum parte, toto caelo differre.

Potius dicamus iustitiam Frontis Popularis historiam funestam esse qua iura divina et humana privata et publica omnia vexabantur. Nequit esse iustitia quae Deum a mente et corde hominum depellit.

Occidere, vastare, sine iusto quodam fine spoliare adversarium inermem; haec persequi ut assiduam agendi regulam, de aliis certo praedicari possunt, de aliis autem falso et iniuria dicuntur.

Pauca iam de Vascorum « nationalismo » dicamus cuius causam multi ignorant et pervertunt eaque veluti armis ad impugnandum nationalem motum utuntur. Summa hos fratres nostros admiratione prosequimur, quod nobis civilium piarumque virtutum exempla praebuerint. Summo in eos amore adducimur propter calamitatem magnam, quam patiuntur; quam quidem ut patriae ita nostram putamus. Summo dolore afficimur erga illos vascorum moderatores quorum mentes hoc gravissimo historiae tempore obscuratae sint. Sed quod vocem Ecclesiae audire ipsi recusarint reprobamus et quod revera illis aptari possint illa Summi Pontificis verba in litteris Encyclicis de communismo: « Seditiosi homines, quorum non ingens est agmen, datam occasionem nacti, discidia eadem exacuant atque id, quod maxime volunt, consequantur, ut videlicet catholicos homines alios adversus alios sollicitent ». « Qui exacuendis inter catholicos discidiis dant operam, formidandum profecto onus tum a Deo tum ab Ecclesia in se recipiunt » « Communismus cum intrinsecus sit pravus, eidem nulla in re est adiutrix opera ab eo commodanda, cui sit propositum ab excidio christianum civilemque cultum vindicare ». « Ac quanto in antiquiore ac clariore humanitate, a christiano utique nomine invecta, gloriatur civitas ad quam perlabatur communismus, tanto perniciosior in eadem ac eorum ira exardescet ».

7 - In extero periodico folio a permultis lecto dicitur, gentes in Hispania a sacerdotibus recessisse quod isti e familiis fortuna praeditis proveniant itemque eas recusare quominus nati sacro baptismi fonte abluantur propter nimios sumptus in sacramenti ministratione impendendos.

Ad primum respondemus: vocationes in variis Hispaniae Seminariis hac numerorum ratione inveniri anno 1935 summa alumnorum erat 7.401; Nobiles 6, condicionis quae suas res familiares 10.000 pts. superabant 115; pauperes vel fere pauperes 7.280.

Ad secundum: ante rempublicam numerum filiorum sacro Fonte non mundatorum qui patres catholicos haberent non esse plus quam 1 in 10.000; sumptus autem pecuniae exigui erant, immo pro pauperibus nulli.

IX - *Conclusio*

His iam longis litteris, Venerabiles Fratres, finem imponimus rogando ut nos adiuvetis ad hanc nostram ruinam vastationemque conquerendam, qua simul cum pace iustitiaque, fundamentis salutis communis et illius vitae Sanctae Civitatis de qua loquitur Angelicus, tot tantaque cultus vitaeque christianae diruta sunt. Veritatis virtutisque oblivio in rebus politicis, socialibus ac oeconomicis hanc nobis communem calamitatem attulit.

Malam nostri populi moderationem passi sumus quia, ut dicit D. Thomas, Deus hominem perversum ac simulatorem, ut a populis peccata purgentur, regnare permittit.

Vestrae pietati, vestrarum atque fidelium preces adiungite; quo melius lectionem huius punitionis qua a Deo temptati sumus discamus; ut cito patria nostra instauretur suaque munera ac officia futura magna cum alacritate exsequi possit, quod praesagire licet ex iis quae praeteritis temporibus est exsecuta; quo melius omnium viribus et precibus haec communismi invasio Spiritum Dei et hominis spiritum, olim civilium morum veluti polos, exstinguere cupiens, impediatur.

Vestram caritatem perficite, veritatem de rebus hispanis longe lateque expandentes: « Non enim est addenda afflictio afflictis » dolori quo afficimur nostrarum aerumnarum incomprehensus dolor adiungitur. Immo eum auxerunt multi et mendacio, et insidiis, et falsis factorum interpretationibus. Ne honore quidem dignos nos censuerunt qui ut victimae iudicaremur. Iustitiam et veritatem eadem mensura qua iniustitiam et falsitatem mensi sunt.

Fides eadem data est ephemeridum mercenariis scriptoribus, libello audaci, scriptis hispani cuiuslibet hominis etiam proditoris qui patriae nomen per totum orbem famae maculis asperserit, ac Episcoporum voci, prudenti Moralium disciplinarum peritorum labori, vere et probate recensioni factorum quae humanae historiae dedecus exsistunt.

Ferte nobis opem ut veritas rerum propagetur.

Eius iura praescribere nequeunt; praesertim cum honor cuiusdam populi, Ecclesiae praeclari homines, salus totius generis hominum aguntur.

Adiuvate nos, has litteras expandendo, libros ephemeridesque catholicas typis mandatas sedulo invigilando, errores pravorum hominum aut indifferentismo affectorum refellendo.

Inimicus homo zizaniam copiose seruit; adiuvate, igitur, ut bonum semen abunde conseramus. Sinatis quaesumus, ultimam declarationem ex intimo corde in lucem proferre: Deus cognoscit quanto amore omnes qui nescientes quid agerent maximum damnum Ecclesiae patriaeque intulerunt in visceribus Christi prosequamur et ipsis parcamus. Sunt filii nostri.

Invocamus coram Deo et pro illorum salute nostrorum martyrum decem episcoporum et milium sacerdotum catholicorumque laicorum qui eis parcendo moriebantur sicarii manibus trucidati, ac dolorem quem, velut mare profundum, nostra experitur Hispania.

Orate ut odia resecentur, ut animi mutuo proximi fiant, ut caritatis vinculo omnes denuo vinciamur. Revocate in mentem memoriam nostrorum episcoporum, tot milium sacerdotum, religiosorum, laicorum praeclarorum qui suum sanguinem, omni alio amore contempto, propter Christi amorem generose fuderunt; et a Domino petite ut eorum sanguinem fructiferum reddat. Nullum ex his martyrii tempore a fide defecisse constat; eorum centena milia altissima fortitudinis christianae exempla omnibus populis ostendisse.

Nostrae Hispaniae haec est immortalis gloria.

Vestra nos supplicatione iuvate, et super nostram Hispaniam fratrum sanguine irrigatam lucebit iterum pax christiana et Ecclesia hac gloria insignis ac patria his fructibus fecunda restituentur.

Domini pax nobiscum sit omnibus, quoniam omnes ad magnum pacis universae opus vocati sumus, instaurando nempe regnum Dei aedificatione Corporis Christi quod est Ecclesia cuius nos Episcopi et pastores constituti sumus.

Has ad vos litteras scribimus ex Hispania in memoriam vestram revocantes omnes fratres defunctos et a Patria absentes, festo pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi 1° Iulii 1937.

(*Sequuntur nomina*).

Annotationes

Pauca sunt notanda quandoquidem magna perspicuitate Episcopatus Hispaniae suis litteris tum doctrinam po-

sitivam exponit tum difficultatibus quae motae erant, luculenter respondet.

Forse quis mirabitur episcopos Hispaniae tam sero scripsisse. Admiratio certe cessabit si quis consideret nec episcopos nec catholicos Hispaniae potuisse suspicari, fieri posse ut, inter catholicos aliarum nationum, dubium moveretur de iustitia belli, ex parte illorum qui contra gubernium mense iulio anni 1936 insurrexerunt. Adeo evidenter ipsis apparebat necessitas urgens armis sese defendendi contra aggressionem, actu iam exsistentem, ut crederent de hac re agere non oportere.

Non nisi sero ad notitiam illorum venit opus diffamationis quod contra catholicos Hispaniae, non sine cooperatione aliquorum etiam hispanae originis, promovebatur.

Praeterea adeo ingens offerebatur laboris et curae copia, ad restaurandam rem catholicam in territorio ab exercitu nationali liberato, ut tempus deesset ad animum divertendum ad ea quae exterius fiebant. Necesse fuit ut epistolae plurium episcoporum pervenirent ad fratres Hispaniae, quibus ipsis denunciabatur propaganda, quae ab inimicis nominis catholici inter catholicos aliarum nationum promovebatur, ut tandem necessarium putarent scribendum esse ad orbem catholicum, testimonii de rebus Hispaniae authentice ferendi causa.

Quod si sero venit, fortasse oportunius inservire potest ad causam Ecclesiae catholicae tuendam. Timendum erat, adeo passionibus animi erant agitati, quod debita fides non adhiberetur; aut studio favendi partes politicae internationalis, interventus episcoporum tribueretur.

Nunc autem interposita auctoritate praesulum Ecclesiae Hispaniae, dum temporis decursu, quam longe a veritate essent multa quae facile admissa prius fuerant, compertum est, catholicis totius mundi documentum offertur ex quo sine erroris timore quid sentiendum de bello Hispaniae sit, perspicere poterunt.

Et, in primis, deducitur bellum fuisse *nationale*. Hoc explicitis verbis asserunt episcopi Hispaniae qui testes initii belli fuerunt, sub quorum oculis prima certaminis tempora acta sunt. Non ergo ex influxu cuiusdam externae rei politicae conceptionis vel opere externi subsidii, sed viribus patriis, ad tuendam Traditionem et Civilitatem Hispaniae, quae totae catholicae sunt, adversus invadentem spiritus marxistici vim, insurrexerunt, una cum optima exercitus nationalis parte, optimi, ex omni coetu sociali, homines, sic dicti, civiles.

Secundo constat, bellum inde a primo momento, iustum fuisse ex parte illorum qui contra gubernium surrexerunt.

Quae si ita sunt, etiam apparet quomodo Ecclesia catholica in Hispania, etsi nullo modo pars in bello fuisset, non potuit testimonium veritatis moralis denegare filiis suis, et consequenter palam fateri debuit filiis catholicis, ipsos bene agere arma in exercitu nationali portando, et similiter ipsis non licere, libenter, arma una cum militibus Gubernii ducere. Quod ceteroquin explicite iam mense augusto 1936 fidelibus suarum dioecesium denunciaverunt episcopi territorii Vasconiae et Navarrae.

Quoniam de natura religiosa belli multum disceptatum est, etiam ab hominibus ingenio et scriptis notis, necessarium fuit episcopis quid veritatis in hac re haberetur pronunciare.

Episcopi asserunt bellum, in mente maioris partis militum et in mente etiam moderatorum characterem « Cruciatae » assumpsisse, id est pugnae, in primis susceptae, ut iura Religionis Christianae in tuto ponerentur in Hispania, contra veram persecutionem quibus obiecta iam erant ab anno 1931, quo nova reipublicae gubernii forma instaurata est.

Ex his demum quae afferuntur ab asseclis bolscevismi in Hispania patratis, et proh dolor! non omnia, elementum

iudicii praebetur magni valoris ad recte aestimandam « crudelitatem » quam putant, ab exercitu nationali admissam in inimicis comprimendis. Etenim dum ipsi civitates e manibus illorum eripiebant, inter captos et illos qui se ipsos dederunt multi inventi sunt, qui partem habuerunt efficacem in delictis tempore dominationis marxisticae commissis. Non ergo de militibus ut in bello communi fit, captis, sed saepenumero de reis iudicandis qui in atrocibus criminibus ab omnibus exsecratis, partem habuerunt.

Quaenam auctoritas documento sit tribuenda catholicus lector indubitanter iudicabit. Sed etiam acatholicus, si praeiudiciis duci non patiatur, acceptare cogetur testimonium virorum qui, veritatem amantes, de rebus quae sub illorum oculis acta sunt, non praecipitanter, sed postquam per annum et amplius bellum protenditur, loquuntur.

Accedit nunc testimonium episcoporum ex diversis mundi regionibus qui litteris publice ad episcopos Hispaniae datis, cum ipsis consentire explicite asserere non dubitant. Sic exempli causa Primas Angliae, Galliae et episcopi Americae septemtrionalis ut nihil dicamus de episcopis Italiae, Lusitaniae, Americae meridionalis in quorum regionibus facilius veritatem assequi licuit.

Ideo quam maxime gaudendum tandem est eo quod, sicut ad tuendas partes illorum qui Hispaniae regiones ipsis subiectas devastaverunt omnes inimici christiani nominis uno agmine convenerunt, tunc demum datum est catholicis Hispaniae, qui dolenter ferebant eorum proposita et actiones non recte a fratribus interpretari, inter tot anxietates, fratrum concordia solari.

Ulpianus López S. I.

71 - Vicariatus Generalis Dioecesis Osnabrugensis Decretum 4 martii 1936

DE PRAEVIA CENSURA ECCLESIASTICA PRO IMAGINIBUS LUCE PROICIENDIS

(apud *Kirchliches Amtsblatt für die Diözese Osnabrück*, 1936, p. 40, (1).

Sic latine reddimus Decretum, lingua germanica evulgatum:

Exhibitio imaginum (2) transparentium religiosarum atque pellicularum ex variis imaginibus compositarum textu explicativo illustratarum, sicut et pellicularum cinematographicarum characterem religiosum prae se ferentium, modestis exorta initiis, his ultimis annis multum effloruit. Quod istae imagines atque pelliculae in servitutem adhibeantur Magisterii Ecclesiastici laudibus prosequimur. Attamen omnes animum ad hoc advertant quod istae imagines et textus quatenus de doctrina et vita catholica ecclesiastica agunt atque in aulis cinematographicis paroecialibus et ad collegia catholica pertinentibus exhibentur, « *imprimatur* » ecclesiastico muniti sint oportet.

Quare praescribimus quae sequuntur:

1 - Omnes series imaginum transparentium catholicarum omnesque pelliculae ex variis imaginibus compositae necnon textus ad easdem pertinentes auctoritati epi-

---

(1) Pariter invenitur documentum apud *Archiv für Katholisches Kirchenrecht*, 1936, p. 173 s.

(2) Die Vorführung von religiösen Lichtbildern und Bildstreifen mit begleitendem Text sowie von Schmalfilmen hat sich aus kleinen Anfängen in den letzten Jahren stark entwickelt. Wir begrüszen es, dass *Lichtbild* und *Film* in den Dienst der *Lehrverkündigung* der *Kirche* gestellt wurden. Es wird aber darauf aufmerksam gemacht, dass für die Bilder und Texte das kirchliche *Imprimatur* erforderlich ist, soweit dieselben die katholisch-kirchliche Lehre und katholisch-kirchliches Leben behandeln und durch die katholischen Pfarrkinos und Vereinsbildstellen zur Vorführung gelangen.

Deshalb *verordnen* wir folgendes:

1. *Alle katholischen Lichtbildserien* und *Bildstreifen* sowie die dazu gehörenden *Texte* müssen der zuständigen Bischöflichen Behörde rechtzeitig vorgelegt werden. Es empfiehlt sich, das Material vor der Herstellung vor-

scopali competenti opportuno tempore sunt exhibenda. Commendatur ut ipsa materia ante definitivam compositionem exhibeatur, i. e. textus prelo anglico manuscriptus et imagines photographicae chartaceae. Si enim exhiberentur imagines, pelliculis iam depictae, fieri posset ut mutationes atque expunctiones forte necessariae in ipsis pelliculis et textu essent faciendae, quod vergeret in damnum pecuniarium supervacaneum.

2 - Etiam pelliculae cinematographicae (mensurae normalis et arctae) doctrinam et vitam ecclesiasticam exponentes, ante censuram civilis auctoritatis, « imprimatur » ecclesiastico munitae sint oportet antequam publice exhibeantur in aulis cinematographicis paroecialibus catholicis.

3 - Artificibus et Auctoribus suadendum est ut, ante confectionem imaginum, pellicularum seriem imaginum exhibentium et pellicularum cinematographicarum, consulendi gratia adeant officium ecclesiasticum pro pelliculis [*et, inter parentheses, exponuntur nomina germanica eiusdem officii*] quod invenitur apud Principale Officium Laboris Episcopale, *Dusseldorpii,* Reichsstrasse 20.

Hac occasione reverendo Clero commendatur ut sese, ad modum membrorum sustinentium (qui annatim ad minimum binas *marcas* solvunt) adscribendos curent *associationi catholicae pro spectaculis cinematographicis* [*et indicatur directio postalis*], ut aptas convenientesque pel-

---

zulegen, d. h. den Text in Maschinenschrift und die Photos der zu verwendenden Bilder. Wenn die bereits kopierten Bilder und Bildstreifen vorgelegt würden, müszten gegebenenfalls notwendige Aenderungen und Ausschnitte in Bild und Text gemacht werden, wodurch unnötige Kosten entstehen könnten.

2. Auch die *Filme* (Normal-und Schmalfilme), welche kirchliche Lehre und kirchliches Leben behandeln, müssen vor der staatlichen Zensur das kirchliche Imprimatur erhalten haben, bevor sie durch die katholischen Pfarrkinos zur Vorführung gelangen.

3. Es ist angeraten, dass sich Hersteller und Autoren vor der Fertigstellung von Bildern, Bildbändern und Filmen zwecks *Fachberatung* mit der kirchlichen Filmstelle (FDK Filmarbeitsgemeinschaft der Deutschen Katholiken und dem KLV Katholischer Lichtspielverband) in der Bischöflichen Hauptarbeitsstelle *Düsseldorf*, Reichsstrasse 20, in Verbindung setzen.

Bei dieser Gelegenheit wird der hochwürdigen Geistlichkeit empfohlen, dem *katholischen Lichtspielverband* e V. in Düsseldorf, Reichstrasse 20

liculas maiori numero confici queant, quae apud paroecias et associationes catholicas exhibeantur.

Osnabrugi die 4 martii 1936.

VICARIATUS GENERALIS EPISCOPALIS.

ANNOTATIONES

Pauca sunt adnotanda circa ipsam rem, quae praescribitur, et deinde circa relationem eiusdem ad ius commune; itaque:

I - QUID PRAESCRIBITUR?

1 - Species imaginum

Tres species imaginum luce proiciendarum praesenti Decreto distinguuntur; scilicet:

primae speciei sunt imagines translucidae, singulae separatim confectae, ut quae plerumque ex vitro, interdum vero etiam ex membranis sive pelliculis pellucidis, ope artis photographicae conficiuntur (*Lichtbilder*);

secundae speciei sunt pelliculae sive scidae oblongae, materia translucida atque flexibili confectae, ex variis imaginibus sat parvis compositae (*Bildstreifen*); quae pelliculae, cum, in volumen redactae, minimum spatium occupent atque lucernae levissimae ope proiciantur, quae facile hinc inde portari potest, hodie, in Germania praesertim, frequentioris usus sunt. Agitur, ut patet, de imaginibus quae singillatim oculis spectantium obiectae, eis non apparent ut motu praeditae. Variae istae imagines, in una scida exsistentes, totum quoddam constituunt, quod facile

---

(Postscheckkonto Köln 2050) als fördernde Mitglieder (mindestens 2. — RM. Jahresbeitrag) beizutreten, damit mehr geeignete Filme zur Vorführung in den katholischen Pfarrgemeinden und Vereinen geschaffen werden können.

Osnabrück, den 4. März 1936.

Das Bischöfliche Generalvikariat.

reproducitur atque, in usum oratorum, una cum textu explicativo, venale saepe prostat;

tertiae speciei sunt illae imagines quae peculiari et complicato apparatu proiciuntur sive mittuntur in parietem, ubi spectantibus uti sese moventes apparent, cum vel sine voce concomitante (*Filme*). Raro venduntur (sive locantur) una cum textu explicativo, a declamatore quodam recitando; sed, si ipsae vocem non edunt, ipsarum imaginum proiectio identidem interrumpitur verbis et litteris in parietem proiectis.

2 - Decreti normae

Iamvero: in *primo* Decreti numero tanguntur *prima* et *altera* imaginum species; non quidem imagines *singulares primae* speciei (nam dicitur « Lichtbild*serien* = *series* imaginum », quamvis Decreti Introductio ne hanc quidem distinctionem efferat); sed *omnes* (« *Alle* ») aliae; sive a clericis, sive a laicis confectae sint; sive multiplicatae sint et evulgandae, sive semel dumtaxat in usum unius oratoris collectae; immo, quamvis Decreti Introductio et altera norma aliter insinuant, illae etiam, quae *extra aulas paroeciales* sunt exhibendae.

Ubi enim lex (et in tribus istis numeris ipsa lex formulatur) non distinguit, nec nobis distinguere licet. Attamen cum, quod ad imaginum exhibitionem extra aulas paroeciales attinet, tam evidens videatur, ex oppositione legis ipsius cum praemissa Introductione, conflictus inter mentem legislatoris et verba legis, quamvis *iuridice* omnino standum sit claris legis verbis (cf. can. 18), in morali tamen applicatione frequens erit epikeiae usus.

Immo, fatendum est et alias praescripti applicationes, quas fideliter legis verbis inhaerentes fecimus, sat severas esse. Num orator, qui semel in aula paroeciali orationem habere desiderat serie imaginum illustranda, puta de peregrinatione romana, de Terra Sancta, et argumentis si-

milibus, singulis vicibus Curiam episcopalem petere debebit? Ex decreti tenore debet. Incommoda tamen ex tali lege oboriunda non raro consideratione digna erunt, praesertim in casu ubi ipsa imaginum series nihil contineat quod possit animis nocere.

Altera Decreti *norma* explicite quidem limitatur ad exhibitiones in ipsis aulis paroecialibus habendas; attamen alia premitur difficultate, uti attente legenti statim apparet. Duo enim distincta sunt quae Legislator statuere intendit: *primum*, pelliculas (*tertiae* speciei) ecclesiastico *imprimatur* munitas esse debere, antequam exhibeantur; *alterum* easdem civili censurae non esse subiciendas antequam ecclesiasticum *imprimatur* obtinuerint; quae tamen grammatice ita inter se connectuntur, ut legem exhibeant quae, iterum, certo intentionem Legislatoris excedit. Puta, sane, secundo praescripto (culpabiliter vel secus) satisfactum non fuisse, atque certam quandam pelliculam ecclesiasticum quidem *imprimatur* obtinuisse, *post* civilem censuram tamen. Lex violata est. Num tamen propterea exhibitio illius pelliculae illicita evadit? Ad mentem Legislatoris, evidenter non; secundum legis tenorem, sic! En igitur iterum casum, qui epikeiae usum expostulat, ut stricti iuris rigor aequa applicatione emolliatur.

Certe, nec semper nec per se epikeiae necessitas internum legis defectum arguit (1), sed praeterquam ex inevitabili omnis humanae legis deficientia, potest etiam, uti praesenti Decreto demonstratur, profluere ex imperfecta verborum legis cum mente legislatoris congruentia.

II - RELATIO PRAESCRIPTORUM AD IUS COMMUNE

Quod obiter legentibus Decreti Introductione insinuatum videri posset, exhibitionem scilicet imaginum et ora-

(1) Cf. S. THOMAE *Summ. Theol.* I II, q. XCVI, art. 6, ad 3 et CAIETANI expositio *i. h. l.*, pariter II II Q. LX, art. 5, ad 2; SUAREZ *de Legibus*, Lib.-VI, cap. VI, n° 4.

tionum, rem catholicam tangentium, in aulis Ecclesiae directe subiectis, vi *iuris communis* fieri non debere, quin praecesserit ecclesiastici *Imprimatur* concessio, utrum verum sit, addubitari potest (2).

1 - De textu explicativo

Quod ad ipsos textus recitandos attinet, responsum negativum amplectendum nobis videtur. Tota enim legislatio canonica de praevia « librorum » censura, ad scripta *edenda* limitatur; nec ea quae scripta recitantur, etsi ante multos auditores, *edi* dicuntur sensu canonico. Vide omnes unanimiter in can. 1384 § 2 commentarios. Nec ratio legis forte eadem, subditum interpretem nova praescripta adstruendi praebet facultatem, ut diserte probavit Ulpianus López, S. I. in eisdem his *Periodicis* pro casu simili (3).

In solo casu ubi textus recitandi, et quidem multiplicati, venum dantur, standum est can. 1385 et ss. Codicis Iuris Canonici; idque sive in aulis ecclesiasticis recitandi sunt, sive alibi.

Sub hoc ergo respectu praesenti Decreto ius conditur praeter Ius Codicis; ius ergo particulare, cui applicanda sunt praescripta can. 14.

2 - De ipsis imaginibus

Quod attinet ad ipsas imagines proiciendas, res magis complicata est; distinguamus:

a - si imagines illae *sacrae* sunt, sensu canonis 1385 § 1 3°, iam quibusdam videntur iure communi publice exhiberi non posse absque licentia illorum Ordinariorum, de quibus eiusdem canonis § 2. Quod nobis tamen non pro-

(2) Dr. I. Haring, apud *Linzer Quartalschrift* xc (1937), p. 691, post succinctam Decreti Summam, sic simpliciter dicit: « Rechtfertigen lässt sich diese Verfügung mit can. 1385, Cod. jur can. ».

(3) *Periodica* xxiv (1935) p. 52* s.

batur. Can. enim 1385 § 1 3° respicit tantummodo imagines *imprimendas* atque *edendas* (cf. numerum laudatum necnon ipsum exordium canonis). Iamvero, in ratione *impressionis*, utrum haec fiat in charta, vel in alia materia, vel in pariete, nihil quidem referre videtur; rationem autem *editionis* in casu verificatam non videmus. Plura quidem elementa *editionis*, ut sunt quaedam analoga imaginis multiplicatio (eo nempe facta, quod plures simul eandem inspicere queunt), et quaedam publica evulgatio certe in casu deprehenduntur; tamen non omnia. Nam, ad sensum quem vox *editio*, in interpretanda Constitutione *Officiorum ac munerum*, semper habebat quique consequenter, ad normam can. 6 2°, in interpretandis his canonibus retinendus est, illa dumtaxat *edi* dicuntur, quae, quavis ratione multiplicata, quandam permanentiam sortiuntur; quae, igitur, in pluribus exemplaribus prostant et quidem publico commercio.

Qui affirmet has imagines, ipso facto proiectionis *edi*, sensu canonico, idem debet substinere de imaginibus pictis, publica expositione exhibitis; quod nemo, quantum scimus, umquam defendit.

Aliter dicendum si imagines istae (et idem valet de pelliculis *tertiae* speciei [*Film*] vitam Sanctorum, Christi Domini etc. exhibentibus, vel saltem de illis earum partibus, quae definitioni imaginum sacrarum respondeant) arte photographica multiplicentur, atque locandae sive vendendae offerantur; tunc enim, non ratione proiectionis sed multiplicatae impressionis, *edi* dicendae sunt, et can. 1385 § 1 3° substant.

b - si imagines sacrae *non* sunt, sed simpliciter doctrinam vel vitam christianam respiciunt, ut v. g. imagines Terrae Sanctae, Palatii Vaticani, Basilicarum Urbis, nec ipsa earum publica proiectio, ut ex praecedenti disputatione a fortiori liquet, nec earum *editio*, iure communi, praeviam censuram expostulat. Nullo enim canone talis censura imponitur.

c - quid vero, si de imaginibus *tertiae* speciei (*Filme*) agatur, quid de voce ab ipsis pelliculis edita, quid de textibus inter imagines proiectis in parietem?

Vox, ab ipsa pellicula edita, certe non subest legislationi de praevia censura librorum; nova enim ista res iure Codicis non est praevisa, quod editis *scriptis* (can. 1384 § 2) limitatur; quidem, sicubi ad genus sacrarum contionum reducenda sit, applicari debent can. 1327 s. et 1337 ss.

De *textibus* vero, inter ipsas imagines intercedentibus, aliter iudicandum videtur: sunt enim, non, uti supra diximus, ratione ipsius luminosae proiectionis, sed ratione multiplicationis, *scripta* edita cui igitur, nisi aliud constet, applicanda sunt omnia praescripta tituli XXIII libri III *CIC* (ex can. 1384 § 2).

Textus isti totam rei substantiam continere possunt; atque - quod obiter adnotare liceat — si de pelliculis agitur, ex materia librorum prohibitorum conflatis, etsi, ut cum Ulpiano López (2) ultro admittimus, ratione *imaginum* non subsint prohibitioni, qua ipse liber afficiebatur, tamen fieri potest ut subsint ratione textuum.

Quibus igitur ex iure communi disputatis, facile erit determinare quousque praescripta Decreti Osnabrugensis ius illud reddant, et quaenam eorum partes rationem induant iuris particularis. Cuius applicationis curam libenter lectori relinquimus.

Ios. Creyghton, S. I.

(2) *Periodica* XXIV (1935) p. 52* ss.

ACTA SUMMATIM RELATA

72 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A - Bulla *Inter apostolicas* 13 april. 1937, ab archidioecesis Agraensis in Indiis Orient., territorio urbs et districtus *de Delhi* totaque illius territorii pars, quae sub Metropolitae Agraensis dicione modo versatur et ad civilem provinciam seu gubernium de Punjab pertinet, separatur et seiungitur. Istud vero territorium, ab archidioecesi Agraensi ita avulsum, archidioecesis Simlensis territorio unitur et coagmentatur (*AAS* XXIX (1937) p. 383 s.).

B - Bulla *Aeterna animarum*, 8 maii 1937, ab archidioecesi Rigensi civiles districtus Curlandia et Semigallia perpetuo seiunguntur, atque e territorio ita avulso nova erigitur dioecesis, coarctatis hac ratione archidioecesis Rigensis finibus, eaque ab urbe *Liepaia « Liepaiensis »* nuncupabitur (*AAS* XXIX (1937) p. 384 ss.).

C - Bulla *Plurimum sane*, 8 maii 1937, decernitur ut totum territorium quod intra Reipublicae Lettoniae fines comprehenditur, unicam efformet ecclesiasticam provinciam, ex sede Rigensi metropolitana et ex sede Liepaiensi suffraganea constitutam, quae Rigensis nuncupabitur. Cathedralis igitur Rigensis ad Ecclesiae Metropolitanae gradum et dignitatem extollitur (*AAS* XXIX (1937) p. 387 s.).

D - Bulla *Ecclesiarum in orbe*, 22 maii 1937, ex dioecesi Detroitensi in Foederatis Americae Sept. Statibus, territorii pars seiungitur et ex ea nova erigitur dioecesis *« Lansingensis »* nuncupanda (*AAS* XXIX (1937) p. 389 ss.).

E - Bulla *Ad aeternam christifidelium*, 22 maii 1937, a Provincia Ecclesiastica Cincinnatensi dioeceses Detroitensis et Grandormensis atque a Provincia Eccl. Milwaukiensi dioecesis Marquettensis separantur, simulque ex hisce dioecesibus una cum modo erecta dioecesi Lansingensi nova constituitur Provincia Ecclesiastica Detroitensis (*AAS* XXIX (1937) p. 391 ss.).

F - Chirographo *E' piaciuto,* 3 sept. 1937, ad Em.um P. D. Eugenium Tit. SS. Ioannis et Pauli S. R. E. Presbyterum Card. Pacelli, a Secretis Status, Summus Pontifex, Sibi reservat munus Praefecti S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus (*AAS* xxix (1937) p. 381).

G - Chirographo *Tra le molte mansioni,* 8 sept. 1937, ad Em.um P. D. Eugenium Tit. SS. Ioannis et Pauli S. R. E. Presbyterum Card. Pacelli, Summus Pontifex Em.um ac Rev.mum Card. a Secretis Status pro tempore constituit Protectorem Academiae Pontificiae Nobilium Ecclesiasticorum (*AAS* xxix (1937) p. 382).

H - Litterae praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Ap.cis et Missionibus.

Brevi *Spectat ad Romanum Pontificem,* 25 mart. 1937, ab Apostolica Aegypti Delegatione Erythreae ac veteris Imperii Aethiopici territorium distrahitur ac separatur, atque ex hoc territorio, addita quoque Somalia Italica *Delegatio Apostolica ab Africa Orientali Italica* nuncupanda constituitur; pariterque ex nunc et in posterum Delegati Apostolici Africae Orientalis Italicae residentia in urbe quam vocant « Abdis-Abeba » erit (*AAS* xxix (1937) p. 394 s.).

I - Litterae de Ecclesiis:

1 - Brevi *Olim in dioecesi,* 24 maii 1937, monasterii de « Aiguebelle » e Cisterciensium Reformatorum Ordine templum ad honorem Nostrae Dominae Deo dicatum, intra fines dioecesis Valentinensis, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* decoratur (*AAS* xxix (1937) p. 395 s.).

2 - Brevi *Gratianopolitanae dioecesis,* 6 iun. 1937, paroecialis ecclesia in honorem Sancti Ioseph Deo dicata in civitate ac dioecesi Gratianopolitana, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* una cum privilegiis liturgicis cohonestatur atque condecoratur (*AAS* xxix (1937) p. 396 s.).

73 - S. C. Consistorialis

Nucerinae et Tadinensis - Fulginatensis. Decretum 5 iunii 1937, quo paroecia S. Helenae *di Annifo* a dioecesi Nucerina seiungitur atque dioecesi Fulginatensi attribuitur, mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus (*AAS* xxix (1937) p. 399).

74 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

Romana seu Luceorien. Decretum 16 maii 1937, Super dubio: *an stante approbatione duorum miraculorum post indultam Beato ab Apostolica Sede venerationem* tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem* canonizationis B. Andreae Bobola Mart., sacerdotis professi e Societate Iesu (*AAS* XXIX (1937) p. 403 ss.).

75 - Provisio Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:*

26 maii 1937, Exc. P. D. EDUARDUS MOONEY, ecclesiae Detroitensi, nuper in metropolitanam erectae.

26 maii 1937, Exc. P. D. IOSEPHUS ALBERS, cathedrali ecclesiae Lansingensi, nuper erectae.

31 iul. 1937, Exc. P. D. IACOBUS KEARNEY, cathedrali ecclesiae Roffensi.

12 aug. 1937, Exc. P. D. PETRUS CAPIZZI, cathedrali ecclesiae Calatayeronensi.

14 aug. 1937, Exc. P. D. IOANNES DELAY, cathedrali ecclesiae Massiliensi.

14 aug. 1937, R. D. FELIX ROEDER, cathedrali ecclesiae Bellovacensi.

14 aug. 1937, R. D. FRANCISCUS AUVITY cathedrali ecclesiae Mimatensi.

16 aug. 1937, R. D. LEO NELLIGAN, cathedrali ecclesiae Pembrokensi.

16 aug. 1937, R. D. IOSEPHUS RYAN, cathedrali ecclesiae Hamiltonensi.

30 aug. 1937, R. D. ANIELLUS CALCARA, metropolitanae ecclesiae Compsanae atque ecclesiis cathedralibus S. Angeli de Lombardis et Bisarciensi, aeque principaliter unitis.

30 aug. 1937, R. D. RAPHAËL BARBIERI, cathedrali ecclesiae Cassanensi.

6 sept. 1937, R. D. EPIMENIUS GIANNICO, cathedrali ecclesiae Triventinae.

14 sept. 1937, Em.us ac Rev.mus P. D. PETRUS S. R. E. Presbyter Card. SEGURA Y SÁENZ, metropolitanae ecclesiae Hispalensi.

20 sept. 1937, Rev.mus D. VINCENTIUS DEL SIGNORE, cathedrali ecclesiae Fanensi.

20 sept. 1937, R. P. Iosephus Palatucci, O. F. M. Conv., cathedrali ecclesiae Campaniensi.

B - *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt*:

17 iun. 1937, R. P. Marcellus Maradan, cathedrali ecclesia Portus Victoriae in Seycellarum insulis.

21 iun. 1937, R. P. Gregorius Vuccino, e Pia Soc. Presbyt. ab Assumptione, cathedrali ecclesiae Syrensi.

1 iul. 1937, Exc.mus P. D. Vincentius Dereere, cathedrali ecclesiae Trivandrensi Latinorum, noviter erectae.

76 - Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

21 maii 1937, R. P. Gabriel Arosio, e Pont. Inst. pro mission. ad exteras gentes, Praefectus Ap.cus *de Neghelli*.

16 iun. 1937, R. P. Stanislaus a Virgine Perdolente, e Congr. Clericorum Excalc. SS.mae Crucis et Passionis D. N. I. C., Praefectus Ap.cus *de Dodoma*.

17 iun. 1937, R. P. Patritius, Mauritius Connaughton, O. F. M., Praefectus Ap.cus *de Suihsien* in Sinis.

18 iun. 1937, R. P. Patritius, Iacobus Byrne, e Soc. de Maryknoll pro miss. exteris, Praefectus Ap.cus *de Kyoto*.

23 iul. 1937, R. P. Edgarius Larochelle, e Soc. pro mision. exteris Provinciae Quebecensis, Praefectus Ap.cus *de Lintung*.

24 iul. 1937, R. P. Iacobus Jacobs, ex Ord. Praemonstratensium, Praefectus Ap.cus *de Lolo*.

24 iul. 1937, R. P. Iosephus Stebler, e Soc. Lugdunensi pro mission. ad Afros, Praefectus Ap.cus *de Sokode*.

77 - Necrologium

19 aug. 1937, D. Carmelus Pujia, archiepiscopus Rheginensis.

21 aug. 1937, D. Angelus Raphael Bernacchioni, archiepiscopus Agraensis.

30 aug. 1937, Em.mus D. Card. Caietanus Bisleti, Tit. S. Agathae, Praefectus S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

9 sept. 1937, D. Ioannes Baptista Pelt, episcopus Metensis.

13 sept. 1937, D. Ioannes Iosephus Guillén y Salazar, episcopus Cajamarcensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex Libris

P. Arrighini A., *Ai nostri fratelli separati,* Torino-Roma (Marietti) 1937, 13×20 cm., 662 p., pretium: L. it. 20.

Prefazione - Riforma - Riformatori - La Chiesa primitiva - Le due Chiese - Le due Bibbie - La Tradizione - Credere e peccare - Il Primato - L'infallibilità - Lavacro di rigenerazione - La presenza reale - Confessione auricolare - Matrimonio indissolubile - Sacerdozio celibe - Sacramenti nulli - Purgazione - Suffragi - Indulgenze - Dannazione - Culto dei Santi - Culto della Madonna - Culto delle Immagini e delle Reliquie - I Miracoli - Pregiudizi storici - Conversione.

Caesar Carbone, *Praxis Ordinariorum* ea omnia potissimum complectens quae clericis scitu necessaria seu utilia habentur pro experimentis ordinationibus praemittendis ad canones Codicis redacta, Taurini (Marietti) 1937, 11,5×18 cm., xii-262 p., pretium: L. it. 10.

Prooemium - De Ordinibus minoribus (De Ordine generatim inspecto - De prima Tonsura - De singulis minoribus Ordinibus) - De Ordinibus maioribus (De Ordinibus maioribus in communi - De Subdiaconatu - De Diaconatu - De Presbyteratu) - Parergon (*Varias exhibens formulas opportunas*) - Index analyticus.

Avocat Jean Dal, *De Marx à Staline...* Les conceptions philosophiques des Soviets, Malines (Collections « Réaliser » N° 2) 1937, 12 × 18 cm., 62 p., pretium: Fr. 3.

Armandus Gougnard, *Tractatus de Matrimonio.* Editio octava denuo secundum Codicem recognita necnon ad normam recentiorum decretorum accommodata, Mechliniae (Dessain) 1937, 14,5×22,5 cm., viii-682 p.

De matrimonii praeparatione (De promissione matrimonii - De officio parochi atque confessarii erga nupturientes - De proclamationibus antematrimonialibus) - De matrimonio universim spectato (De essentia et institutione matrimonii - De matrimonio ut est sacramentum - De consensu matrimoniali - De forma celebrationis matrimonii - De obligationibus matrimonii - De proprietatibus matrimonii) - De impedimentis matrimonii (De impedimentis in genere

- De impedimentis impedientibus - De impedimentis dirimentibus) - De dispensationibus matrimonialibus (De dispensationibus praematrimonialibus - De matrimonii convalidatione) - Indices (canonum - alphabeticus - synopticus).

Abbé Charles Grimaud, *Aux membres du Corps Mystique. Lui et nous: un seul Christ,* Paris (Téqui) 1937, 12×19 cm., 320 p., pretium: Fr. 12.'

Notre Chef - Notre jointure au Chef - L'état du membre joint - Nos titres dans le Christ - Fils de Marie: avec le Christ - « Notre » vie éternelle dans le Christ.

Abbé J. Koenig, *Nouveau Mois du T. S. Rosaire et Mois de Marie,* d'après les Encycliques du Pape Léon xiii, Paris (Téqui) 1936, 11×17 cm., xvi-298 p., pretium: Fr. 12.

Post seriem meditationum singulis diebus mensis mariani adaptatarum, variae sequuntur preces et instructiones de usu SS. rosarii.

Louis Lajoie, C.J.M., *Au seuil de la vie.* Méditations sur la Naissance et le Baptême (A' L'école de St. Jean Eudes. ii), Paris (Téqui) 1937, 12×19 cm., xii-106 p., pretium: Fr. 6.

Le Verbe s'est fait chair - Mon Supplément Divin - L'Eau et le Feu - Autre Christ! - « Je te baptise » - Dieu et moi - « Promesse grande et très grande » - Souveraine et Mère.

Abbé Emm. Legrand, *Apôtres et Martyrs.* Du bienheureux de Brébeuf au bienheureux Chapdelaine, Paris (Téqui) 1937, 12×19 cm., vii-292 p., pretium: Fr. 15.

La France missionnaire - La France au Canada - Le témoignage du sang - Le sang des martyrs, semence de chrétiens - La France en Asie - Missionnaires dans l'Inde - Apôtres et martyrs d'Indo-Chine - Apôtres et martyrs de Corée - Missionnaires français en Mandchourie - Missionnaires français au Japon - Missionnaires et martyrs en Chine et au Thibet - Le bienheureux Chapdelaine - Missionnaires d'Afrique.

Benedictus Henricus Merkelbach, O. P., *Summa Theologiae Moralis* ad mentem D. Thomae et ad normam Iuris novi. Editio altera aucta et emendata, vol. iii: *De Sacramentis,* Paris (Desclée de Brouwer et C.ie) 1936, 15×22 cm., 1024 p.

De Sacramentis - De Sacramentis in generali - De Baptismo - De Confirmatione - De SS. Eucharistia - De Poenitentia - De Extrema Unctione - De Ordine - De Matrimonio - Index alphabeticus - Index analyticus.

P. Attilio Misani, *Sanctifica eos...* Norme pratiche per gli Educatori del Clero, Milano (Casa ed. Già Romolo Ghirlanda S. A. Libreria Pont. Arcivesc.) 1937, 12×18 cm., 212 p., pretium: L. it. 8.

Grave problema - Il Sacerdote ideale - Origine e difficoltà della vocazione - La gloria di Dio e il bene del prossimo - Obbiezioni e giudizi erronei - La santità e la dottrina Sacerdotale - Osservazioni e rilievi - Le ali del Sacerdote - Idoneità del Seminarista - La pietra d'inciampo e il rimedio - Segni della bontà vera - Segni di vocazione - Corrispondenza - La via ordinaria e le vocazioni tardive - Vocazione e assoluzione - Il valore dell'età nella prova - Questione risolta - Esame di vocazione - Il caso più trepido - Interpretazione dei moralisti - Dolorose constatazioni - Numero dei Sacerdoti - Il Rettore - Il Direttore Spirituale - Direzione e Predicazione - Il Vice Rettore - I Professori - La Comunità degli Educatori - Esigenze e comprensioni - Usi ed abitudini - I chierici prefetti - Ricerca di Aspiranti - La cultura del Clero - Sacerdoti e deviazioni - I Novensili - Perché si discende - Le pie donne e il Sacerdote - Il Significato delle Sacre Tempora - Conclusione - Appendices (Rendiconto spirituale - Norme per il Direttore Spirituale del Seminario - Esame intorno alla Vocazione Ecclesiastica - Bibliografia).

Sac. Aloisius Moretti, *Caeremoniale iuxta Ritum Romanum seu De Sacris Functionibus*, Episcopo celebrante, assistente, absente, in partes septem digestum. Manuale iuxta novissima Decreta S. Rituum Congregationis et Codicem Iuris Canonici, vol. II: *De Divino Officio et de Sacrosancto Missae Sacrificio*, Taurini (Marietti) 1937, 15×22,5 cm., XVI-586 p., pretium: L. it. 30.

De Divino Officio - Appendices (De Divino Officio pontificaliter persolvendo a Praelatis Episcopo inferioribus - De modo Divinum Officium privatim persolvendi) - De sacrosancto Missae Sacrificio - Appendices (De Missa pontificali a Praelatis Episcopo inferioribus celebranda - De Missis Votivis - De diebus quibus Missae de Requie prohibentur).

L. Muller, S. Sp., *Summa Theologiae Moralis*, ad modum Codicis Iuris Canonici exarata, Parisiis (Desclée et Soc.) 1936, 13×19,5 cm., XIX-394 p.

Theologia Moralis generalis (De legibus - De conscientia - De activitate humana) - De Praeceptis (De virtutibus theologicis - De praeceptis decalogi - De praeceptis generalibus Ecclesiae - De praeceptis particularibus) - De Sacramentis.

D. Philippus Oppenheim, O.S.B., *Introductio in Litteraturam Liturgicam*. Conspectus historicus litteraturae, Taurini-Romae (Marietti) 1937, 13,5×20 cm., 103 p., pretium: L. it. 8.

Praefatio - Litteraturae liturgicae origines et prima evolutio - Incrementa et variae species litteraturae liturgicae usque ad saeculum VIII. Litteratura Orientalium - Aevum Carolingicum - Varia evolutionis subsequentis fata. Scholastici et Mystici - Concilium Tridentinum eiusque influxus in efflorescentem scientiam liturgicam - Tempus recentissimum - Indices.

D. Giuseppe Polvara, *Trattazione teorico pratica di principi estetici,* vol. I: *L'Arte,* Milano (Casa ed. d'Arte e Liturgia « Beato Angelico ») 1936, 17,5×25 cm., 148 p., pretium: L. it. 12.

La creazione e la caduta dell'uomo - La Redenzione - L'artista e l'arte - Il campo dell'arte - I gradi dell'arte e dell'opera d'arte - L'arte nell'imitazione e nella creazione - Il genio - I momenti della creazione del genio - La realizzazione - Scopo dell'arte - Oggetto dell'arte - Arte realistica ed arte idealistica - Dell'arte per l'arte o dell'arte pura - L'arte e le arti - Le espressioni dell'arte attraverso i suoni - L'espressioni dell'arte attraverso i movimenti - Le manifestazioni dell'arte attraverso sensazioni odorose - L'espressione dell'arte attraverso il senso del tatto - Le espressioni dell'arte attraverso il senso del gusto - Gli elementi dell'opera d'arte.

Docteur Auguste Vallet, *Mes conférences sur les guérisons miraculeuses de Lourdes,* Paris (Téqui) 1937, 13,5×20,5 cm., XIII-266 p., pretium: Fr. 15.

Avant-propos - Mes conférences sur Lourdes (Les Guérisons de Lourdes - Du rôle de la suggestion dans le Guérisons de Lourdes - Du rôle de la Foi qui guérit dans les Guérisons de Lourdes - Au sujet d'une rechute d'une maladie guérie à Lourdes - Au sujet des guérisons au Temple d'Epidaure - Les Forces inconnues de la Nature - Au sujet du membre amputé qui ne repousse pas) - Quelques récentes guérisons de Lourdes - Exemple d'une guérison à Lourdes non reconnue - Statuts de l'Association Médicale internationale de N.-D. de Lourdes.

* * * *Instructio* servanda a tribunalibus dioecesanis in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum edita. Epitome cum explicita ad litteram mentione singulorum Codicis Iuris Canonici canonum nec non accuratissimo indice analytico-alphabetico ac tabulis synopticis et brevi commentario de nonnullis articulis, cura Iohannis Torre, S. R. Rotae advocati concinnata et exarata, Neapoli (M. D'Auria) 1937, 16,5×25 cm., 150 p., pretium: L. it. 15.

II - Ex Periodicis

APOLLINARIS X (1937), fasc. 2 — Ludovicus Kontor, *De modo legislationis ecclesiasticae,* p. 176-86. — Pius Ciprotti, *De iniuria ac diffamatione in iure poenali canonico* (contin.), p. 233-68.

ID. X (1937), fasc. 3 — Franciscus Roberti, *Respectus sociales in Codice Iuris canonici,* p. 342-94. — Prof. Doct. Franciscus Triebs, *De Promotore Iustitiae in causis nullitatis matrimonii,* p. 395-407. — Eleutherius Boganelli, *De personalitate psycho-physiopathologica delinquentis,* p. 408-30. — Pius Ciprotti, *De iniuria ac diffamatione in iure poenali canonico,* p. 431-56.

BOGOSLOVSKA SMOTRA XXV (1937), fasc. 4 — Dr. FRANJO HERMAN, *Bračno pravo u jugoslavenskom konkordatu*, p. 325-44.

COLLATIONES NAMURCENSES XXXI (1937), fasc. 5 (Sept.) — E. RANWEZ, *De peccatis internis*, p. 341-51. — A. PIÉRARD, *Fête du Patron du lieu*, p. 369-76.

COLLECTANEA COMMISSIONIS SYNODALIS X (1937), fasc. 9-10 (Sept.-Oct.) — S. E. Mgr. COSTANTINI, *Les devoirs de discrétion de la presse missionnaire*, p. 836-40.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XXVI (1937), fasc. 4 (Iul.) — V. HEYLEN, *De consensu parentum quoad filiorum sponsalia et matrimonium*, p. 495-503.

ID. XXVI (1937), fasc. 6 (Nov.) — V. HEYLEN, *Het recht om den aanrander van de deugd te dooden*, p. 661-73. — V. SEMPELS, *Le droit des malades aux secours religieux et l'accès des ministres des cultes dans les Hôpitaux civils*, p. 674-85.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO XLVIII (1937), fasc. 9 (Sept.) — A. PIOLA, *Inscindibilità giuridica dei Patti Lateranensi?*, p. 369-82.

BENEDIKTINISCHE MONATSCHRIFT XIX (1937), fasc. 9-10 — P. FRANZISKUS DEININGER, *Volksfeindlicher Zölibat?*, p. 319-33.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXII (1937), fasc. 9 (Sept.) — M. PISTOCCHI, *De poenarum remissione* (contin.), p. 263-73. — Can. Dott. LUIGI COZZA, *Sulla « Porzione Parrocchiale »* (contin.), p. 273-82.

ID. LXII (1937), fasc. 10 (Oct.) — S. ROMANI, *Per la fondazione di una religione*, p. 305-10.

PERFICE MUNUS! XII (1937), (25 Sept.) — * * * *Bibliografia dell'Assistente ecclesiastico*, p. 397-402.

ID. XII (1937), (25 Oct.) — † Giovanni, Vescovo, *Inventari degli Archivi*, p. 436-41.

PALESTRA DEL CLERO XVI (1937), vol. II, fasc. 10 (1 Oct.) — Sac. A. MANCINI, S.S., *Delle missioni cattoliche come essenziale fattore di umana civiltà*, p. 222-32.

ID. XVI (1937), vol. II, fasc. 15 (20 Nov.) — Mons. G. BUTTIGNONI, *Assoluzione dei recidivi*, p. 342-6. — Sac. A. MANCINI, S.S., *Sul can. 209*, p. 347-53.

PASTOR BONUS XLVIII (1937), fasc. 6 (Sept.) — Dr. ERHARD LECLERC, *Kinderreichtum der Katholiken*, p. 157-70.

ID. XLVIII (1937), fasc. 7 (Oct.) — Dr. ERHARD LECLERC, *Kinderreichtum der Katholiken* (contin.), p. 199-206.

THEOLOGISCH-PRAKTISCHE QUARTALSCHR. XC (1937), fasc. 4 — Dr. MARIUS ALMA, *Ueber die Ordensprofess*, p. 645-60. — P. GERARD OESTERLE, O.S.B., *Disparitas cultus und Blutsverwandtschaft*, p. 661-4. — Dr. P. PAX LEITNER, *Integritas confessionis*, p. 668-72. — P. GERARD OESTERLE, O.S.B., *Noch einmal eine « Russeneheˮ*, p. 680-4.

RASSEGNA DI MORALE E DIRITTO III (1937), fasc. 10-11 (April.-Sept.) — * * * *L'Eglise et les droits modernes* (Parole dette a Parigi, alla chiusura della Settimana giuridica), p. 102-4. — Sac. Dott. VINCENZO POLETTI, *La funzione storica dei concordati dal secolo XII al secolo XX* (contin.), p. 126-69. — PIUS CIPROTTI, *Le nuove norme per i processi di nullità di matrimonio presso i Tribunali diocesani* (contin.), p. 170-84. — Dott. F. FONTANA, *La condizione giuridica delle chiese* (contin.), p. 185-214.

REVUE ECCLESIASTIQUE DE LIEGE XXIX (1937), fasc. 2 (Sept.) — F. LITT, *De Codicis Civilis art. 2279 « En fait de meubles, la possession vaut titre »*, p. 125-31.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO IV (1937), fasc. 9 (Sept.) — Prof. Avv. FRANCESCO DEGNI, *Sulla esecutorietà della sentenza ecclesiastica dichiarativa di nullità di matrimonii preconcordatari*, p. 433-40. — GIAMBATTISTA MIGLIORI, *Le nuove norme processuali nei giudizi ecclesiastici matrimoniali*, p. 441-7.

ID. IV (1937), fasc. 10 (Oct.) — Prof. Avv. GIAN BATTISTA FUNAIOLI, *L'assenso degli ascendenti nel matrimonio dei minori*, p. 481-6.

NEDERLANDSCHE KATHOL. STEMMEN XXXVII (1937), fasc. 10 (Oct.) — Dr. W MULDER, *Huwwelijksontbinding volgens can. 1125*, p. 305-11. — L. BUIJS, C. ss. R., *Fraude bij werkloozensteun*, p. 223-5.

INDICES

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Ios. Arango-Uribe, S. I., Prof. Theol. Moral. in Collegio Max. Bogotano, 129 ss.

Hub. Beijersbergen, S. I., Prof. Inst. Iuris Can. et Liturg. in Coll. Max. Traiecti ad Mosam, 33 ss, 148 ss, 387 ss.

Carol. Boyer, S. I., Praef. Gen. Studiorum et Prof. Theol. Dogm. in Pont. Univ. Gregoriana; Moder. *Periodica*, 204 s.

Pierre Charles, S. I., Prof. Theol. Dogm. Mission., Hist. Mission. Anthropolog. et Ethnolog. fundam. in fac. Missiol. in Pont. Univ. Gregoriana et Coll. Max. Lovaniensi, 97 ss, 108.

Ed. Coffey, S. I., Prof. Oecon. Social. in Pont. Univ. Gregoriana, 65 ss.

Ios. Creyghton, S. I., Prof. Theol. Mor. Mission. et Iuris Can. in Fac. Missiol. in Pont. Univ. Gregoriana; Redact. *Periodica*, 113, 400, 470 s, 476 s, 486, 490, 545 ss.

Adam. Ellis, S. I., Prof. Text. Iuris Can. in Pont. Univ. Gregoriana; Consult. S. C. de Relig., 76 ss, 80 s, 83 s, 189, 468, 479 s, 484 s.

Franc.-Xav. Hecht, P. S. M., Prof. Iur. Can. et Liturg., Proc. Gener. Piae Soc. Miss., 38 ss, 144 ss, 185 s, 194 ss, 201 ss, 344 ss, 347 s, 350.

Franc. Hürth, S. I., Prof. Theol. Moral. in Pont. Univ. Gregoriana; Consult. Supr. S. Congr. S. Officii, 473 ss.

Ulp. López, S. I., Prof. Theol. Mor. in Pont. Univ. Gregoriana; Consult. S. Congr. de Discipl. Sacram., 17 ss, 275 ss, 501 ss, 539 ss.

Ios. Pauwels, S. I., Prof. Sacr. Liturg. Namurci, 85, 220 ss, 391 ss, 396 ss, 513 ss, 517.

I. M. Restrepo R., S. I., Prof. Iur. Publ. Eccl. et Concord. in Pont. Univ. Gregoriana; Theologus Datar. Apost. et S. Paenit. Apost., 225 s, 351 ss.

Ios. Schweigl, S. I., Prof. Instit. Liturg. Orientalis in Pont. Univ. Gregoriana, 11 ss, 361 ss.

Ioan. Stein, S. I., Moderator Speculae Astron. Vatic. ad Castrum Gandulfi, 178 ss.

Seb. Tromp, S. I., Prof. Theol. Fundam. et Histor. Relig. in Fac. Missiol. in Pont. Univ. Gregoriana; Qualificator Supr. S. Congr. S. Officii, 324 ss, 453 ss.

A. de Wilt, S. I., Adm. Biblioth. in Coll. Max. Traiecti ad Mosam, 3 ss.

Numeri indicant paginas.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

DISSERTATIONES

	Pag.
Periodicorum Sociis, Directio	1
Post Tomos viginti et quinque Periodicorum	3
Ortus et vices Ephemeridis	3
Series operum P. Vermeersch unde orta sunt Periodica	6
Series voluminum	6
Tomi priorum annorum	10
Utrum extraliturgica devotio erga SS. Cor Iesu inter Orientales neoconversos sit fovenda	11
Rationes theologicae, quae Cultum erga SS. Cor inter Orientales suadent	12
Psychologica Orientalium dispositio Cultui SS. Cordis favens	13
Forma cultus erga SS. Cor Iesu, quae Orientalibus magis accommodata videtur	15
Preces Orientalium in honorem SS. Cordis Iesu	16
Thesis Probabilismi ex Sto Thoma demonstrata IV	17
De valore legis dubiae secundum Sanctum Thomam	17
Conclusio ex Sancti Thomae principio	26
De catholicorum civium officiis secundum doctrinam Leonis Pp. XIII	129
Principia fundamentalia	129
Practicae normae	134
De praestantia Festorum (Annotationes in Rescriptum S. C. Rituum, diei 4 iulii 1936)	144
Revisio librorum liturgicorum byzantino-slavicorum	361
Congregationes particulares et commissiones pontificiae super correctione librorum	363
Recensio russica librorum liturgicorum	370
Tentamina Ecclesiae Russicae pro revisione librorum liturgicorum annis 1906-1935	381
De infirmitate, quae non est causa sufficiens ad dimittendum religiosum professum votorum temporalium	387
Nova S. Congregationis Sancti Officii decisio de significatone vocis « Acatholicorum »	400
De reconciliatione sacerdotis, qui matrimonium attentare praesumpsit	501

QUAESITA VARIA

De transitu religiosi de una classe ad alteram eiusdem religiosi instituti I	33
De Calendario adhibendo apud Sorores Tertiarias	38
De transitu religiosi de una classe ad alteram eiusdem religiosi instituti II	148
De Patrono principali loci	391
De privilegiis honorificis Vicario Apostolico debitis	396

Numeri indicant paginas.

INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS. PP. XI

1 - Nuntius radiophonicus in pervigilio Nativitatis anni 1936 41
2 - Litterae Encyclicae *Vigilanti Cura*, 29 iunii 1936 . . 47
Annotationes 65
19 - Constitutio Ap.ca de quatuor Capellaniis Innocentianis in Patriarchali Basilica Vaticana, 13 iunii 1936 . . 155
20 - Motu Proprio de Pontificia Academia Scientiarum, 28 octobris 1936 159
Statuta Pontificiae Academiae Scientiarum 164
Elenchus Academicorum (*summatim*) 176
Annotationes 178
21 - Nuntius Radiophonicus ad Urbem Manilam ad exitum XXXIII Congressus universalis Eucharistici, 7 februarii 1937 182
35 - Litterae Ap.cae quibuscum peregrinationibus ad Sanctam Domum Lauretanam privilegia indulgentiaeque tribuuntur, 6 augusti 1936 217
Annotationes 220
36 - Motu Proprio quocum quaedam causae civiles, quae personas Aulae Pontificiae respiciunt, competentiae subiciuntur Commissioni, die 21 septembris 1932 institutae, 20 februarii 1937 224
Annotationes 225
37 - Litterae Encyclicae *Divini Redemptoris*, de Comunismo atheo, 19 martii 1937 227
Annotationes 275
38 - Epistola Encyclica *Firmissimam constantiam*, de rei catholicae in Mexico condicione, 28 martii 1937 . . 299
Annotationes 324
50 - Litterae Encyclicae *Mit brennender Sorge*, de Ecclesiae catholicae condicione in regno Germaniae, 14 martii 1937 401
Annotationes 453
66 - Litterae Encyclicae *Ingravescentibus malis*, 29 sept. 1937, de sacro B. Virginis Mariae Rosario (*per compendium*) 507

Acta summatim relata.

12 - A - Bulla quacum dismembratur archidioecesis ac nova erigitur dioecesis (22 febr. 1936) 109
B - Bulla erectionis novi Vicariatus Ap.ci (9 mart. 1936) 109
C - Epistola ad Emum Card. Gonçalves Cerejeira, annum a suscepto sacerdotio quintum et vigesimum celebraturum (19 mart. 1936) 109

Numeri indicant paginas.

D - Epistola ad Emum Card. Ilundain y Esteban, quinquagesimum sacerdotii annum explentem (29 april. 1936) 110
E - Bulla quacum Abbatia S. Martini ad Montem Ciminum cum dioecesi Viterbensi unitur (2 maii 1936) 110
F - Epistola ad Emum Card. Leme da Silveira Cintra, XXV appetente natali episcopatus Eius (3 maii 1936) 110
G - Epistola ad Emum Card. Kakowski, appetente natali quinquagesimo sacerdotii Eius (21 maii 1936) . . 110
H - Bulla quacum Missio *sui iuris* in Ap.cam Praefecturam erigitur (25 maii 1936) 110
I - Bulla erectionis novae Praefecturae Ap.cae (25 maii 1936) 110
L-M - Bullae quibuscum novae eriguntur Praefecturae Ap.cae (25 martii 1936) 111
N - Bulla erectionis novi Vicariatus Ap.ci (25 maii 1936) 111
O - Bulla erectionis novae Praefecturae Ap.cae (25 maii 1936) 111
P - Bulla quacum Praefectura Ap.ca ad Vicariatus Ap.ci gradum evehitur (3 iun. 1936) 111
Q - Epistola ad Emum Card. Gonçalves Cerejeira, qui Legatus mittitur Conimbriam ad sollemnia saecularia in honorem S. Elisabeth peragenda (24 iun. 1936) 112
R - Bulla erectionis novae dioecesis (11 iul. 1936) . . 112
S - Bulla quacum dioecesis in Archidioecesim constituitur (11 iul. 1936) 112
T - Epistola ad Emum Card. Leme da Silveira Cintra, qui Legatus mittitur ad Conventum Eucharisticum in Bellohorizontina urbe celebrandum (27 iul. 1936). 112
Notandum 113
U - Epistola ad Emum Card. Marmaggi, qui Legatus mittitur ad Concilium Episcoporum Plenarium Czestochoviae celebrandum (1 aug. 1936) 113
V - Epistola ad Emum Card. Sbarretti, octogesimum aetatis annum expleturum (25 oct. 1936) . . . 113
W - Litterae de Patronis 113
X - Litterae de Ecclesiis 114
31 - A - Bulla erectionis novae Praefecturae Ap.cae (7 iul. 1936) 207
B - Bulla quacum Vicariatus dismembratur et nova erigitur Praefectura Ap.ca (7 iul. 1936) 207
C - Epistola ad Emum Card. O'Connell, quinque abhinc lustra Purpuratorum Patrum ordinem adlectum (8 nov. 1936) 207
D - Epistola ad Emum Card. Granito Pignatelli di Belmonte, quinque et viginti ante annos in supremum Eccles. senatum relatum (18 nov. 1936) 207
E - Epistola ad Emum Card. Bisleti, vigesimo quinto appetente anno a Romana purpura suscepta (18 nov. 1936) 208
F - Epistola ad Emum Card. Mariani, dena lustra sacerdotii explentem (30 dec. 1936) 208
G - Litterae de Ecclesiis 208

Numeri indicant paginas.

43 - A - Epistola ad Emum Card. Dougherty, qui Legatus ad Congresssum Eucharisticum, Manilae habendum, eligitur (1 ian. 1937) 354
B - Litterae de Ecclesiis 354
58 - A - Bulla erectionis novae Praefecturae Ap.cae (2 iul. 1936) 487
B - Bulla erectionis novae Praefecturae Ap.cae (17 dec. 1936) 487
C - Epistola ad Card. Ioannem Ceriani Ord. Clericorum a Somascha Praepositum Gen., IV exeunte saeculo ab obitu sodalitatis conditoris (30 ian. 1937) . . 487
D - Bulla dismembrationis Vicariatus Ap.ci et novae Praefecturae Ap.cae erectionis (4 febr. 1937) . . 487
E - Bulla quacum sex civiles subpraefecturae, in Sinis, seiunguntur atque separantur novaque erigitur praefectura Ap.ca (22 febr. 1937) 487
F - Bulla novae Praefecturae Ap.cae erectionis (22 febr. 1937) 488
G - Bulla quacum nova erigitur Praefectura Ap.ca (9 mart. 1937) 488
H - Bulla immutationis finium et evectionis Praefecturae Ap.cae in Vicariatum (9 mart. 1937) 488
I - Bulla qua Vicariatus Ap.cus Abyssiniae supprimitur (25 mart. 1937) 488
L - Bulla quacum fines Vicariatus Ap.ci statuuntur (25 mart. 1937) 488
M - Bulla evectionis Praefecturae Ap.cae ad Vicariatus Ap.ci gradum (25 mart. 1937) 488
N - Bulla quacum Praefecturae Ap.cae fines definiuntur (25 mart. 1937) 488
O - Bulla mutationis nominis finiumque Vicariatus Ap.ci (25 mart. 1937) 488
P - Bulla erectionis Vicariatus Ap.ci *de Addis Abeba* (25 mart. 1937) 489
Q - Bulla quacum nova erigitur Praefectura Ap.ca (25 mart. 1937) 489
R - Epistola ad Card. Ioannem Verdier, appetente natali quinquagesimo sacerdotii eius (28 mart. 1937) 489
S - Bulla evectionis Praefecturae Ap.cae ad Vicariatus Ap.ci gradum (13 april. 1937) 489
T - Bulla Vicariatus Ap.ci dismembrationis et novae Praefecturae Ap.cae erectionis (13 april. 1937) . . 489
U - Bulla dismembrationis Vicariatus Ap.ci et novae Praefecturae Ap.cae erectionis (13 april. 1937) . . 489
V - Bulla evectionis Praefecturae Ap.cae ad Vicariatus Ap.ci gradum (13 april. 1937) 489
W - Bulla dismembrationis Vicariatus Ap.ci et novae Praefecturae Ap.cae erectionis (13 april. 1937) . 489
X - Epistola ad Card. Hlond, de Congressu Posnaniae cogendo (3 maii 1937) 490
Annotatio 490
Y - Epistola ad Card. Hlond, qui Legatus ad Congressum Posnaniae eligitur (16 maii 1937) 490

Z - Epistola ad R. D. Angelum M. Savastano, Abbatem et Praesidem Gen. Congr. Casamariensis ex Ordine Cisterciensi, IX exeunte saeculo ab eiusdem Congregationis exordio (23 maii 1937) 490
A - Epistola ad Card. Laurentium Lauri, appetente natali quinquagesimo sacerdotii eius (30 maii 1937) 490
B - Epistola ad Card. Ios. Ernestum Van Roey, quintum Concilium provincialem Mechliniensem celebraturum (31 maii 1937) 490
C - Epistola ad Card. Raphaelem Carolum Rossi, anno quinquagesimo exeunte a Pia Missionariorum a S. Carolo Societate condita (1 iul. 1937) 491
D - Nuntius radiophonicus 11 iul. 1937 491
E - Bulla quacum quarundam dioecesium territoria nova circumscriptione definiuntur, nonnullaeque administrationes ap.cae constituuntur (2 sept. 1937) . 491
F - Litterae de ecclesiis 491
72 - A - Bulla *Inter apostolicas*, 13 april. 1937, dismembrationis dioecesium 551
B - Bulla *Aeterna animarum*, 8 maii 1937, erectionis novae dioecesis 551
C - Bulla *Plurimum sane*, 8 maii 1937, creationis novae provinciae ecclesiasticae 551
D - Bulla *Ecclesiarum in orbe*, 22 maii 1937, erectionis novae dioecesis 551
E - Bulla *Ad aeternam christifidelium*, 22 maii 1937, dismembrationis dioecesium ac novae provinciae ecclesiasticae erectionis 551
F - Chirographum *E' piaciuto*, 3 sept. 1937, ad Emum Card. E. Pacelli 552
G - Chirographum *Tra le molte mansioni*, 8 sept. 1937, ad Emum Card. E. Pacelli 552
H - Litterae praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Ap.cis et Missionibus 552
I - Litterae de Ecclesiis 552

S. C. S. OFFICII

3 - Submissionis notificatio, 3 dec. 1936 74
22 - Decretum damnationis operis L. Laberthonnière « Etudes sur Descartes », 9 ianuarii 1936 183
23 - Rescriptum de valore Ordinationis subdiaconi et sacerdotis, in qua calix non consecratur porrectus est, 28 ianuarii 1937 184
Annotationes 185
51 - Rescriptum de sepultura personae catholicae in coemeterio acatholico (13 febr. 1937) 467
Annotatio 468
52 - Decretum de novis cultus seu devotionis formis non introducendis deque inolitis in re abusibus tollendis (26 maii 1937) 468
Annotatio 470
53 - Decretum circa can. 1127 Codicis Iuris Canonici (10 iun. 1937) 472

Numeri indicant paginas.

Annotationes 473
54 - Decretum damnationis libri cui titulus « Il razzismo », auctore G. Cogni (19 iun. 1937) 476
Annotatio 476

S. C. CONSISTORIALIS

Acta summatim relata
13 - 1 - Decretum dismembrationis paroeciae (6 iun. 1936) 114
2 - Designatio Ordinarii pro appellatione 114
32 - 1 - Decretum mutationis finium dioecesium (6 iun. 1936) 208
2 - Decretum dismembrationis dioecesis (24 oct. 1936) 209
3 - Decretum dismembrationis paroeciae (28 nov. 1936) 209
44 - 1 - Decretum mutationis finium dioecesium (19 dec. 1936) 354
2 - Decretum mutationis finium dioecesium (19 dec. 1936) 354
59 - 1 - Decretum dismembrationis territorii et dioecesium finium mutationis (13 febr. 1937) 492
2 - 3 - Decreta quibuscum quarundam dioecesium fines statuuntur (20 mart. 1937) 492
73 - Decretum 5 iun. 1937, quocum duarum dioecesium fines mutantur 552

S. C. PRO ECCL. ORIENTALI

67 - Monitum 20 iul. 1937, de normis servandis quoad clericos Ritus Orientalis extra fines proprii patriarchatus peregrinantes 510
Notandum 511

S. C. DE SACRAMENTIS

39 - Litterae ad Excellentissimos Archiepiscopos, Episcopos atque locorum Ordinarios, de munere defensoris vinculi, recte explendo, 5 ianuarii 1937 343
Annotationes 344
40 - Responsum de sensu vocis *impedimenti* in facultatibus quinquennalibus, 10 martii 1937 347
Annotationes 347

S. C. DE PROP. FIDE

9 - Epistola Vic. Ap.ci de Kirin ad Emum Card. Praef. S. C. de Prop. Fide de participatione fidelium in honoribus Confucio exhibitis in Manciukuo 87
10 - Epistola, 28 maii 1933, ad Revmum et Exmum D. A. Gaspais, *de eodem argumento* 96
11 - Instructio, 26 maii 1936, ad Exmum D. P. Marella, Del. Ap. in Iaponia, circa Catholicorum officia erga Patriam 103
Annotatio 108
55 - Rescriptum de auctoritate Ordinarii loci in Sorores operi missionali addictas (12 dec. 1937) 477
Annotationes 479
56 - Instructio de Congregationibus religiosis indigenis condendis (19 mart. 1937) 481
Annotationes 484

Acta summatim relata

14 - Designationes Ordinariorum pro appellationibus . . 114
45 - Designationes Ordinariorum pro appellationibus . . 354
60 - 1 - 2 - 3 - Decreta mutationis nominum Vicariatus Ap.ci, Missionis atque Praefecturae Ap.cae (13 april. 1937) . 492
Designationes Ordinariorum pro appellationibus . . 492

S. C. RITUUM

7 - Rescriptum, 22 febr. 1936, quo Sacerdotibus Congregationis Missionis conceditur facultas qua addere valeant, in missa Conversionis S. Pauli, orationem pro gratiarum actione, in memoriam initii eiusdem Congregationis . 84
Annotationes 85
8 - Rescriptum, 14 iulii 1936, ad Procuratorem Generalem Piae Societatis Missionum de festorum praestantia . 86
25 - Rescriptum de menstrua missa votiva D. N. I. C. summi et aeterni Sacerdotis, 25 nov. 1936 190
26 - Id., 2 ianuarii 1937 191
27 - Id., 8 ianuarii 1937 192
28 - Id., 12 ianuarii 1937 193
Annotationes 194
41 - Responsum de benedictione gutturis, 16 ian. 1936 . . 349
Annotatio 350

Acta summatim relata

15 - Causae beatificationis et canonizationis 115
46 - Causae beatificationis et canonizationis 355
61 - Causae beatificationis et canonizationis 493
74 - Causae beatificationis et canonizationis 553

S. C. DE SEM. ET STUD. UNIV.

29 - Decretum de magisterio a Pontificio Instituto Musicae sacrae conferendo, 12 martii 1936 204
Annotationes 204

S. PAEN. APOST.

30 - Rescriptum de Indulgentiis adnectendis pio exercitio orandi pro sanctificatione Cleri, 15 decembris 1936 . 205
Annotationes 201
42 - Responsa de dubiis super decreto *Consilium suum persequens*, 2 martii 1937 350
Annotationes 351
57 - Declaratio super decreto quod incipit *Lex sacri coelibatus* diei 18 aprilis 1936 (4 maii 1937) 485
Notandum 486
68 - Decretum 31 mart. 1937, indulgentiarum extensionis pro divini officii recitatione coram SS.mo Sacramento . . 512
Annotationes 513
69 - Decretum 12 april. 1937, quocum pium exercitium, quod diem sacerdotalem vocant indulgentiis ditatur . . . 515
Annotationes 517

S. R. ROTA

62 - Tabulae synopticae Causarum S. R. Rotae anno 1936 . 494

EPISCOPATUS HISPANUS

70 - Litterae communes 1 iul. 1937, ad episcopos totius mundi, de bello intestino hispano 518
Annotationes 539

VICARIATUS GENER. DIOEC. OSNABRUGENSIS

71 - Decretum 4 mart. 1937, de praevia censura ecclesiastica pro imaginibus luce proiciendis 543
Annotationes 545

PROVISIO ECCLESIARUM

16 - A - Decretis S. C. Consistorialis 115
B - Decretis S. C. de Prop Fide 116
33 - Decretis S. C. Consistorialis 209
47 - A - Decretis S. C. Consistorialis 355
B - Decretis S. C. de Prop. Fide 356
63 - A - Decretis S. C. Consistorialis 497
B - Decretis S. C. de Prop. Fide 497
75 - A - Decretis S. C. Consistorialis 553
B - Decretis S. C. de Prop. Fide 554

NOMINATIONES

17 - Decretis S. C. de Prop. Fide 116
Decreto S. C. Orientalis 117
48 - Decretis S. C. de Prop. Fide 356
64 - Decretis S. C. de Prop. Fide 497
76 - Decretis S. C. de Prop. Fide 554

NECROLOGIUM

18. 117
34. 209
49. 356
65. 498
77. 554

Notae bibliographicae 118. 210. 357. 499. 555

INDEX CHRONOLOGICUS MONUMENTORUM

NOTANDUM

Monumenta simpliciter relata indicantur numeris consuetis. Monumenta partim exscripta indicantur numeris *italicis*. Monumenta integre exscripta vel commentario illustrata indicantur numeris asterisco (*) insignitis.

ANNUS	DIES	DIPLOMA	AUCTOR	PAGINA
1603	19 mart.	Decretum	Clemens VIII	149
1658	6 april.	»	S. C. Rituum	392
1744	22 aug.	»	»	*145*
1846	9 nov.	Litt. Enc.	Pius IX	288 s, 306
1857	9 maii	Decretum	S. C. Rituum	391
1858	12 iun.	»	S. C. de Relig.	387*
1862	6 ian.	Constit. Ap.	Pius IX	365
1875	13 »	Decretum	S. C. S. Officii	*469*
»	25 sept.	»	S. C. Rituum	187
1878	28 dec.	Litt. Enc.	Leo XIII	229, 339, 342
1879	4 aug.	»	»	315
1880	10 ian.	»	»	*132, 138, 140 ss, 144,* 339
1881	3 »	Epistola	»	342
»	29 iun.	Litt. Enc.	»	*135, 138 s, 142,* 246, 341
1885	15 nov.	»	»	*132, 134* s, *139* s, *143,* 246, 339, 341.
1886	6 ian.	Epistola	»	*139*
1888	20 »	Litt. Enc.	»	*131, 135, 138, 141, 144,* 339
1889	28 iun.	Decretum	S. C. Rituum	201
1891	15 maii	Litt. Enc.	Leo XIII	244, 248, 264
»	3 iun.	Decretum	S. C. Inquisit.	471
1892	16 febr.	Litt. Enc.	Leo XIII	*132, 136* s, *140, 143*
»	3 maii	Epistola	»	*133, 137* s, *143*
»	4 »	Rescriptum	S. C. Inquisit.	471
»	8 dec.	Litt. Enc.	Leo XIII	*130* s, *133* s
1893	15 iul.	Decretum	S. C. Inquisit.	471
1894	31 »	Litt. Enc.	Leo XIII	306
»	10 dec.	Epistola	»	*130, 134, 139*
1895	3 april.	Decretum	S. C. Inquisit.	471
»	13 dec.	»	S. C. Rituum	391
1896	4 febr.	»	»	*145,* 146*

Numeri indicant paginas.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1896	21 febr.	Decretum	S. C. Rituum	198 s
»	29 iun.	Litt. Enc.	Leo XIII	419
1897	25 ian.	Constit. Ap.	»	549
»	9 maii	Litt. Enc.	»	423
1899	12 iun.	Decretum	S. C. Rituum	399
»	20 »	Responsum	»	397
1900	29 maii	Decretum	»	*145*
1901	18 ian.	Litt. Enc.	Leo XIII	*130, 138*
»	28 iun.	Normae	S. C. Ep. et Reg.	34*, *149*
1904	15 april.	Decretum	S. C. Rituum	38*
»	13 maii	»	S. C. Ep. et Reg.	387*
1905	17 ian.	Litt. Apost.	Pius X	217*
»	15 april.	Litt. Enc.	»	307
»	11 iun.	»	»	331
1906	28 iul.	»	»	307
1912	22 mart.	Decretum	S. C. Rituum	397
»	19 april.	»	»	202
1913	28 oct.	»	»	198 s.
1914	28 mart.	Rescriptum	»	471
»	22 maii	Decretum	»	392
1916	2 iun.	Responsum	»	197
1917	15 »	Litt. Enc.	Benedictus XV	307
»	28 iun.	Normae	S. C. Consist.	307
1919	22 maii	Responsum	S. C. de Relig.	*78*
»	26 nov.	»	S. C. Rituum	399
»	28 dec.	»	S. C. Concil.	393
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	200
1920	4 iun.	Responsum	»	38*
»	15 sept.	Litt. Enc.	Benedictus XV	307
1921	6 mart.	Decretum	S. C. de Relig.	481 ss.
»	8 iul.	Responsum	S. C. Rituum	198
»	3 nov.	Instructio	S. C. de Relig.	34*
1922	16 iun.	Decretum	S. C. Rituum	199 s
»	14 iul.	Responsa	P. Comm. C. I.	153
»	17 nov.	Decretum	S. C. Rituum	191
»	19 »	»	»	199
»	23 dec.	Litt. Enc.	Pius XI	274, 307
1923	14 maii	Responsum	S. C. de Relig.	151
»	26 oct.	»	S. C. Rituum	198
1924	26 iul.	»	S. C. de Sacram.	221
1925	5 febr.	»	S. C. de Relig.	387*
»	14 dec.	Allocutio	Pius XI	300
1926	2 febr.	Epist. Ap.	»	300
»	28 »	Litt. Enc.	»	481
»	3 april.	Epistola	»	301
»	2 iul.	Litterae	Secr. Stat.	301
»	18 nov.	Litt. Enc.	Pius XI	301, 330
»	20 dec.	Allocutio	»	301
1927	20 iun.	»	»	301
1928	18 ian.	Rescriptum	S. C. S. Officii	400*
»	14 mart.	Decretum	S. C. Rituum	301
»	8 maii	Litt. Enc.	Pius XI	229
»	13 nov.	Epistola	»	330

Explicatio indicis p. 572.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1929	15 aug.	Constit. Ap.	Pius XI	*13*
»	8 dec.	Instructio	S. C de Prop. Fide	477* ss
»	23 »	Litt. Enc.	Pius XI	301
»	» »	Decretum	S. C. pro Eccl. Or.	510*
»	31 »	Litt. Enc.	Pius XI	*48*, 242
1930	7 ian.	Decreta	S. C. pro Eccl. Or.	510 s
»	28 oct.	Decretum	S. Paen. Apost.	513*
»	5 dec.	»	»	513*
»	31 »	Litt. Enc.	Pius XI	234, 243
»	» »	Decretum	S. C. Caerem.	397
1931	5 maii	Litt. Enc.	Pius XI	229
»	15 »	»	»	68*, 72, 245, 248, 258 *s*, 264, 268, 282, 286, 288
»	24 »	Constit. Ap.	»	204
»	29 iun.	Litt. Enc.	»	454
»	16 iul.	Decretum	S. C. de Relig.	82
1932	3 maii	Litt. Enc.	Pius XI	229, *270* s
»	26 sept.	Decretum	S. C. pro Eccl. Or.	511*
»	29 »	Litt. Enc.	Pius XI	229, 301
»	28 oct.	Motu Proprio	»	*15*
1933	13 mart.	Allocutio	»	301
»	20 »	Decretum	S. Paen. Apost.	350* ss
»	18 maii	»	»	514*
»	3 iun.	Litt. Enc.	Pius XI	229
»	20 sept.	Decretum	S. Paen. Apost.	224
1934	30 iul.	Responsum	P. Comm. C. Int.	222
»	11 aug.	Allocutio	Pius XI	68
»	21 dec.	Motu Proprio	»	*362*
1935	13 april.	Disceptatio	S. C. Concilii	186*
»	28 maii	Epistola	S. C. de Prop. Fide	96*
»	27 oct.	»	Pius XI	321, 330
»	20 dec.	Litt. Enc.	»	265, 304*, 307, 420
1936	16 ian.	Responsum	S. C. Rituum	349*
»	22 febr.	Bulla	Pius XI	*109*
»	» »	Rescriptum	S. C. Rituum	84*
»	9 mart.	Bulla	Pius XI	*109*
»	11 »	Decretum	S. C. Rituum	190 ss, 517*
»	12 »	Breve	Pius XI	*114*
»	» »	Decretum	S. C. de Sem. et Univ.	204*
»	16 »	Breve	Pius XI	*114*
»	19 »	Epistola	»	*109*
»	25 »	Breve	»	*113*
»	18 april.	Decretum	S. Paenit. Apost.	501*
»	29 »	Epistola	Pius XI	*109*
»	2 maii	Bulla	»	*110*
»	3 »	Epistola	»	*110*
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	*115*
»	5 »	Breve	Pius XI	*113*
»	» »	Decreta	S. C. Rituum	*115*
»	12 »	Allocutio	Pius XI	261, 275
»	21 »	Epistola	»	*110*
»	25 »	Bulla	Pius XI	*110, 111*

Numeri indicant paginas.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1936	26 maii	Instructio	S. C. de Prop. Fide	103*
»	27 »	Decretum	S. C. Rituum	*115*
»	3 iun.	Bulla	Pius XI	*111*
»	6 »	Decreta	S. C. Consist.	*114, 208*
»	10 »	Decretum	S. C. Officii	74
»	13 »	Constitutio	Pius XI	155*
»	24 »	Epistola	»	*112*
»	29 »	Litt. Enc.	»	47*, 317
»	2 iul.	Bulla	»	*487*
»	4 »	Rescriptum	S. C. Rituum	144*, 146
»	7 »	Bullae	Pius XI	*207*
»	8 »	Decretum	S. C. Rituum	*355*
»	11 »	Bullae	Pius XI	*112*
»	14 »	Responsum	S. C. Rituum	86*, 147
»	27 »	Epistola	Pius XI	*112*
»	» »	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	*114*
»	1 aug.	Epistola	Pius XI	*113*
»	6 »	Litt. Apost.	»	217*
»	15 »	Instructio	S. C. de Sacram.	348
»	28 »	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	*114*
»	29 »	Breve	Pius XI	*208*
»	14 sept.	Sermo	»	301, *341*
»	19 »	Decretum	S. C. de Relig.	75*
»	24 »	Breve	Pius XI	*208*
»	28 »	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	*114*
»	15 oct.	Breve	Pius XI	491
»	24 »	Decretum	S. C. Consist.	*209*
»	25 »	Epistola	Pius XI	*113*
»	28 »	Litt. Apost.	»	252
»	» »	Motu Proprio	»	159*, 179 s
»	8 nov.	Epistola	»	*207*
»	18 »	Epistolae	»	*207 s*
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	*355*
»	25 »	Rescriptum	»	190*, 198
»	28 »	Decretum	S. C. Consist.	*209*
»	3 dec.	Notificatio	S. C. S. Officii	74*
»	7 »	Breve	Pius XI	*354*
»	15 »	Rescriptum	S. Paen. Apost.	201, 205*
»	17 »	Bulla	Pius XI	*487*
»	18 »	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	*354*
»	19 »	Decreta	S. C. Consist.	*354*
»	21 »	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	*354*
»	24 »	Nuntius	Pius XI	41*
»	30 »	Epistola	»	*208*
1937	1 ian.	»	»	*354*
»	2 »	Rescriptum	S. C. Rituum	191*
»	5 »	Litterae	S. C. de Sacram.	343*
»	8 »	Rescriptum	S. C. Rituum	192*, 196
»	9 »	Decretum	S. C. S. Officii	183*
»	12 »	Rescriptum	S. C. Rituum	193*, 195 s
»	28 ian.	»	S. C. S. Officii	184*
»	30 »	Epistola	Pius XI	*487*
»	4 febr.	Bulla	»	*487*

Explicatio indicis p. 572.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1937	7 febr.	Nuntius	Pius XI	182*
»	13 »	Rescriptum	S. C. S. Officii	*467 s*
»	» »	Decretum	S. C. Consist.	*492*
»	17 »	»	S. C. Rituum	*493*
»	20 »	Motu Proprio	Pius XI	224*
»	22 »	Bulla	»	*487 s*
»	24 »	Decreta	S. C. Rituum	*355, 493*
»	2 mart.	Responsa	S. Paen. Apost.	350*
»	5 »	Breve	Pius XI	*491*
»	9 »	Bullae	»	*488*
»	» »	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	*492*
»	10 »	Responsum	S. C. de Sacram.	347*
»	14 »	Litt. Enc.	Pius XI	324*, 401* ss
»	19 »	»	»	227*, 301, 310 ss, 328
»	» »	Instructio	S. C. de Prop. Fide	481* ss
»	20 »	Decreta	S. C. Consist.	*492*
»	25 »	Bullae	Pius XI	*488 s*
»	» »	Breve	»	*552*
»	28 »	Litt. Enc.	»	299*
»	» »	Epistola	»	*489*
»	31 »	Decretum	S. Paen. Apost.	512*
»	1 april.	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	*492*
»	12 »	Decretum	S. Paen. Apost.	515*
»	13 »	Bullae	Pius XI	*489, 551*
»	» »	Decreta	S. C. de Prop. Fide	*492*
»	23 »	Rescriptum	»	*493*
»	25 »	Decretum	S. C. Rituum	*493*
»	3 maii	Epistola	Pius XI	*490*
»	4 »	Declaratio	S. Paen. Apost.	485* s, 501*
»	8 »	Bullae	Pius XI	*551*
»	16 »	Epistola	»	*490*
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	*553*
»	18 »	»	S. C. de Prop. Fide	*492*
»	22 »	Bullae	Pius XI	*551*
»	23 »	Epistola	»	*490*
»	24 »	Breve	»	*552*
»	30 »	Epistola	»	*490*
»	31 »	»	»	*490*
»	5 iun.	Decretum	S. C. Consist.	*552*
»	6 »	Breve	Pius XI	*552*
»	10 »	Decretum	S. C. S. Officii	472*
»	19 »	»	»	476*
»	1 iul.	Epistola	Pius XI	*491*
»	11 »	Nuntius	»	*491*
»	2 sept.	Bulla	»	*491*
»	3 »	Chirograph.	»	*552*
»	8 »	»	»	*552*
»	29 »	Litt. Enc.	»	507* ss
sine die		Rescriptum	S. C. de Relig.	78*
sine die		»	»	81*

Numeri indicant paginas.

INDEX ALPHABETICUS GENERALIS

NOTANDA

Loci, ubi allegantur Auctores, Canones, Monumenta, Libelli ponuntur:

numeris consuetis, si simpliciter allegantur;
numeris *italicis*, si partim exscribuntur;
numeris cum asterisco (*), si *vel* plene exscribuntur, *vel* commentario illustrantur.

Libelli periodici ponuntur eo ordine quem primum tituli substantivum nomen postulat.

ABDERHALDEN (Ae. —) 176.
ABOU-ASSALEH (D. M. —) 498.
ABSOLUTIO Sacerdotis concubinarii 485 s, 501 ss.
ABUSUS in devotionis formis 468 ss.
ABYSSINIAE (Vicariat. Ap. —) 488.
ACADEMIA (Pont. — Scientiarum) 159 ss, 252 — origo 161, 178 ss — promulgatio Statutorum 162 — electio membrorum 162, 172 s — Statuta 164 ss — finis 164, 178 s — organizatio 164 ss — editiones 174 ss — immutationes a Pio XI inductae 180 s.
ACAPHISTIUM 375 — Cordis Iesu 16.
ACATHOLICUS significatio huius vocis 400.
ACCIÓN CATHÓLICA MEXICANA 316.
ACERBA ANIMI 229, 301.
ACERBO NIMIS 307.
ACTA PONT. ACAD. SCIENTIARUM 174 ss.
ACTIO CATHOLICA 44, 420, 490 — necessitas in rep. Mexicana 302, 305 ss, 331 — organizatio ibidem 306 — et Corpus Mysticum 307, 331 s — supernaturalitas et universalitas 308 s, 333 — selectio 309 s, 333 — opera socialia 266, 310 ss, 326 ss, 334 — et Studiosi Universitarii 314 s — et Respublica 317 ss — et ius rebellionis 319, 336 ss — et cinematographia 60, 73 — centrum unitatis SS. Eucharistia 113 — organizatio 267 s, 321 s, 325 ss — in novissimis Encyclicis 324 ss — organizationes auxiliares 327 — et Communismus 266 ss, 296, 325 ss — et rosarium B. M. V. 509.
ACTUS APOSTOLORUM *142*, 274, *416*, 438.
AD CATHOLICI SACERDOTII 265, 307, 420.
ADAMI (Mons. dott. A. —) 125, 215.
ADDIS-ABEBA (Vicariat. Ap. —) 489, 552.
ADDITIONES ET VARIATIONES IN RUBR. BREV. 147, 197, 393.
ADDITIONES ET VARIATIONES IN RUBR. MISS. 147, 195, 197 ss, 393.
AEGYPTI (Deleg. Ap.ca —) 552.
AESINA (Dioec. —) 492.
AETERNI PATRIS 315.
AETHIOPICA (Deleg. Ap.ca —) 552.
AFRICA OCCIDENTALIS GALLICA 488.
AFRICA ORIENTALIS ITALICA 552.
AGRAENSIS (Archidioec. —) 551.
AGRARIA (quaestio —) in rep. Mexicana 312 s.
AIGUEBELLE 552.
AIJIRO (R. D. P. — Yamaguchi e clero indigena) 356.
AIRY 181.
AKAPHISTY 371.
ALBA (P. — S. I.) 300.
ALBAREDA (A. — O. S. B.) 177 s.
ALBERS (I. —) 553.
ALEXANDER (P. — O. M. Cap.) 216.
ALGERMISSEN (K. —) 457.
ALLATIUS 369.
ALMA (M. —) 560.
ALOR 111.
ALPHONSUS (S. — de' Liguori) 17 ss,

186 — probabilismus 17 ss.
Alvarez (D. I. — y Miranda) 356.
Amaldi (H. —) 176.
Ambühl (D. I. —) 117.
America (Ephemer. —) 69 ss.
America (Status Foed. —) 551 — Encyclica de cinematographia 47* ss, 65* ss.
Amtsblatt (Kirchliches — für die Diözese Osnabrück) *543 ss.*
Analecta Ordinis Carmelitarum Excalceatorum 77.
Ancona 492.
Angelis (Exc. P. D. Th. De —) 116.
Angelorum (Dioec. —) 112.
Anna a S. Bartholomaeo causa canonizationis 355.
Annuarium Pont. Acad. Scientiarum 174 ss.
Antonana (Martinez de —) 200.
Antonelli 364.
Antoninus (S. —) 33.
Apocalypsis 274 s, 463.
Apollinaris 124, 214, 499, 558.
Apostata estne « acatholicus » 400.
Apostol 370.
Apostolatus Laicorum *vide Actio Catholica.*
Apostolatus Orationis 11, 413 nota 11 — apud Orientales 15.
Apostolos 365.
Arango (Jos. — Uribe S. I.) 563 — Articulus 129 ss.
Araucania (Vicariat. Ap. —) 209.
Archiconfraternitas ius praecedentiae 186 ss.
Archiv für Katholisches Kirchenrecht *78, 467,* 543.
Archiv für Rechts-und Sozialphilosophie 124.
Arcoverde (Exc. P. D. A. — de Albuquerque) 115.
Armellini (I. —) 176, 178.
Arnould (E. —) 214.
Arosio (G. —) 554.
Arrighini (A. —) Opus 555.
Ars quo tendat oportet 49 — influxus Ecclesiae 72.
Arteche (J. Morales —) 300.
Asensio (D. F. — Barroso) 356.
Assemanus 369.
Atheismus 240, 507 s — quomodo debellandus 490. *Vide etiam Communismus.*
Au milieu des sollicitudes *132, 136* s, *140, 143.*
Augustana Vindelicorum (Dioec. —) 354.
Augustinus (S. —) *320,* 463 s.
Augustinus Cantuariensis 98.
Auvity (F. —) 553.
Auximiana (Dioec. —) 492.
Avila (H. M. D' — O. P.) 117.
Aziz (D. P. — Hoh) 209.

Bacninh 354.
Badii (C. —) 125, 358, 499.
Balan (R. D. I. —) 116.
Bamako (Vicariat. Ap. —) 488.
Baptismus dubius effectus iuridici 472 ss.
Barberini (Card. —) 367.
Barbieri (R. —) 553.
Bargiggia (Exc. P. D. —) 497.
Barotseland 110.
Barsotti (G. —) 125.
Basoli (L. —) 116.
Batavia (Vicariat. Ap. —) 493.
Batelas 111.
Battandier (Alb. —) 364.
Beatificationis (Causae —) 115, 355, 493.
Beda 99, 332.
Beijersbergen (Hub. — S. I.) 216, 563 — Articuli 33 ss, 148 ss, 387 ss.
Bellum ultimum iustitiae remedium 521, 526, 541 — intestinum *vide Hispania.*
Belokurov 372.
Bender (Dr. L. — O. P.) 360.
Benedictio gutturis ritus 349 ss.
Benedictus xiv 365 s, 368 s.
Bengy (Anatolius —) causa beatificationis 493.
Benue (Praefect. Ap.ca —) 356.
Bergmann (E. —) 427, 458.
Bernacchioni (A. R. —) 554.
Bernard (H. —) 88.
Bernardini (Avv. C. —) 125, 359.
Bernardini (Comitatus S. —) 112.
Berri (M. —) 359.
Bertoglio (Exc. P. D. B. —) 355.
Bertola (A. —) 358.
Berutti *388.*
Beuron schola artis 15.

Numeri indicant paginas.

Beyaert (C. - Editor) laudatur 1 s — editor Periodicorum 1, 6.
Bianchi (Ae. —) 176, 178.
Bianchi (V. — Cagliesi) 159.
Bibliographia Periodicorum 3 ss.
Bibliotheca Ap.ca Vaticana 165, 598 nota 2.
Birkoff (G. D. —) 176.
Bisleti (Card. C. —) 176, 204, 208, 554.
Bjerkness (V. E. K. —) 176.
Blasius (S. —) ritus benedictionis gutturis 349 s.
Blaton (F. —) 124.
Bobo (Praefect. Ap.ca —) 488.
Bobola (Andreas —) causa canonizationis 493, 553.
Boganelli (E. —) 558.
Boggiani (Card. P. —) 159.
Bohr (N. —) 176.
Boigelot (R. — S. I.) 357.
Boldrini (M. —) 176.
Bonaërensis (Archidioec. —) 114.
Bondini (Mons. L. —) 125.
Bonifacii (S. — Archidioec.) 492.
Bonifatius (S. —) 401.
Borana 489.
Bossart (R. P. A. — O. M. I.) 498.
Bottazzi (Ph. —) 176, 178.
Boyer (C. — S. I.) 563 — Annotationes 204 s.
Boyle (Exc. D. —) 70.
Bracci (F. —) 344.
Brancati (Card. — a Laurea) 101.
Branly (E. —) 176.
Brasilia 492.
Brems (A. —) 215.
Breviarium dispensatio durante peregrinatione 220, 223 — recitatio coram Ss. 512 ss.
Brioschi (Fr. —) 179.
Brixiensis (Dioec. —) 493.
Brohée (Can. —) 68, 73.
Browe (P. — S. I.) 358.
Browne (R. D. M. —) 497.
Bruehl (C. — D. D.) 126.
Bruno (I. —) 188.
Brys 470.
Buddy (R. D. C. —) 116.
Buichu (Vicariat. Apost. —) 109.
Bulawayo (Praefect. Ap.ca) 489.
Buta (Vicariat. Ap. —) 488.
Buttignoni (Mons. G. —) 215, 559.
Buys (Dr. L. — C. ss. R.) 127, 216, 560.
Buytendijk (F. I. J. —) 176.
Byrne (P. I. —) 554.
Byzantino - slavicus (Ritus —) 11 ss — revisio librorum 361 ss.

Cabrol (F. —) 364.
Caeremoniale Romano - Seraphicum 199.
Caetani 179.
Caietanus 547.
Calcagno (Franc. Sav. — S. I.) Opus 212.
Calcara (A. —) 553.
Calix in Ordinatione subdiaconi et sacerdotis 184 ss.
Callewaert 145, 396.
Campesini 312.
Candelaria 492.
Canelos (Praefect. Ap.ca —) 117.
Canino (R. D. N. —) 209.
Canones allegati, exscripti, illustrati *vide Indicem Canonum, infra*, p. 597.
Canonizationis (Causae —) 115, 355, 493, 553.
Cantini (P. G. — O. F. M.) Opus 118.
Cantwell (Exc. D. J. —) 68, 70.
Capizzi (P. —) 553.
Capobianco (P. — O. F. M.) 124.
Cappellaniae Innocentianae nova ordinatio 155 ss.
Cappello (F. M. — S. I.) 283.
Captier (Raphaël —) causa beatificationis 355.
Caratheodory (C. —) 176.
Carbone (C. —) Opus 555.
Carinci (A. —) 85, 87, 191, 193 s, 349.
Caritas hodierna necessitas 255 ss, 292 ss — non satis observatur 255 s.
Caritate Christi 229, 270 s.
Carmelitae Excalceatae unificatio Constitutionum 75 ss — subiectio Ordinario 76 s.
Carrel (A. —) 176.
Casoslov 371.
Castellani (A. —) 176.
Casti Connubii 234, 243.
Castro-Palao 83.

Explicatio indicis p. 577.

Caubert (Ioannes —) causa beatificationis 493.
Causae personarum aulae Pontificiae 224 ss — beatificationis et canonizationis *vide Beat. et Canon.*
Cavigioli (I. —) 214.
Cayapa 208.
Cayzedo (D. E. I. — y Cuero) 498.
Cecoslovaca (Respubl. —) 491.
Ceignac 208.
Celebes (Vicariat. Ap. —) 489.
Censura pro imaginibus luminosis 543 ss — *vide etiam Imagines.*
Cereus adhibendus in benedictione gutturis 349 s.
Ceriani (R. P. I. —) 487.
Cesius (F. —) 161, 178.
Chamberlain (H. St. —) 457.
Chambon (Exc. D. —) 105.
Chang-Hou 207.
Charles (P. — S. I.) 563 — Annotationes 97 ss, 108.
Chavannes (Ed. —) *88.*
Chávez (W. J. —) 300.
Cheng Hsiao-han 100.
Chigi (L. — Albani della Rovere) 176.
Chilena (Respubl. —) 209.
Chilianus (R. P. — a Killybegs) 117.
Choisir 71.
Chouke (V. —) 357.
Christus Rex solemnitas festi 147.
Chrysogonus (P. — a Iesu Sacram. O. C. D.) Opus 118.
Chrysostomus (S. —) 309, 385.
Chuchow (Praefect. Ap.ca —) 492.
Cialeo (R. P. B. — O. P.) 356.
Cicchitti (Avv. A. —) 358.
Cicero (M. T. —) *249, 435.*
Cicognani (E. D. A. —) fautor *Legionis a decentia* 69.
Cinematographia 317 nota 29 — Encyclica 47 ss — scriptiones de eadem 49 — influxus 54 ss, 67 — verus finis 56 — participatio catholicorum 59 — modus invigilandi 58 ss — elenchus pellicularum 61 s, 70 s — officium inspectionis 62 ss — numerus spectantium 67 — *vide Codex moralis, Legio a decentia, Imagines.*
Cinovnik 370.
Ciprotti (P. —) 124, 214, 359, 499, 558, 560.
Cité (La — Chrétienne) 124, 214, 357.
Civilis auctoritas et cinematographia 57 s, 72 s — *vide etiam Respublica.*
Civiltà (La — Cattolica) 105.
Civis Catholicus officia erga patriam, 129 ss — *vide etiam Respublica.*
Civitas Vaticana 161 — competentia iudicum 224 ss.
Claeys (F. — Bouuaert) 215.
Clausura collegium educationis monasterio annexum 78 s — commoratio religiosarum externarum 81 ss.
Cleary (J. F. — J. C. L.) Opus 118.
Clemens (S. — Pp.) 379.
Clemens Pp. XI 365.
Clerc (Alexius —) causa beatificationis 493.
Clergy (The — Review) 126, 214.
Clericus facultates adnectendi indulgentias 350 ss.
Clerus sanctitas fovenda 265 s, 303 ss, 305, 331, 442 ss — pugna contra communismum 263 ss, 295 s — cultura scientiae 305 nota 8 — orationes pro sanctificatione 192, 196, 201 s, 205 s, 515 ss — indigena 109, 111 — recitatio breviarii 512 ss.
Cocchi 344.
Codex moralis in pelliculas malus eventus 50 s, 69.
Coemeterium 467 s.
Coffey (E. — S. I.) 317, 563 — Annotationes 65 ss.
Cogni (G. —) proscriptio operis 476 s.
Colangelo (D. N. —) 498.
Collationes Brugenses 124, 357, 470.
Collationes Gandavenses 124, 214.
Collationes Namurcenses 214, 357, 559.
Collationes Tornacenses 214, 357, 499.

Collectanea Commissionis Synodalis 96, 124, 214, 559.
Collectanea Mechliniensia 124, 357, 499, 559.
Collectanea S. C. de Prop. Fide 104.
Collectio Precum piorumque Operum 202.
Collegium educationis penes monasterium constituendum 78.
Collegium Pium Latinum Americanum 303.
Collomb (Abbé —) Opus 210.
Coloniensis (Archidioec. —) 114.
Colonnetti (G. —) 176.
Color Missae votivae Christi Sacerdotis 190, 195.
Commentarium pro Religiosis 38*, 76, *78*, *81*, 149 ss, 214, 499.
Commentationes Pontif. Acad. Scientiarum 174 ss.
Commonweal 70.
Communio durante peregrinatione 218 s, 220.
Communismus 42 s, 490 — adversarii eius 43, 508 — Encyclica 227 ss — damnationes 229 ss, 277 — periculi gravitas 230, 251 — doctrina 231 ss, 277ss — quomodo propagatur 235 ss — damna oriunda 239 s, 281 — doctrina Eccl. ei opposita 241 ss, 283 ss — remedia 251 ss, 290 ss — opera Sacerdotum 263 — opera Actionis Cath. 266 — malitia intrinseca 277 ss — et rosarium B.M.V. 507 s — in Hispania *vide Hispania.*
Concilium Vaticanum *159.*
Concordatum cum Germania 325 nota 1, 403 ss, 454 ss.
Concordia inter catholicos 132 ss, 337 — summa necessitas 269 s, 296 s.
Concubinatus sacerdotis 485 s, 501 ss.
Condicio adiecta professioni religiosae 388 ss.
Confraternitas ius praecedentiae 186 ss.
Confucius honores ei a fidelibus exhibendi 87 ss — quis 87 nota 4 — in Manciukuo 99 ss.
Congo 488 s.
Congregatio Missionis novum privilegium 84 s — origo 84 s.
Congregatio religiosa in missionibus 481 ss.
Congregatio Sancti Spiritus 184.
Congregationes Romanae *Acta, hoc Tomo relata, inveniuntur in Indice Analytico* (p. 565) *et Chronologico* (p. 572) *Monumentorum.*
Congressus Eucharisticus Manilae 182 s.
Connaughton (P. M. —) 554.
Consecratio calicis in Ordinatione Sacerdotis 184 ss.
Constitutiones Carmelitarum excalceatarum 75 ss — novarum Congregationum Religiosarum 481 ss.
Cor Iesu apud Orientales 11 ss — iconographia 15 s — eucharisticum 113, 471.
Cordier *88.*
Cordovani (M. — O. P.) 476.
Coronata *vide Matthaeus.*
Corpus Mysticum fundamentum Actionis Cath. 307 ss, 331 — ut Sacerdotale 332.
Costa (Card. E. Dalla —) 156.
Costa (P. —) 364.
Costantini (E. D. C. —) 96, 108, 478, 484, 559.
Couderc (R. D. A. —) 497.
Coudurier (Abbé —) Opus 118.
Cozza (Can. dott. L. —) 125, 559.
Cracoviensis (Archidioec. —) 209.
Cranbroock 109.
Creusen (I. — S. I.) 150, 348, 485, 514 — de Periodicis 5 s.
Crevghton (Ios. — S. I.) 563 — Articulus 400 — Annotationes 470 s, 476 s, 486, 490, 545 ss.
Crnica (A. — O. F. M.) 215.
Crocco (C. A. —) 176.
Croegaert 199.
Cuenot (L. —) 176.
Cultura corporalis 441.
Cultus Cordis Iesu 11 ss — Confucii 87 ss, 101 — novitates evitandae 469 ss.
Cum ad regularem 149.
Cum multa sint *130 s, 133 s.*
Curlandia 551.
Cusin (D. I. —) 498.

Explicatio indicis p. 577.

Custodia Nobilis R. Pontificis 224 ss.
Cyrillus (S. —) 370.

Dahn (Fel. —) 457.
Dal (J. —) Opus 555.
Dal Piaz (G. —) 176.
Dancalia 488.
Daniae (Vicariat. Ap. —) 492.
Dante (H. —) 87, 192, 194, 349.
Danzer (P. B. —) 125, 216.
De Filippi (Ph. —) 176.
De Martinis 363.
De Nardis (Mons. G. —) 307.
De Sanctis (Prof. Doct. P. —) 176.
Debye (P. —) 176.
Defensor Vinculi ratio muneris 343 ss.
Degni (F. —) 560.
Deininger (F. —) 559.
Del Signore (V. —) 554.
Delay (I. —) 553.
Delerue (P. — C. ss. R.) 21.
Delhi 551.
Deman (A. — O. P.) 17* ss.
Demismus (Triplex —) 89 nota 8, 99.
Demore (Abbé F. —) Opus 119.
Dereere (V. —) 554.
Derogatio can 883: 218.
Descartes 183.
Desio 344.
Dessié 488.
Detroitensis (Dioec. —) 551.
Deutschreligiöse Bewegung 457ss.
Devotio Cordis Iesu 11 ss — novitates vitandae 468 ss.
Dicasteria Romana *Acta, hoc Tomo relata, inveniuntur in Indice Analytico* (p. 565) *et Chronologico* (p. 572) *Monumentorum.*
Didaci (dioec. S. —) 112.
Dies sacerdotalis indulgentiae 515 ss.
Dilectissima Nobis 229.
Dillon (R. P. J. — O. F. M.) 117.
Dimissio religiosi ob infirmitatem 387 ss.
Dioulasso (Praefect. Ap.ca —) 488.
Diritto (Il — Ecclesiastico) 125, 358, 499, 559.
Diuturnum illud *135, 139, 142,* 246, 341.
Divini illius magistri *48,* 242.
Divini Redemptoris 227*, 301, 310 ss, 328, *537.*
Divinum illud 423.
Divitiae rectus usus 253, 255 s, 292 ss.
Documentatie (Kathol. —) 306.
Documentation (La — Catholique) 68, 338.
Dodoma (Praefect. Ap.ca —) 554.
Donnelly (R. P. G. — S. I.) 71.
Dougherty (Card. D. —) 354.
Dubium et probabilismus 17 ss — definitio S. Thomae 19 ss — effectus iuridicus (can. 1127) 472 ss.
Dubourg (Exc. P. D. M. —) 116.
Ducoudray (Leo —) causa beatificationis 493.
Dudon (P. — S. I.) 300.
Durieux (R. D. P. —) 209.

Eberle (D. Dr. A. —) 216.
Ecclesia condicio in Germania 401 ss — in Hispania 518 ss — necessitas pro salute 417 ss — catholicitas 418 ss, 426 — defectus 419, 440 s, 444, 461 ss — sanctitas 430, 440 s, 461 ss — et Status 98, 101, 103 ss, 272 s — *vide etiam Respublica.*
Ecomp quid 70.
Edere quid, in legislatione de censura librorum 548 s.
Educatio puellarum a monialibus 78 ss — *vide Schola.*
Eheguren (D. I. A. — y Aldama) 498.
Ekama 488.
Eleemosyna 253, 256, 292 ss.
Elenchus parandus pellicularum 61 s, 70, 73.
Ellis (A. — S. I.) 35, 148, 189, 563 — Annotationes 76 ss, 80, 83 s, 468, 479 s, 484 s.
Emanuel (Exc. P. D. F. —) 116.
Emigrantes e rep. Mexicana 313 ss.
Enciclopedia Italiana 301.
Engberding (P. H. —) 125.
Ephemerides Liturgicae *84,* 199, 350, 358.
Epikeia 547.

Epistolam tuam 342.
Epitome iuris canonici 348.
Eppstein (J. —) 124.
Erythreae (Vicariat. Ap. —) 488, 552.
Espasa (Encyclop. —) 300.
Estudios 499.
Et quam primum 366.
Eucharistia et Actio Catholica 112 s — et Missiones 182 — et pax conservanda 182 s — distributio et asservatio durante peregrinatione 218 s, 220 ss — expositio 514.
Euchologium 365.
Eusebius (R. P. — a Corde Iesu) 117.
Evangelie 370.
Evrard (R. D. I. —) 209.
Expositio Ss. Sacramenti 514.

Facultates Quinquennales interpretatio 347.
Falco (M. —) 127.
Fanelli (Mons. N. —) 359.
Fanfani (P. — O. P.) 126, 150, 152.
Faraday 181.
Fattinger (R. —) 216.
Faulhaber (Card. —) 402.
Fauvel (P. —) 176.
Fè (Santa —) 112.
Fengkiu 207.
Fengtien 99.
Feriatio effectus liturgici 86, 144 ss — festi de Patrono loci 392 s.
Ferrer (R. P. G. — Cassidy O. P.) 356.
Festum praestantia liturgica festorum 86 s, 144 ss — patroni loci 392.
Ficarra (R. D. A. —) 116.
Fides et vera scientia 159 ss — Dei 409 ss — Christi 413 ss — Ecclesiae 417 ss — Primatus R. Pont. 425 ss.
Filiis (A. de —) 178.
Film *vide Cinematographia, Imagines.*
Finegan (D. P. —) 209.
Finnemann (Exc. P. D. G. —) 356.
Firmissimam constantiam 299*.
Fliesser (Dr. J. —) 500.
Florensky (P. —) 14.
Fluminis Magdalenae (Praefect. Ap.ca —) 493.
Foedus Antiquum *vide Vetus Testamentum.*
Fogued (R. P. I. —) 498.
Fontana (F. —) 560.
Forey (R. D. G. A. —) 497.
Forstwiesen 354.
Fossà (D. I. —) 117.
Francia (E. —) 499.
Francisco (San —) 112.
Frencken (F. —) 216.
Fulginatensis (Dioec. —) 552.
Fumasoni (Card. P. —Biondi) 97, 108, 478, 484.
Funaioli (G. B. —) 560.
Funera pagana assistentia fidelium 94, 103 ss.
Furstenberg (M. de —) 125.

Gaëll (R. —) Opus 119.
Galilaeus 178.
Galla (Vicariat. Ap. —) 488.
Gallagher (D. M. —) 209.
Gallerani (A. —) 307.
Gallia 491 — oboedientia gubernio exhibenda 135.
Gamber (Dr. W. —) 215.
Gandásegui (D. R. — y Gorrochátegui) 498.
Garigliano (D. —) 117.
Gaspais (Exc. D. A. —) 87, 96.
Gasparri 185 s, 389.
Gasperment (P. Alph. — S. I.) 124.
Gatterer (Al. — S. I.) 177.
Gauss 181.
Geisenfeld 354.
Gemelli (A. — O. F. M.) 127, 163, 176, 178.
Genesis 227.
Gennadius (Metropol. —) 373.
Gennebreck 114.
Gerlier (Exc. P. D. Petrus —) 497.
Germania Encyclica 401 ss, 453 ss. — condicio Ecclesiae 401 ss — historia Concordati 403 ss, 454 ss.
Gerosa (Vincentia —) Causa canonizationis 493.
Gherzi (E. —) 176.
Ghigi (A. —) 176.
Giannico (E. —) 553.
Giannini (I. —) 125.

Explicatio indicis p. 577.

Gianora (R. P. A. —) 498.
Gibuti (Praefect. Ap.ca —) 488.
Gill (E. Portes —) 300.
Gillard (M.-L. —) 357.
Gillet (P. —) 124.
Gilson (G. —) 176.
Gimma (Vicariat. Ap. —) 488.
Giordani (F. —) 176.
Giorgi 176, 359.
Giorgis (Exc. P. D. I. —) 497.
Giovannelli (G. —) 126.
Glynn (J. Carroll — J. C. L.) Opus 210.
Gnesnensis (Archidioec. —) 490.
Goar 378.
Goarius 369.
Gobineau 457.
Godlewski (Ae. —) 176.
Goedseels (Dr. L. —) 357.
Gola (I. —) 176.
Golubinsky (E. —) 372, 383.
Gonçalves (Card. Emm. — Cerejeira) 109, 112.
Gondar 488.
Goossens (W. —) 124.
Gougnard (A. —) Opus 555.
Grabmann 32.
Graecus (Ritus —) 16, 376 ss.
Grandin (V. I. —) causa beatificationis et canonizationis 493.
Grandormensis (Dioec. —) 551.
Grant (B. — Johnson) 126.
Gratia quid 430 s.
Gratianopolitana (Dioec. —) 552.
Graves de communi *130, 138*.
Gregoire (V. —) 176.
Gregorius (S. — Pp.) *98*.
Gregorius Pp. xiv 75.
Grimaud (Ch. —) Opus 556.
Grobla 209.
Groeber (C. —) 457.
Grosam (J. —) 360.
Guadelupe (D. N. de —) 323.
Guarneri (D. T. —) 498.
Guérin (R. P. A. — Soc. Miss. Afr.) 497.
Guerra (Helena —) causa beatificationis et canonizat. 115.
Guida delle Missioni Cattoliche 87.
Guidi (C. —) 176.
Guillén (I. I. — y Salazar) 554.
Guinea Gallica 488.
Guthnick (P. —) 176.
Gutturis Benedictio ritus 849 s.
Guy (Exc. P. D. I. —) 497.

Haas (R. P. I. d' — O. F. M.) 355.
Hainan (Praefect. Ap.ca —) 110, 116.
Haiphong (Vicariat. Ap. —) 114, 354.
Hanssens (I. M. — S. I.) 372.
Harar (Vicariat. Ap. —) 488.
Haring (Dr. I. —) 214, 216, 548*.
Hasslinghausen 114.
Hayden (D. G. —) 117.
Hays (D. W. —) *69*.
Hecht (Fr. X. — P. Ş. M.) 358, 563 — Articulus 38 ss — Annotationes 147, 185 s, 194 ss, 344 ss, 347 s, 350.
Heckius (I. —) 178.
Hegel 410, 457.
Heilungkiang 99.
Heiner (Fr. —) 364.
Helena (S. —di Annifo) 552.
Helvetica (Custodia —) R. Pontificis 224 ss.
Hennrich (K. J. — O. M. Cap.) 126.
Herder 301.
Herman 373, 559.
Hermans (F. —) Opus 120.
Heylen (V. —) 499, 559.
Hierarchia et cinematopraphia 57 s, 70 — oboedientia exhibenda 133 ss, 321 s, 490 — et factiones politicae 337 s.
Hieronymus (S. —) 305.
Hispania bellum intestinum 42, 45, 518 ss — Litterae Episcopatus de eodem 518 ss — origo earundem 539 s — origo belli 520, 523 ss, 526 ss — partes Ecclesiae 520 s, 528, 534 ss — partes bolscevistarum 229, 238 s, 524 s, 527, 528 ss — iustitia defensionis 524 ss, 528, 532 ss, 535, 541 — nationalis indoles insurrectionis 526 s, 532 ss, 541 — impetus communistarum in religionem 528 ss — in opera culturalia 530 s.
Hlond (Card. A. —) 490.
Hodüm (A. —) 124.
Hoegen (Dr. A. W. —) 360.
Hoffmann (P. C. — P. S. M.) 477.

Honores Confucio exhibiti 87 ss, 101.
Houssay (B. —) 177.
Hove (A. van —) 215.
Hsieh Chieh Shih 99.
Huber (G. S. —) submissio 74.
Huijsmans (Dr. R. H. A. —) 360.
Humanum genus 307.
Humboldt (von —) 181.
Hunsec (L. Le — C. S. Sp.) 184 s.
Hunt (R. D. D. G. —) 497.
Hurfey (R. D. P. H. —) 68.
Hürth (Fr. — S. I.) 466, 563 — Annotationes 473 ss.
Hwokia 207.

Iacobi de Chile (Archidioec. S. —) 209.
Iacobus (S. —) *251 s, 254.*
Iampridem *139.*
Ichang (Vicariat. Ap. —) 207.
Iconographia SS. Cordis 15 s.
Ieiunium durante peregrinatione 219, 223.
Ignatius Antiochenus *98.*
Ikonnikov (V. S. —) 372.
Ilan (Missio « sui iuris » —) 492.
Il fermo proposito 331.
Ilundain (Card. E. — y Esteban) 110, 498.
Imagines Ss. Cordis 15 — censura pro luminosa proiectione 543 ss — species imaginum 545 s — censura pro imaginibus sacris 548 s.
Immortale Dei *132, 134 s, 139 s 143,* 246, 339, 341.
Impedimentum sensus huius vocis 347 s.
Imperial 112.
Incomparabile (Dott. —) 127.
Indelicato (Sac. dott. S. —) 126.
Indiae Nederlandicae 489.
Indiae Orientales 551.
Indigena Congregationes religiosae condendae 481 ss — clerus in missionibus 109, 111.
Individui iura erga rempublicam 243 ss, 284, 285 ss, 465 ss.
Indulgentiae orantibus pro cleri sanctificatione 201 s, 205 s, 515 ss — facultates Sacerdotum piis associationibus adscriptorum 350 ss — peregrinantibus ad Domum Lauretanam 217 ss, 223 — Lourdes 217 ss — Terram Sanctam 217 ss — recitatio breviarii coram Ss. 512 ss.
Infallibilitas R. Pont. in liturgia orientali 379.
Infirmitas S. Patris 45 — et dimissio religiosi 387 ss.
Ingravescentibus malis 507* ss.
Iniquis afflictisque 301.
In multis solaciis 159 *, 252.
Innocentius Pp. X 363 s.
Ioannes (S. — Ev.) *183, 253,* 256, *264, 402, 414,* 423, *430, 448.*
Ioseph (S. —) invocandus contra periculum communismi 274, 299.
Ipamu (Praefect. Ap.ca —) 489, 498.
Irmologion 371.
Isaias 274, 412, 452.
Ispina 209.
Iudaei 414 ss, 460 s — in Pont. Acad. Scientiarum 181.
Iuramentum de ritibus 107.
Iurisdictio durante peregrinatione 218, 222 s.
Ius Naturale defenditur ab Ecclesia 434 ss — et pax inter nationes 435.
Ius Pontificium 215, 358, 499.
Iustitia tripartita divisio 290 — *vide Socialis iustitia.*
Iuventus et cinematographia 57, 67.

Jacobs (I. —) 554.
Jalabert (R. P. —) 68.
Jcheng 111.
Jehol 99.
Jelicic (V. — O. F. M.) 124, 499.
Jinja quid 105.
Johannes (D. F. —) 356.
Johner (P. D. —) 125.
Johnson (J. —) 124, 214.
Jong (Dr. P. H. M. de —) 216.
Jorio (Card. S. —) 344, 347.
Julliotte (R. P. P. —) 116.
Junco (A. —) 300.
Jurkevic (P. D. —) 14.

Kaffa (Praefect. Ap.ca —) 488.
Kagoshima (Praefect. Ap.ca —) 356.
Kakowski (Card. A. —) 110.

Explicatio indicis p. 577.

Kalendarium apud Sorores tertiarias 38 — Vicarii Ap.ci 397.
Kant (E. —) 433.
Kapterev (N. —) 372.
Karabinow 372, 374.
Karatajev (I. —) 371.
Kassai (Vicariat. Ap. —) 111, 489.
Kearney (I. —) 553.
Keesom (G. H. —) 177.
Kelly (Fr. —) 300.
Kelowna (Decanat. —) 109.
Kelvin 181.
Kenny (M. — S. I.) 300.
Kesel (L. de —) 214.
Ketter (Prof. Dr. —) 215.
Keulenaer (J. de —) 214.
Kharlampovic (K. V. —) 374.
Kiamusze (Missio « sui iuris » —) 492.
Kiangchow (Praefect. Ap.ca —) 111, 114, 356.
Kiang-lin 207.
Kien-lin 207.
Kienning (Missio « sui iuris » —) 356.
Kim (R. P. S. —) 497.
Kimberliensis (Vicariat. Ap. —) 477.
Kirin (Vic. Ap. de —) 99 — epistola de honoribus Confucio exhibitis 87 ss.
Kirsten (R. P. I. — C. S. Sp.) 356.
Klosterneuburg 208.
Knights of Columbus 73.
Koango (Vicariat. Ap. —) 489.
Koch (A. —) 459.
Koenig (J. —) Opus 556.
Koenraadt (Dr. W. —) 216.
Koerperich (G. —) 214, 357.
Kontor (L. —) 558.
Kornykewitsch (Dr. W. —) 216.
Korolewsky (D. C. —) 364.
Krasne 354.
Kraus (Prof. Dr. J. —) 500.
Kronlachner (R. D. K. —) 360, 400.
Krzykowka 209.
Kucera (St. J. —) 126.
Kung-An 207.
Kuomintang 100.
Kuttner (S. —) 358.
Kwoshuensis (Praefect. Ap.ca —) 489, 497.
Kyoto (Praefect. Ap.ca —) 554.
Labacensis (Dioec. —) 491.
Laberthonnière proscriptio operis 183.
Labouré (Catharina —) causa canonizationis 115.
Lachance (L. — O. P.) Opus 120.
Lahorensis (Dioec. —) 487.
Lajoie (L. — C. J. M.) Opus 120, 210, 556.
Lamy (Exc. P. D. F. —) 115.
Lanchow (Vicariat. Ap. —) 487.
Landersdorfer (R. D. S. —) 116.
Langanam 208.
Langasco (Doct. A. a —) 215.
Lansingensis (Dioec. —) 551.
Laohokow (Vicariat. Ap. —) 111.
La Puma (V. Card. —) 76.
Larochelle (E. —) 554.
Larrain (R. D. G. — Cotapos) 355.
Larraona (A. — C. M. F.) 214, 499.
Laurenti (C. Card. —) 85, 191 ss.
Lauretana (Domus —) 492 — privilegia et indulgentiae 217 ss.
Lauri (Card. L. —) 351, 481, 490.
League of Decency *vide Legio a decentia.*
Lebedew (A. A. —) 13.
Leclerc (E. —) 560.
Leclercq (Abbé Jacques —) 214, 357.
Ledit (G. — S. I.) 125, 373.
Leffler 181.
Leges civiles oboedientia catholicorum 138 ss, 141 ss — sint iustae 139, 141 ss, 434 ss — emendandae influxu catholicorum 142 s — *vide Rebellio, Respublica, Suffragium.*
Legio a decentia laudata a S. Patre 48, 51 — origo 50 ss, 69 — ratio agendi 51 — eventus 52, 69 s.
Legrand (E. —) Opus 556.
Lehmkuhl 186.
Leitner (P. Dr. P. — O. F. M.) 216, 560.
Lemaitre (G. —) 177.
Leme (Card. S. — Da Silveira Cintra) 110, 112.
Lemkowszczyzna 117.
Leo (S. — Pp.) 379.
Leo Pp. xiii 12, *161*, 180, 310, 315, 328, 366, 368, 423 — officia ca-

tholicorum erga Patriam, 129 ss — doctrina de rebellione, 341 s.
Lepri (J. —) 177 s.
Le Senne (D. E. St. —) 356.
Lethielleux (P. —) Editor Periodicorum 6.
Lettonia (Respubl. —) 551.
Leven (Apologetisch —) 307, 461.
Levi (T. — Civita) 177.
Lex sacri coelibatus 485*, 501* ss.
Lexicon für Theologie und Kirche 300.
Lexovium 491.
Liberalismus causa propagationis Communismi 236 — doctrina de republica 243 — doctrina de ordine sociali 245.
Libertas praestantissimum *131, 135, 138, 141, 144,* 339.
Libri proscripti 183, 476.
Lichtspielverband (Katholisches —) 543.
Liepaiensis (Archidioec. —) 551.
Lincei *vide Lynceorum, Academia.*
Lintung (Praefect. Ap.ca —) 554.
Lipensis (Dioec. —) 487.
Lishui (Praefect. Ap.ca —) 492.
Litt (F. —) 126, 359, 560.
Liturgia byzantino-slavica 361 ss — *vide etiam Ritus.*
Livingstone 111.
Lolo (Praefect. Ap.ca —) 488, 554.
Lombardi (L. —) 177.
López (U. — S. I.) 548, 550, 563 — Articuli 17 ss, 501 ss — Annotationes 275 ss, 539 ss.
Lortal (R. — P. S. S.) Opus 120.
Losinski (D. A. —) 356.
Lourdes privilegia et indulgentiae 217 ss.
Luanfu (Vicariat. Ap. —) 111.
Lublinensis (Dioec. —) 354.
Lucas (S. — Ev.) *183,* 253, *255, 309 s, 408,* 417, 423, *425.*
Lucerina 187.
Ludendorff 459.
Luere 493.
Luigioni (P. —) 177.
Lumini (D. L. — O. S. B.) Opus 121.
Lunn (A. —) 126.
Lusseau (R. D. —) Opus 210.
Luzio (S. —) 206, 351, 486.
Lynceorum (Pont. Academia —) 161, 179, 180 — *vide etiam Academia.*
Lyons (Exc. P. O. Patritius —) 497.

Mac Nally (Exc. P. D. J. T. —) 355.
Mac Polin (R. P. E. — S. S. Col.) 497.
Magisterium gradus in Pont. Instituto Musicae Sacrae 204 s.
Makassar (Praefect. Ap.ca —) 489, 498.
Malachias 332.
Malig 208.
Malinowski (Prof. N. —) 13.
Manado (Vicariat. Ap. —) 489.
Manching 354.
Manchukuo Year Book 89, 100.
Mancini (A. — S. S.) 126, 215, 359, 500, 559 — probabilismus 28.
Manciukuo cultus Confucii 87 ss, 100 s — descriptio 87, nota 2, 97 — creatio 99 — Wang-Tao 99 s.
Manciuria 492.
Manila (Urbs —) 354 — Congressus Eucharisticus 182 s.
Manríquez (J. J. — y Zárate) 301.
Mantiero (Exc. P. D. A. —) 116.
Many *185* s.
Maradan (M. —) 554.
Marcadé (R. D. Joannes —) 115.
Marcante (R. D. L. —) 355.
Marchand (Can. —) Opus 121.
Marchetti (Card. F. — Selvaggiani) 176.
Marconi (G. —) 177.
Marcus (S. — Ev.) 249, *310.*
Marella (Exc. D. P. —) 107.
Margarita (S. — Maria Alacoque) cultus SS. Cordis 13.
Margunius (M. —) 366.
Maria Christina a Sabaudia causa beatificationis et canonizationis 493.
Mariae (Dioec. S. —) 492.
Mariani (Card. D. —) 208.
Maritain (J. —) Opus 211.
Marmaggi (Card. F. —) 113.
Maroto (Ph. — C. M. F.) 76, 215.
Marque (D. P. —) 498.

Explicatio indicis p. 577.

Marquettensis (Dioec. —) 551.
Martens (R. P. G. M. H. — C. Scheut) 498.
Martinez (Exc. P. D. A. —) 355.
Martinez (J. de la — G.) 499.
Martinus (S. — Pp.) 379.
Marxismus 232, 278 ss — *vide etiam Communismus.*
Massimi (Card. —) Opus 121.
Materialismus Marxii 232.
Matrimonium Communismi doctrina 233 s — doctrina Ecclesiae 242 — ius accusationis acatholicorum 400 — dubia circa privilegium Paulinum 472 ss — a sacerdote attentatum 485 s, 501 ss — causae anno 1936 tractatae a S. Rom. Rota 494 ss.
Matthaeus Conte a Coronata 35, 37 s, 149 ss, 344.
Matthaeus (S. — Ev.) *142*, 248 s, *253 s*, *263*, *265*, 332, 405, *414*, 417, 423, 425 s, *437*.
Mauriac (F. —) 68.
Maurin (Em. D. Card. A. I. —) 117.
Maximius Graecus 373.
Mazzarello (Maria D. —) causa beatificationis et canonizat. 115.
Mazzocco (R. D. G. —) 116.
McCormack (R. D. I. —) 209.
McMahon (C. A. —) 68.
McNicholas (Exc. D. J. —) 71.
Mechliniensis (Archidioec. —) 491.
Medeiros (R. D. E. de- Guerreiro) 355.
Medellensis (Archidioec. —) 493.
Medina probabilismus 18, 27.
Mediolanensis (Archidioec. —) 354.
Medweckyi (R. D. I. —) 117.
Meester (Pl. de —) 383.
Megan (R. P. T. — S. V. D.) 117.
Meiji quid 105.
Melanson (Exc. P. D. A. —) 116.
Mendes (A. — Correa) 177.
Menghsien 207.
Mercati (A. —) 177.
Merkelbach (B. H. — O. P.) Opus 556.
Mersch (E. — S. I.) Opus 121 s.
Meru (Praefect. Ap.ca —) 117.
Methodius (S. —) 370, 379.
Meunier (A. —) 359.
Mexico Encyclica 299 ss — vexationes catholicorum 299 ss — numerus catholicorum 301 nota 2 — Actio Catholica 306, 330 ss — quaestio agraria 312 s — emigrantes 313 ss — ius rebellionis 318, 338 ss — Communismus 229, 238.
Meyer (E. D. B. F. — M.M., D.D.) 126.
Mezzardi (D. D. —) 117.
Michaëlis (Praefect. Ap.ca S. — de Sucumbios) 498.
Michel (R. —) 499.
Michotte (A. — van den Berch) 177.
Migliori (Avv. G. —) 127, 359, 560.
Millikan (R. A. —) 177.
Milovidov (A. I. —) 371.
Mind (Catholic —) 71.
Mindorensis (Praefect. Ap.ca —) 356, 487.
Minea Prazdnicnaja 371.
Miralpeix (D. S. Huix —) 117.
Miranda (P. D. —) 303.
Misani (A. —) Opus 556.
Miscellanea Vermeersch 5, 6, nota 5, 598 nota 1.
Miserentissimus Redemptor 229.
Missa modus celebrandi sub divo 218, 220 s — celebratio in mari 221 s — ritus praesente Vicario Ap.co 397 ss.
Missa Paroecialis 198 ss.
Missa Votiva D. N. Sacerdotis 190, 191, 194 ss — SS. Sacramenti 197 — SS. Cordis Iesu 197 — et Missa paroecialis 198 ss.
Missionale (Museum —) 165.
Missiones et SS. Eucharistia 182 — auctoritas Ordinarii in Sorores 477 ss — erectio Congregationum religiosarum 481 ss.
Mit brennender Sorge 401* ss.
Mittag 181.
Mocnik (Vinko —) 124.
Modernismus 410 nota 3.
Moenge 488.
Mogadiscio (Vicariat. Ap. —) 488.
Moleben 371, 377 — quid 16.
Molitvoslov 371.

Numeri indicant paginas.

Monachalis tonsura 34.
Monasterium relatio ad collegium educationis 78 ss — commoratio religiosarum externarum 81 ss.
Monatschrift (Benediktinische—) 125, 215, 358, 559.
Mongino (R. D. B. —) 209.
Moniales commoratio durante itinere 81 ss .
Monitore (Il — Ecclesiastico) 125, 215, 350, 358, 500, 559.
Montereyensis-Fresnensis (Dioec. —) 112.
Montezuma (Seminar. —) 304.
Monticone (Mgr. I. —) 364.
Mooney (Exc. D. E. —) 107, 553.
Moralis (Ordo —) 431 ss — fundamentum eius 431.
Moreschi (P. I. —) 492.
Moretti (A. —) Opus 122, 557.
Morgan (T. H. —) 177.
Mosquera (R. D. C. A. —) 116.
Moureau (E. —) 216.
Moussaron (Exc. P. D. I. I. A. —) 115.
Muciani (Maria —) causa beatificationis et canonizat. 355.
Mukacevensis (Dioec. —) 491.
Mulder (Dr. W. —) 127, 216, 560.
Muller (A. — S. I.) 124.
Muller (L. — S. Sp.) Opus 557.
Mulligan (P. — O. M. Cap.) 497.
Multan (Praefect. Ap.ca —) 356, 487.
Munus (Perfice — !) 125, 215, 358, 500, 559.
Murad (D. I. —) 356.
Museum Missionale 165.
Musica Sacra gradus Magisterii 204 s.
Mutsuhito 105.

Nanchang 111.
National Catholic Welfare Conference 313.
Neghelli (Praefect. Ap.ca —) 489, 554.
Nelligan (L. —) 553.
Nelson (Decanat. —) 109.
Nelsonensis (Dioec. —) 109.
Nepote (R. P. I. — Fus.) 117.
Neumayr (P. F. — S. I.) Opus 212.
Nicoleşcu (Exc. P. D. A. —) 116.
Nicone (Patr. —) 373 ss.
Niepolomice 209.
Nietzsche 457.
Nikolaevsky (P. Th. —) 372.
Nobile (U. —) 177.
Nobilis (Custodia —) R. Pontificis 224 ss.
Noguer 289.
Noirhomme (E. —) 357.
Noll (RR. DD. J. —) 69 s.
Non abbiamo bisogno 454.
Non raro accidit 510*.
Noppel (C. — S. I.) 308 — Opus 213.
Normae pro scholis a monialibus habendis 79 s.
Nostra animarum *15.*
Notre consolation *133, 137 s, 143.*
Nova Guinea Orientalis (Vicariat. Ap. —) 114.
Nova Segobia (Dioec. —) 208.
Novicky (R. D. Donatus —) *14.*
Novitates vitandae in cultu 468 ss.
Novitiatus studia 34 — repetendus in transitu ad alteram classem 150 s.
Noyons (A. K. M. —) 177.
Nucerina (Dioec. —) 552.
Nzerekore (Praefect. Ap.ca —) 488, 497.

O'Brien (M. Roja —) 300.
Occhiuto (D. B. —) 498.
Oceaniae (Vicariat. Ap. — centr.) 492.
O'Connell (Card. G. —) 207.
Octoikh 370.
O'Doherty (D. T. —) 117.
Oeconomicus (Ordo —) doctrina Ecclesiae 244 — competentia Ecclesiae 248 — *vide etiam Socialis Iustitia.*
Oesterle (G. — O. S. B.) 124, 216, 360, 560.
Officiorum ac munerum 549.
Officium (S. S. Congr. S. —) auctoritas circa Privilegium Paulinum 472 ss — circa absolutionem sacerdotis concubinarii 501 ss.
Olivaint (Petrus —) causa beatificationis 493.
Olomucensis (Dioec. —) 467.
Opera proscripta 183, 476 s.

Explicatio indicis p. 577.

Oppenheim (Ph. — O. S. B.) Opus 557.
Oratio pro gratiarum actione 84 s.
Ordinarius praemonendus de transitu religiosi 36 — prohibitio pellicularum 63, 74, 543 ss — auctoritas in Carmelitas 76 s — custos clausurae 84 — vigilantia in formas cultus 470 s — auctoritas circa Privilegium Paulinum 472 ss — auctoritas in Sorores missionarias 477 ss — erectio Congregationum indigenarum 481 ss — vigilantia in clericos orientales 510 ss.
Ordinatio Subdiaconi et Sacerdotis 184 ss.
Oreglia (Card. A. —) 161.
Orientales cultus SS. Cordis 11 ss — libri liturgici 361 ss — clerici peregrinantes 510 ss.
Orientalis (S. Congr. —) archivum 363 ss.
Oroshi 492.
Osnabrugensis (Dioec. —) 543.
Osservatore (L' — Romano) 70, 74 *, 87, 96, 103, 304, 338, 453, 470, 476.
Ouagadougou 488.

Pacelli (Card. —) 67, 69, 156, 176, 552.
Pacificus (R. P. — a Virgine Carmeli, O. C. D.) 498.
Padang (Vicariat. Ap. —) 493.
Paderbornensis (Archidioec. —) 114.
Paenitentiaria (S. — Ap.ca) facultates adnectendi indulgentias 350 ss — absolutio sacerdotis concubinarii 485 ss, 501 ss.
Pagano (G. —) 359.
Paisius (Patr. C. —) 376.
Paladini (A. —) 358.
Palaestina privilegia et indulgentiae 217 ss.
Palatina (Custodia —) R. Pontificis 224 ss.
Palatucci (I. — O. F. M. Conv.) 554.
Palestra del Clero 125, 215, 359, 500, 559.
Panetti (Modestus —) 177.
Pantar 111.
Papkov (A. A. —) 381.
Paquay (J. —) 357.
Paracleticon 365.
Pareminik 370.
Parisiensis (Archidioec. —) 489.
Paroecia theatra cinematographica 63.
Parravano (N. —) 177.
Participatio in ritibus superstitiosis 87 ss, 101 ss, 103 ss.
Pasetto (Fr. M. L. —) 76, 82.
Pasqua (Insula —) 209.
Pastor Bonus 126, 215, 500, 560.
Pasture (A. —) 214, 357.
Patena in ordinatione Subdiaconi et Sacerdotis 184 ss.
Paterna sane sollicitudo 300, 305.
Patria catholicorum officia 101 ss — *vide etiam Respublica.*
Patronus Alexandriae 113 — Lusitaniae 113 s.
Patronus loci quid 391 — constitutio 391 s — privilegia liturgica 392 — patroni secundarii 393 — differentia cum Titulari Ecclesiae 395 s.
Paulinus a Gemert (P. —) 145, 199.
Paulus (Dr. —) 500.
Paulus (S. — Ap.) 458 — celebratio 46 — festum conversionis 84 — officium 379 — ad Colossenses 332 — ad Corinthios 244, 266, 332, *416*, 421, 442 — ad Ephesios *308*, *319*, *322* — ad Galatas 227, 319, *439* — ad Hebraeos 253, *322*, 412, *414*, 428 — ad Romanos *32 s*, *257*, *308*, 332, 429, 434, 441 — ad Timotheum 417 — ad Titum 412.
Pauwels (I. — S. I.) 563 — Annotationes 85, 220 ss, 391 ss, 396 ss, 513 ss, 517.
Pax verba SS. D. N. 46 — et SS. Eucharistia 182 s — fundatur iure naturali 435 — ab Ecclesia prosecuta 520 s.
Peillaube (E. —) Opus 210.
Peinador (A. — C. M. F.) 215.
Pejska 149.
Pelland (L. — S. I.) Opus 122.

Numeri indicant paginas.

Pellicula *vide Cinematographia, Imagines.*
Pelt (I.-B. —) 554.
Penido (M. T.-L. —) Opus 211.
Pensa (A. —) 177.
Pentecostarion 365.
Pera (P. C. — O. P.) Opus 122.
Peregrinationes favor RR. Pontificum 217.
Pérez (D. R. — y Rodriguez) 209.
Periodica 30, 34 ss, 73 s, 83, 91, 98, 108, 146, 148, 150 ss, 195, 200, 221 s, 224, 300 s, 304, 307, 317, 321, 329, 330, 337, 339, 345, 348, 420, 467, 471, 485 s*, 501 ss, 514, 548 — mutatio administrationis 1 — elenchus bibliographicus 3 ss — historia 3 ss — tomi exhausti 10.
Perrella (G. M. — C. M.) Opus 123.
Pessers (R. P. Q — O. F. M.) 356.
Petit (Adulphus —) Causa beatificationis et canonizationis 493.
Petrani (A. —) 499.
Petritsch (Ernestus F. —) 177.
Petrus (S. — Ap.) 274, 379, 403.
Pezzullo (R. D. F. —) 209.
Pfeiffer (R. P. P. — S. D. S.) 190.
Philaret 372.
Philips (G. —) 126.
Piatus 389.
Picard (Ae. —) 177.
Pieni l'animo 307.
Piérard (A. —) 357, 559.
Pignatelli (Card. I. — di Belmonte) 207.
Pilati (Dott. G. —) 499.
Piola (A. —) 559.
Piontek (C. — O. F. M.) 358.
Pistocchi (M. —) 125, 215, 358, 500, 559.
Pistolesi (H. —) 177.
Pitra (Card. —) 365.
Pius (S. — Pp. v) patronus Alexandriae 113 s.
Pius Pp. vi 77.
Pius Pp. vii 179.
Pius Pp. ix 161, 179, 365 s, 368.
Pius Pp. xi 12, 68, 77, 85 — restitutor studiorum 166 — doctrina de rebellione 341 s.
Planck (M. —) 177.
Pluries instanterque 103 *.
Poai 207.
Poletti (V. —) 560.
Politica a re religiosa distincta 129 ss, 337 — *vide Respublica.*
Polvara (G. —) Opus 558.
Opus 558.
Polycarpus (S. —) 98.
Pomianik 371.
Portalegrensis (Archidioec. —) 492.
Poskitt (H. —) 115.
Posnaniensis (Archidioec. —) 490.
Postquam catholici *130, 134, 139.*
Postulatus pro transitu religiosi ad alteram classem 151 s.
Potter (P. B. —) Opus 213.
Praecedentia inter confraternitates 186 ss.
Praestantia festorum 86 s, 144 ss.
Preces Leonis xiii post Missam 195 s.
Priero (G. —) 126.
Privilegia liturgica Patroni loci 392 — Vicarii Ap.ci 396 ss — Pro-Vicarii 399.
Privilegium Paulinum dubia soluta 472 ss.
Probabilismus demonstratio 17 ss — favor Ecclesiae 31 s.
Processus matrimonialis munus defensoris vinculi 343 ss — ius accusationis acatholicorum 400.
Professio temporaria dimissio infirmi 387 ss — adiectio condicionis 388 ss.
Promotor iustitiae eius munus 344.
Propaganda (S. C. de — Fide) Archivum 363 ss — origo 364.
Proscriptio *vide Opera proscripta.*
Pro-Vicarius privilegia honorifica 399.
Pruemmer *388.*
Psalmorum (Liber —) *262, 417,* 431, 451.
Psaltyr 370.
Puellae educatio a monialibus 78 ss.
Pugliese (Dott. A. —) 127, 215, 499.
Puja (C. —) 554.
Punjab 551.
Pustet (F. —) 191 — Editor Periodicorum 6.

Explicatio indicis p. 577.

Puyi (H. —) 99.

Qua solerti 510 *.
Quadragesimo Anno 68 *, 72, 229, 245, 248, 258 *s*, 264, *282*, 288.
Quartalschrift (Theologisch-praktische —) 37, 216, 359, *400*, 500, 548, 560.
Queenstown (Missio « sui iuris » —) 356.
Quinn (R. E. —) 126, 214.
Quinquagesimo ante anno 301.
Quo facilior 511 *.
Quod Apostolici muneris *229*, 339, 342.

Rabaulensis (Vicariat. Ap. —) 114.
Radossky (A. —) 371.
Ranwez (S. —) 214, 559.
Rasetti (F. —) 177.
Rasse doctrina reiicienda 410, 427, 457 ss, 476 ss.
Rassegna di Morale e Diritto 126, 359, 560.
Ratisbonensis (Dioec. —) 354.
Raus (P. J. B. — C. ss. R.) 216.
Rebellio 338 ss — quomodo damnanda 140, 339 ss — variae opiniones 318, 338 — regulae servandae 318 s, 340 — partes Actionis Cath. 336 s — doctrina Leonis xiii et Pii xi 341 s — *vide etiam Hispania.*
Reformatio quomodo facienda 422, 465.
Reineri (C. —) 125.
Religio distincta a re politica 129 ss 337 s — salus reipublicae 248, 271, 320, 337, 431 s, 524 s, 526 s — et scientia 159 ss.
Religiosus transitus ad aliam classem 33 ss, 148 ss — dimissio ob infirmitatem 387 ss — indulgentiae pro recit. breviarii coram Ss. 512 ss.
Renz (Dr. O. —) 360.
Rerum Ecclesiae 481.
Rerum novarum 244, 248, 264.
Reservatio censurae contra sacerdotem concubinarium 502.
Respublica 243 — officia catholicorum 129 ss, 138 ss, 520 s — pericula communismi 234 — iura individuorum 243 ss, 284 ss, 465 ss — officia erga Ecclesiam 270 ss, 284 s, 297 s, 317 s — et religio 129 ss, 248, 271, 320, 337 s, 431 s — diversae formae gubernii 135 ss — finis 465 s — *vide etiam Leges, Suffragium, Rebellio.*
Restrepo (I. M. R. — S. I.) 325, 454, 563 — annotationes 225 s, 351 ss.
Revelatio plenitudo in Christo 414 — quid 427.
Review (Ecclesiastical —) 68 ss.
Review (The Homiletic and Pastoral —) 126.
Revue Ecclesiastique de Liège 126, 216, 359, 560.
Revue (Nouvelle — Théologique) 68, 73, 502, 514.
Richard (R. P. — O. P.) 21, 25.
Rigensis (Archidioec. —) 551.
Rio Pardo 492.
Rituale Romanum 350.
Ritus byzantino-slavicus 11 ss, 361 ss — graecus 16, 376 ss — rumaenus 16 — sinenses 87 ss, 97, 98 — Missae Votivae Christi Sacerdotis 190, 191, 195 ss — Scriptura occurrens 193 ss, 202 s — Missa paroecialis 198 ss.
Riverside 112.
Rivista del Diritto Matrimoniale Italiano 127, 359, 500, 560.
Rivista Medica per il Clero 127, 359.
Rizzati (Dott. prof. G. —) 127.
Roberti (F. —) 124, 344, 558.
Roeder (F. —) 553.
Roey (Card. I. E. van —) 491.
Rogozno 354.
Romani (S. —) 126, 215, 559.
Rondoni (P. —) 177.
Rosarium B. M. V. Encyclica 507 ss — dignitas 509 — remedium communismi 507 ss.
Rosenberg (A. —) 458.
Rosenthal (R. P. I. B. — P. S. M.) 356.
Rossi (C. —) 116.
Rossi (I. —) 206.
Rossi (Card. R. C. —) 156, 491.
Rota (S. Rom. —) Decanus 226 — normae defensoris vinculi

344 — tabulae synopticae causarum 1936 494 ss.
Roti 111.
Ruano (M. P. —) 300.
Rubricae Generales Breviarii 203.
Rubricae Generales Missalis 198, 200.
Ruffini (E. —) 204.
Ruiz (J. —) 300.
Rumaenus (Ritus —) 16.
Russia devotio Cordis Iesu 11 — communismus 229, 238 — partes in bello intestino hispanico 524 s, 527, 528 ss, 541 s — benevolentia S. Patris 241 — libri liturgici 370 ss, 381 ss.
Russo (R. P. I. A. — O. F. M.) 355.
Ruthensis (Dioec. —) 208.
Rutherford (Lord. E. — of Nelson) 177.
Rutten (J. — C. I. C. M.) 214.
Ryan 356, 553.

Sacerdos facultates adnectendi indulgentias 350 ss — concubinarius quomodo absolvendus 485 s, 501 ss.
Sacerdos (D. N. I. C. —) Missa votiva 190, 191, 194 ss.
Sacerdotium in Corpore Mystico 332.
Saepenumero 511 *.
Saffirio (Dott. G. —) 500.
Sagot (D. C. P. — du Varoux) 498.
Sainz (D. S. — y Bencamo) 356.
Saïto 105.
Salotti (C. —) 97.
Sanchini (D. I. —) 356.
Sancta Sedes — *Acta hoc tomo relata, inveniuntur in Indice Analytico* (p. 565) *et Chronologico* (p. 572) *Monumentorum.*
Sanctissimus 387 *.
Sanguis (SS. — B. M. V.) devotio 471.
Santamarianova 492.
Sapientiae (Liber —) 409.
Sapientiae Christianae *132, 138, 140 ss*, 339.
Satis Cognitum 419.
Savastano (R. D. A. M. — O. Cist.) 490.
Savoe 111.
Sbarretti (Card. D. —) 113, 185.
Scapardini (D. A. —) 498.
Scarpellini 179.
Schaefer 149 ss, 388 s.
Schaeper (Dr. P. —) Opus 213.
Schattauer (Dr. O. —) 360.
Schinke (Dr. —) 216.
Schirach (Baldur von —) 458.
Schlosser 379.
Schmidlin 364.
Schmidt (W. — S. V. D.) 177.
Schmitz (J. —) 300.
Schmitz (Prof. Dr. P. — S. V. D.) 216, 359.
Schola 316 — penes monasterium 78 s — libertas ab Ecclesia propugnata 407, 436 s, 446 s, 456.
Schönfeld (W. —) 124.
Schopenhauer 457.
Schrödinger (E. —) 177.
Schulte (R. D. P. —) 497.
Schurr (P. M. —) 358.
Schweigl (Ios. — S. I.) 371, 375, 386, 563 — Articuli 11 ss, 361 ss.
Scientia quid apud S. Thomam 19 ss — a S. Patre promota 159 ss — non pugnat cum vera Fide 159 s.
Scientiarum (Pont. Academia —) *vide Academia.*
Scipioni (D. F. —) 359.
Scodrensis (Archidoec. —) 492.
Scognamillo (R. D. J. —) 84.
Scriptura occurrens 193 ss, 202 s.
Scriptura (S. —) *vide Genesis, S. Paulus etc.*
Secta acatholica Communismus 283.
Sedes (Sancta —) *varia Decreta in hoc Tomo citata inveniuntur in Indice Analytico* (p. 565) *et Chronologico* (p. 572) *Monumentorum.*
Seditio *vide Rebellio.*
Segura (Card. P. — y Sáenz)) 553.
Sembel (R. D. M. G. —) 355.
Semeraro (Sac. Prof. O. —) 500.
Semigallia 551.
Sempels (V. —) 559.
Sepultura in coemeterio acatholico 467 s — *vide Funera pagana.*
Sergius (Archiep. —) 381.

Explicatio indicis p. 577.

Seycellae (Ins. —) 554.
Shasi (Praefect. Ap.ca —) 117, 207.
Sherrington (C. —) 177.
Shichow 207.
Shintoismus 98, 108.
Shyroch 88.
Siangyang 111.
Siansiang (Praefect. Ap.ca —) 207.
Sidamo 489.
Siedlecensis (Dioec. —) 354.
Sikkim (Praefect. Ap.ca —) 498.
Silvester (S. — Pp.) 379 — celebratio 46.
Silvestri (Ph. —) 177.
Simenon (G. —) 126 s.
Simlensis (Archidioec. —) 551.
Simonds (R. P. I. —) 356.
Sina 492, 554.
Sinenses (Ritus —) 87 ss, 97, 98.
Sinsiang (Praefect. Ap.ca —) 117, 207.
Siuwu 207.
Skhima 378.
Slavineckij (E. —) 374.
Sluzebnik 370.
Smet (Eugenia —) causa beatificationis et canonizationis 115.
Smotra (Bogoslovska —) 124, 559.
Smurlo 364.
Socialis iustitia 312 ss, 490 — doctrina Ecclesiae 244, 289 ss, 335 s — competentia Ecclesiae 248, 286 ss — officia 257 — non satis a Catholicis servata 257 s, 290 ss, 312 — a commutativa distincta 258, 289 ss — catholicis explicanda 260, 294 s — definitio 289 — et Actio Cath. 310 ss, 326 ss, 334 s — quomodo in Hispania servabatur 535.
Socialis ordo et cinematographia 56, 68.
Societas et individui 243 ss, 284 ss, 465 ss.
Societas Divini Salvatoris 190, 205.
Societas Missionum (Pia —) 193.
Sokode (Praefect. Ap.ca —) 554.
Soláns 200.
Solemnitas festorum effectus liturgici 86 s, 144 ss.
Somalia Gallica 488.
Somalia Italica 488, 552.
Sopikov (V. S. —) 371, 374.
Sorores tertiariae calendarium 38 ss.
Specula Vaticana 164, 181.
Speri (G. — Sperti) 177.
Spiritus Paraclitus 307.
Squintani (R. D. A. —) 116.
Stanciu (Dr. J. —) 379.
Stanislaus (P. — a Virgine Perdolente) 554.
Staquet (P. —) 357.
Status *vide Respublica.*
Statuta Pont. Acad. Scientiarum 164 ss — promulgatio 162 — immutationes 180.
Stebler (I. —) 554.
Steffens (H. —) 126.
Stein (I. — S. I.) 177, 563 — Annotationes 178 ss.
Stellutus (F. —) 178.
Stemmen (Nederlandsche Katholieke —) 127, 216, 308, 360, 560.
Stercky 398.
Stimmen der Zeit 459.
Stirps doctrina reiicienda 410, 427, 457 ss, 476 ss.
Studia tempore novitiatus 34.
Studies 68.
Studiosi Universitarii et Actio Cath. 314 s.
Suarez (F. — S. I.) 547 — probabilismus 18, 27.
Subbotin (N. —) 372.
Subirana (Eug. —) Editor Periodicorum 8.
Sueciae (Vicariat. Ap. —) 492.
Suenens (L. —) 357.
Suffragium civile a catholicis praestandum 143 s, 337.
Suihsien (Praefect. Ap.ca —) 554.
Sukhanov (A. —) 374.
Sunda 111.
Sung-Tze 207.
Sun-Yat-Sen triplex demismus 89 nota 8, 99.
Superfluum pauperibus distribuendum 253, 256, 292 ss.
Superstitio cultus Confucii 87 ss, 101 — ritus Iaponenses 103 ss.
Syllabum 228 s, 341.
Syrku (P. —) 372.

Numeri indicant paginas.

Tabellarium Vaticanum 165.
Tabulae maiorum in Sinis 91.
Tabulae synopticae causarum S. R. Rotae 494 ss.
Taikou (Vicariat. Ap. —) 489.
Taiyüanfu (Vicariat. Ap. —) 114.
Tarnoviensis (Dioec. —) 209.
Tarrasó 518.
Taylor (H. S. —) 177.
Tellerman (G. —) 124.
Tera quid 105 nota 3.
Ternovskago (Patr. E. —) 372 s.
Ternus (P. — S. I.) 21.
Tertiariae (Sorores —) calendarium 38 ss.
Thai-Binh (Vicariat. Ap. —) 109, 114, 354.
Theodoretus *103*.
Thierenbach 114.
Thomas a Villanova Gester a Zeil 150.
Thomas (S. — Aquinas) 19 ss, 547 — probabilismus 17 — doctrina de rebellione 524.
Thorman (D. I. —) 117.
Thsumbe (Praefect. Ap.ca —) 111, 117.
Tigrai 488.
Timor (Vicariat. Ap. —) 111.
Titularis Ecclesiae quid 394 — differentia cum Patrono loci 395 s.
Titulus novarum Congregationum Religiosarum 482.
Tondini 375, 379.
Tonga (Vicariat. Ap. —) 492.
Toniolo (R. —) 177.
Tonsura in religione 33 ss — monachalis 34.
Toso (A. —) 215, 358.
Totalitarismus 411 nota 10, 508 — iudicium Episc. Hispaniae 535 s.
Transitus ad alteram classem religionis 33 ss, 148 ss — liceitas 149 s — perduratio votorum 152 s — obligationes transeuntis 154 — ad statum laicalem 35 s.
Trebnik 370.
Triebs (Prof. Dr. F. —) 216, 500, 558.
Triod postnaja 370 — tswetnaja 370.
Triodion 365.
Tromp (Seb. — S. I.) 73, 216, 296, 307 s, 461, 465 s, 563 — Opus 123 — Annotationes 453 ss.
Trossarelli (Dott. L. —) 125.
Tsaoyang 111.
Tschernak (A. — Seysenegg) 177.
Tserkovnyj Kalendar 384.
Tsinghai 487.
Tsinyang 207.
Tsiyüan 207.
Tucsonensis (Dioec. —) 112.
Tuguegaraoana (Dioec. —) 208.
Tunki (Praefect. Ap.ca —) 487, 498.
Turchetta (D. V. —) 359.
Typicon 370.

Ubi arcano 274, 307.
Uccellini (D. F. —) 498.
Ugeux (J. —) 357.
Ujcic (R. D. I. —) 116.
Umtata (Praefect. Ap.ca —) 489.
Unio Missionalis Cleri 352.
Unio Transitus S. Ioseph (Pia —) 352.
Universitas Gregoriana (Pont. —) 205, 303 nota 5.
Urbanus Pp. viii 75, 363 s, 366, 368 s, 392.
Uscimów 354.
Ustav 370.

Valentinensis (Dioec. —) 552.
Vallauri (I. —) 177.
Vallée (C. de la — Poussin) 176.
Vallet (A. —) Opus 558.
Valor ordinationis 184 ss.
Vancuveriensis (Archidioec. —) 109.
Vanni (S. —) 308.
Vaticana (Basilica —) cappellaniae innocentian. 155 ss.
Vaticanum (Archivum —) 363 ss, 598 nota 2.
Vendrell 200.
Venturi (I. —) 74, 184, 470.
Vercelli (F. —) 177.
Verdier (Card. I. —) 489.
Vergne (Y de la —) Opus 123.
Verla (G. —) 125.
Vermeersch (A. — S. I.) 34, 37, 83, *151*, 186, 201, 348, 471, 514

Explicatio indicis p. 577.

— Auctor Periodica 3 — Miscellanea 5, 598 nota 1.
Vetus Testamentum indoles 414 ss, 460 s.
Vicarius Ap.cus privilegia honorifica 396 ss.
Vicentini (Patriarcha Rob. —) 157 s.
Victoria Falls (Praefect. Ap.ca —) 117.
Vigilanti Cura 47 * ss, 317.
Villepelet (R. D. I. —) 115.
Villien (A. —) 215.
Vincentius (S. — a Paulo) 84 — coetus vincentiani 255.
Vindicatio *vide Rebellio.*
Vindobona 208.
Viterbensis (Dioec. —) 110.
Vito (Sac. avv. P. —) 125.
Vogt (F. —) Opus 211.
Volterra (V. —) 177.
Von Streng (R. D. F.—) 355.
Vooght (Dom P. De — O. S. B.) 357.
Voosen (E. —) 357 s.
Vota temporalia in transitu ad alteram classem 152 s.
Votiva (Missa —) *vide Missa.*
Vuccino (G. —) 554.
[illegible] lhopp (T. —) 357.
[illegible]ltus Divini Redemptoris devotio 471.

Wagner (R. —) 457.
Waitz (R. D. S. —) 400.
Wang-tao quid 89 nota 8, 99 — in Manciukuo 99 s — in Iaponia 108.
Wasner (F. —) 499.
Weier (J. —) Opus 123.
Weihweifu (Vicariat. Ap. —) 207.
Wenhsien 207.
Wenner (J. —) 454.
Wernz 389.
Whittaker (E. —) 177.
Wiener Diözesanblatt 467.
Willems (St. —) 124.
Wilpert (I. —) 159.
Wilt (A. de —) 563 — Articulus 3 ss.
Winnipegensis (Archidioec. —) 492.
Work (Queen's —) 70.
World (Catholic —) 70.
Woywod (S. — O. F. M.) 126.
Wuchih 207.
Wuhu (Vicariat. Ap. —) 487.

Xistus Pp. v 75.

Yangwu 207.
Yano (J. —) 90.
Ydewalle (P. D' —) 124.
Yüanwu 207.

Zähringer (P. D. —) 215.
Zeeman (P. —) 177.
Zenra Nando 489.
Zenshuensis (Praefect. Ap.ca —) 497.
Zimigui 208.
Zivkovic (Prof. A. —) 124.
Zurnal Moskovskoj Patriarkhii 384 ss.

INDEX CANONUM CODICIS IURIS CANONICI

Canon	Pagina	Canon	Pagina	Canon	Pagina
6	149, 549	542	150	1043 ss	35
7	225	558	148* ss, 153	1065	283*
14	548	565	34	1067	347* s
15	31	572	151, 153	1127	472* ss
17	84	574	153	1205	468*
18	347*, 546	575	149, 153	1206	468
20	*148*	577	152*	1240	283*
106	186 ss	585	36 s	1247	392 s
111	36 s	589	34	1248	*146*
132	35	600	84	1258	*90* ss
136	35 s	611	478* ss	1259	196, 469*
141	35	618	479	1261	469*
197	398	622	511*	1278	391
198	398, 453	633	150, 154	1279	469*
211	35, 36* s, 149	647	149, 154, 387* ss	1327	550
212	36 s	648	35	1337	550
213	36	669	35	1384	548*, 550
230	225	701	186* ss	1385	548* s
239	221	804	511*	1512	188
294	398*	869	222	1597	225
308	396* ss	882	221	1607	225
337	339	883	218*	1968	343*, 346
349	221, 397	910	223	1971	347* s
399	393	921	202	1984	345*
435	399	928	517*	2252	503*
466	393	930	517	2254	485* s, 501* ss
487	390	931	224	2335	283*
488	390	934	224	2358	35
500	479	976	34	2387	35
539	151	985	504*ss	2388	485, 502*

Explicatio indicis p. 577.

ADDENDA ET CORRIGENDA

Ad Tom. XXV (1936)

Errata	Corrige
Pag. 229, l.1 : 11*	17*
» » » 2 : 17*	11*
» » » 3 : 24*	124*
» » » 4 : 31	31*

Pag. 202, post l. 27 *utiliter additur*: vide tamen Periodica XXVI (1937) p. 485 s.

Ad Tom. XXVI (1937)

Errata	Corrige
Pag. 7, l.32 : Tom. I, Ed. 1	Tom. V, Ed. 1
» » » 36 : 1911	1909-1911
» 8 » 22 : 1922	1921-1922
» » » 26 : 1922	1922-1923
» » » 40 : ab hoc Tom. XIII vel sequenti Tom. XIV	a Tom. XI, usque ad Tom. XV
» » » 42 : 1925	1925-1926
» 9 » 3 : 1926	1926-1927
» » » 9 : LITURGICA	*addatur*: inde ab hoc tomo singuli Ephemeridis Tomi cum anno civili concordant (1)
» 87 post lineam 7	*addatur*: Annotationes, vide p. 144
» 352, l. 7,25 et » 353 » 3,17,23 : 20 mart. 1933	1 april. 1933
» 363 » 13 : *Archiv. Vaticanum*	*Bibliotheca Vaticana* (2)
» 467 sub l. 2	*addatur*: III
» 471 l. 23-24 : removendis imaginibus et libellis	removendis pristinis imaginibus et aliquibus libellis
» 489 » 5 : 364 s.	363 s
» » » 17 : 260 s.	269 s

(1) Ex his correctionibus ipse benevolus Lector iam intelligat quomodo restringendae sint criticae animadversiones, in *Miscellanea Vermeersch*, p. 5, exhibitae.

(2) Anno enim 1912 omnes codices ex « *Museo Borgiano di Prop. Fide* » transiere ex Archivo in Bibliothecam Vaticanam (idem ergo corrigas in nota 5, 6, 8 et 11 eiusdem Dissertationis).

INDEX INDICUM

PAG.

Index scriptorum huius tomi 563

Index dissertationum et quaesitorum 564

Index analyticus monumentorum 565

Index chronologicus monumentorum 572

Index alphabeticus generalis 577

Index canonum Codicis Iuris Canonici 597

Addenda et corrigenda 598

Periodica de re morali

v.26

CBPac

v.26 16770

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6866